F. MARINI
MERSENNI
ORDIN. MINIMOR.
S. FRANCISCI DE PAVLA.
OBSERVATIONES,
ET EMENDATIONES
AD FRANCISCI GEORGII
VENETI PROBLEMATA.

IN HOC OPERE CABALA EVERTITVR; EDITIO VVLGATA ET INQVISITORES SANCTÆ FIDEI CATHOLICÆ ab Hæreticorum, atque Politicorum calumnijs accuratè vindicantur.

LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, viâ Iacobæâ sub Ciconijs.
M. DC. XXIII.
Cum Privilegio Regis Christianissimi, & Doctorum Approbatione.

F. MARINI

MERSENNI

ORDIN. MINIMOR.

S. FRANCISCI DE PAVLA:

OBSERVATIONES,

ET EMENDATIONES

AD FRANCISCI GEORGII

VENETI PROBLEMATA:

IN HOC OPERE CABALA EVERTITVR; EDITIO VVLGATA, ET INQVISITORES SANCTÆ FIDEI CATHOLICÆ ab Hæreticorum, atque Politicorum calumnijs accuratè vindicantur.

LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, viâ Iacobæâ ſub Ciconijs.

M. DC. XXIII.

Cum Priuilegio Regis Chriſtianiſſimi, & Doctorum Approbatione.

ORNATISSIMO VIRO D.D. IACOBO HALLÉ CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIARIO, ET IN PARISIENSI REGIORVM COMPVTORVM CAMERA MAGISTRO, SALVTEM ÆTERNAM PRECATVR.

PLVRIMA ſunt (vir clariſsime) quæ me prouocant, vt iſtas obſeruationes nuncupem tuo nomini, quibus dogmata Cabaliſtica, & Venetum improbaui, quoties Vulgatam editionem contempſit, aut in alios errores impegit, Catholico, Theologo, vel Philoſopho penitus indignos; in quorum locum ſuffeci, quæ vel præcipui Veneti laudatores amplexuri ſint, ſi veritatem errori præferant. Neque fuit alter, cui Cabalam expugnatam, & ſtulta dogmata debellata offerre voluerim, quàm tibi veritatis amantiſsimo, qui libros ſanctos noctu, diúque verſas, magno quidem affectu, & maiori fortaſsis emolumento, cùm etiam, (quod non minus admirabile, quàm verum, pluribus dubia proponentibus cumulatâ menſurâ refundas. Quid ſi commemorem Chriſtianam illam charitatem, qua pauperibus tam abundè, tam iucundè ſuccurris? tua pietas non adumbrata leuiter, ſed expreſſa moribus, & pijs factis ad

Christianæ virtutis amorem quem nõ traducat? ad tui desiderium quem non pelliciat? quibus rapis omnes, qui te probè norunt, in admirationem. Verùm ne pergam vlteriùs religiosus encomiastes, me prohibet religiosæ vitæ institutum, naturæ ipsius norma, & sapientum regis effatum ante mortem immaturam, dum vetat iste laudationem. Quapropter licet ampla tuæ benignitatis habeam argumenta, qui tui ingenij, tuæq; bibliothecæ thesauros sæpe mecum vel ex hac tot doctrinæ præsidijs instructissima commodatis voluminibus, vel pijs suauissimæ consuetudinis tuæ sermonibus communicasti, & me non semel pene deficiẽtem tua benignâ refecisti visitatione, attamen tuam viuentis (viue verò diutissimè, & sanctissimè) modestiam non onerabo, nec ei vllam molestiam facessam laudibus allatis. Vnus è paucis hoc sæculo vel in media opulentia, & opum licentia integrè, modestéque, & vt vnò verbo cuncta complectar, Christianè viuendo, tuæ virtutis exemplis oneras contribules, & posteritatem, quæ tibi grata laudes repẽdet. Ego verò tractatum hunc apud omnes interpretem fore, & obsidem studiosæ voluntatis speraui, quem volo habeas, & inde conijcias, quid tuâ caussâ velim, maioráque, cùm ornandi tui maior aliqua facultas existet, officia, studiáque expectes. Deum Opt. Max. veneror incolumem te regio obsequio, atque tuis seruet in multos annos, & charissimum fratrem, atque generum tibi virtute simillimos, totámque domum fortunet.

Tuus in Christo totus F. MARINVS MERSENNVS Minimus.

F. MARINI

MERSENNI

ORDINIS MINIMORVM

OBSERVATIONES ET EMENDATIONES IN PROBLEMATA FRANCISCI GEORGII Veneti in Genesim.

LECTORI.

PRÆTER obseruationes, & emendationes perpetuas in sequentia Problemata, de quibus in operis præfatione locutus sum, animaduertendum est me consulto literis Italicis vsum esse, quibus ea scribuntur, quæ index expurgatorius delenda censuit, vt vnusquisque ea deprehendat, quæ postea emendãtur, atque refelluntur; vnde statim cùm totum Problema Italicis characteribus exaratum videris, quod sæpenumerò contingit, vt à 26. problemate ferè vsque ad 39. primæ sectionis, conclude id indicis prædicti iussu factum esse. Rationum verò numerum, quas in quolibet problemate veluti sub dubio refert, numeris arithmeticis annotatum habes. Emendationes autem aperient, quàm meritò indicis expurgatorij authores in Veneti problemata animaduerterint, qui cùm aliquando dictiones Veneti mutent in alias, illas dictiones eadem litera scribemus in problematibus, quæ dictiones delendas, quod etiam in emendationibus aduertemus. Quæ sequuntur, index ille initio problematum Veneti præfigi cupit. Adeo abundat hoc opus Platonicorum & Cabalistarum placitis, vt vix in hoc genere, quæ expurgatione digna viderentur, potuerint obseruari, propterea cautè vbique legendum; attamen omnia Deo iuuante tam diligenter emendare, & obseruare conabor, vt nihil intactum relicturus sim, quod aliqua reprehensione dignum esse videatur.

SECTIO PRIMA CONTINENS 73. PROBLEMATA.

PROBLEMA I.

1. CVR arcana proponi solent à sapientibus, obscuris, & obuolutis sermonibus? An, quia diuina, naturaliáque recondita, omnigena sapientia plena, non percipiuntur nisi à sapientibus? Nam vulgarium animarum oculi (vt Melissus ait) diuinitatis radios sufferre nequeunt: An quia (vt Trismegisto placet) religiosissimus sermo, & diuinitate plenus, multorum publico, & aperto interuentu violatur? Hinc summus doctor monet non esse exponendas porcis margaritas, nec sancta canibus danda: Sic enim proponenda sunt sacra mysteria, vt indigni audientes non audiant, & intelligentes non intelligant, vt ipse alibi innuit. An, vt ea, de quibus non licet homini loqui, per ea, quæ visibilia facta sunt, saltem innuantur, & aliquatenus percipiantur ab ijs, qui per verâ analogiam nouerint à visibilibus ad inuisibilia conscendere?

1 Plato in Sophista. Mercur. ad Asclep.
2 Math. 7. Luc. 8. 3

Prima ratiocur antiqui obſcurè loquerentur.

RATIONES alias, ob quas antiqui ſermonibus obuolutis vterentur 2. de amore dialogo Leo Hebræus ſuggerit; prima eſt, quia naturę, & diuino numini eorum arcana vulgo aperire odioſum eſſe iudicabant, & hoc certè rectiſſimè ſentiebāt, quia veram profundámque ſcientiam diffuſiùs latiúſque pertractare, nihil eſt aliud, quàm eam cum rudibus, atque ineptis hominibus communicare, in quorum mentibus non ſecus, ac optimum vinum in dolio infecto, ac vitiato corrumpitur, atque adulteratur; quod quidem adulterium iam inceptum vniuerſalis poſtea omnium doctrinarum per totum orbem terrarum ſecuta fuit corruptio, quæ maior in dies maiorque euadit ſcientijs ex rudi in rudius ingenium quaſi per manus traditis. Huiuſmodi autem liberalium artium peſtis, & corruptela ex perfacili nimiúmque dilucida ſcientiarum interpretatione originem trahit, & tempeſtate noſtra propter recentiorum philoſophorum verboſam, & garrulam orationem eouſque proceſſit, vt vix merum aliquod intelligibile reperias, quin ſit vitiatum, atque corruptum. At veteres illi ſapientiæ myſteria fabularum corticibus ſummo quodam artificio circuntegebant, vt ingenia ad res diuinas, & intelligibiles percipiendas accommodata, mentéſque ſcientiarum conſeruatrices, non autem corruptrices ad ea tantummodò ingredi poſſent, ne tandem omnino à ſua nobilitate degenerarent.

2. ratio. Secunda ratio fuit breuitas, quæ plurimùm ad omnium rerum memoriam conſeruandam, atque retinendam confert, quippe quæ verbis paucis multas ſententias comprehendit, eo præſertim adhibito artificio, vt homines aliquam actionem hiſtoricam legentes, omnium quæ in ea continentur, facillimè recordentur.

3. ratio. Tertia ratio eſt, vt hiſtoricæ, & fabuloſæ ſectionis iucunditas cum intelligibili veritate, & facile cum difficili ita permiſceatur, vt imbecillus noſter intellectus fabularum delectatione, atque facilitate delinitus ad ſcientiarum veritatem percipiendam ſenſim, & ſuauiſſima quadam ratione perducatur, non ſecus ac pædagogi in ſtudioſis, & honeſtis diſciplinis pueros inſtituentes à facilioribus ſolent exordiri; quod quidem maxima cum laude veteres cõſecutos fuiſſe videmus, quia antiquorum poëtarum commenta vtrique commodiſſimam iam dictorum ſimul præſtiterunt habitionem, cùm mendacium, voluptas & cortex exteriorem, veritas autem, ſenſus, & fructus interiorem fabulæ ſedem ſibi occuparint.

4. ratio. Quarta ex rerum intelligibilium conſeruatione deducitur, ne aliquando circumuoluentibus annis pro humanarum mentium diuerſitate, ipſæ quoque mutentur: Hiſtoriæ enim, quibus veteres ſcientiarum myſteria complexi fuerunt, propter terminorum ſuorum certitudinem atque ſtabilitatem, ne minimam quidem mutationem ſuſcipere poſſunt. Quod vt meliùs, ac faciliùs aſſequerentur, Hiſtorias illas verſibus numeroſis, & pedum certa menſura adſtrictis deſcripſerunt, ne corrumpi, aut deprauari vnquam poſſent; numeroſum enim carminum metrum nullum vitio, vel corruptelæ aditum, aut ingreſſum relinquit. Vnde nec ingeniorum diuerſitas, aut imbecillitas, nec Scriptorum incuria, aut error ſcientias hoc modo pertractatas adulterare, ſeu corrumpere valet.

5. ratio. Quinta eſt, vt eodem cibo diuerſis ſaporibus affecto omnium conuiuarum guſtibus differentibus ſatisfacerent; imbecilliora enim ingenia poëmatum Hiſtorias vnà cum elegantia carminum, & melodia tantùm percipiunt; robuſtiora præter hoc moralem quoque detegunt ſenſum; alia inſuper tam primis, quàm ſecundis acutiora, præter Hiſtorias, & mores, in allegoricos ſenſus non ſolùm Philoſophiæ naturalis, verùm etiam Aſtrologiæ, & Theologiæ ſeſe inſinuant.

6. ratio. Sexta vt cùm huiuſcemodi poëmatibus tanquã cibo communi omnia hominum genera indifferenter veſcantur, in mente multitudinis perpetuò conſeruentur; res enim difficiliores à paucioribus cognoſcuntur: pauciorum autem memoria citò, & facillimè obliteratur, veluti ſi aliqua poſtea ſuccederet ætas, quæ fortunæ vitio, atque iniquitate homines à ſtudijs ſcientiarum abduceret, quemadmodum prouincijs compluribus eueniſſe videmus, vt Græcis, & Arabibus, qui cùm doctrinis olim floruerint, nunc ſcientias, vel omninò, vel maxima ex parte amiſiſſe conſpiciuntur. Ne igitur ſcientiæ in hoc diſcrimen adducantur, efficaciſſimum, & opportuniſſimum remedium eſt, eas fabuloſis, & hiſtoricis poëtarum cantibus commendare, qui propter carminis ſuauitatem, ac delectationem ab omnibus memoriter ediſcuntur, & ab omni ſexu, ætate, & conditione hominum ſumma cum animi hilaritate, ſemper, & vbique decantantur. Plato verò cùm ſcientias amplificare vellet, vno vinculo carminis tantùm diſcreto, alterum fabulæ intactum reliquit, ideóque ſatis ſupérque ſciẽtiarum conſeruationi conſuluiſſe videtur. Ariſtoteles audacior, & ſcientiarum imperium propagandi ſtudioſus etiam fabulæ vinculum reſcindere voluit; at in eo fuit aſtutus, quòd loquendi modum tam breuem, ſignificantem, & doctum excogitauit, vt ſolus ille pro conſeruandis ſcientijs, & carminis, & fabulæ ſimul vicem gerat. Vnde cùm Alexander Macedonum rex Ariſtotelis diſcipulus ad præceptorem ſcripſiſſet ſe ex eo ſummam capere admirationẽ, quòd reconditos ſacroſanctæ Philoſophiæ libros edidiſſet, reſpondit libros partim editos, partim non editos fuiſſe; illis tantùm editos eſſe, qui eorum interpretationem ab ipſo didiciſſent.

7. ratio. Septima ratio eſſe poteſt, quod antiqui Philoſophi timerent, ne ſi clariùs ſcripſiſſent, erroris à quibuſdam arguerentur, qui vel tantarum contemplationum capaces non eſſent, ac propterea iniquiùs de illis iudicarent, vel acutiùs veritatem indagantes multos errores, quibus reuera Platonis, Ariſtotelis, Pythagoræ cæterorúmque ſcripta, dicta, & libri ſcatent, audacter, non ſine ingenti tantorum Philoſophorum pudore, reprehenderent, cæteriſque, apud quos fuerant in honore, propalarent. Dubio procul multa ab illis ſcripta fuiſſe mihi perſuadeo, quæ propterea fabellis, & ænigmatibus obuoluerint, quòd ea non intelligerent: Cùm enim vel ex Moſe, vel ex Prophetis quædam excerpſiſſent, illa, tametſi non intellecta, ad ſuam doctrinam illuſtrandam transferebant. Notum illud Numenij Philoſophi, non aliud eſſe Platonem, quàm Atticum Moſen; ſed & Hermippus Pythagoricus teſtatur Pythagoram de Moſaica lege plurima in ſuam Philoſophiam tranſtuliſſe; vt refert Ioannes Picus præfatione in Heptaplum, qui prædictis rationibus fauet, dum ait. Quòd ſi rudis in ſuis libris, & popularis interim Moſes potiùs, quàm aut Philoſophus, aut Theologus, aut magnæ alicuius ſapientiæ artifex apparet,

apparet, reuocemus eò mentem, veterum ſapientum fuiſſe celebre inſtitutum, res diuinas vt aut planè non ſcriberent, aut ſcriberent diſſimulanter. Hinc appellata myſteria, nec myſteria, quæ non occulta; hoc ab Indis, hoc ab Æthiopibus, quibus de nuditate cognomen obſeruatum eſt. Quod & ſphinges illæ pro templis inſinuabant.

Duo genera librorum apud veteres exoterici, & acroamatici.

Huc etiam referre poſſumus duplex librorum genus, quod apud veteres erat; quidam enim in vulgus edebantur, quos encyclios, ecdedomenos, & exotericos vocabant; alij, qui ferè in Arcanis erant, & charioribus, acutioribuſque diſcipulis communicabantur; quos myſticos, acroamaticos, acroaſes, acuſmaticos, epopticos, eſotericos, ἐν ἀπορρήτῳ in ſecreto, & ad veritatem appellabant. Placet autem hic vnicum antiquorum exemplum apponere, quo antiqui Philoſophiæ ſuæ ſecreta occultabant, dicebant enim Perſeum Iouis filium Gorgonem interfeciſſe, & voti compotem in æthera, partem aliquam cœli reliquis ſublimiorem aduolaſſe: in quo primùm Hiſtoriam Perſei ſignificabant, qui propter heroïcas virtutes ab eo fœliciſſimo Planeta deſcendentes Iouis filius habitus eſt, aut ex aliquo regum illorum, qui vel Cretæ, vel Athenis, vel Arcadiæ imperarunt, & Ioues appellati fuêre, originem deducens, terrarum Tyrannum Gorgonem interfecit: Gorgon enim, inquit Leo, apud Græcos terram ſignificat, vnde tum propter hoc maximum beneficium in humanum genus collatum, tum etiam propter præclaras eius virtutes à mortalibus in cœlicolarum numerum fuit adſcriptus. Senſus moralis erit, quòd Perſeus prudentiſſimus vir Iouis filius, id eſt optimis moribus, & egregijs virtutibus Planetæ illius benignitate excellens immundis, ac terrenis vitijs, quæ Gorgonis nomine ſignificantur, profligatis, & ſuperatis ad cœleſtes, diuinaſque virtutes aſcenderit. Allegoriarum autem prima, & naturalis hæc erit, quòd mens humana Iouis, id eſt Dei filia, debellata, atque interfecta Gorgonica, ſeu terreſtri natura, ad res ſublimes, & æternas, in quarum contemplatione humanam ſapientiam, & fœlicitatem collocarunt, intelligendas ſtatim euolauit. Secundam autem, & ex fontibus Aſtrologiæ petitam allegoriam hanc eſſe dicit idem Leo, quòd cœleſtis natura Iouis progenies, poſtquam motu ſuo continuo mortalitatem, atque interitum iſtorum inferiorum corporum, ac terrenorum confecit illuſtri, maximáque de ipſis victoria reportata, earúmque tetra, ac fœda mortalitate derelicta ad ſupernas ſedes contendit, & immortalitatem ſuam integram, atque illibatam ſeruauit. Poſtrema & metaphyſica allegoria eſt, quòd natura Angelica Ioue, ſeu Deo prognata, vbi terram Gorgoneam deſpexit, in cælum euaſit. Quæ tantùm in exemplum attuli, vt antiquorum ingenium agnoſcas; quæ ſi diſcuteremus, facillimum eſſet oſtendere multa in eo figmento inſulſa, ridicula, atque fictitia contineri.

4. ſenſus fabularum quibus antiqui vſi fuêre.

8. ratio. Octaua ratio eſt, vt illæ ſcientiæ, quas Philoſophi magno ſibi labore comparauerant, auguſtæ, ſacræ, atque diuinæ haberentur; quapropter aërem Iouis, mare Neptuni, cæteráſque creaturas deorum dearúmque nominibus afficiebant, vt ipſi velut deorum parentes, aut amici viderentur, & ſcientiæ non aliam, quàm à dijs originẽ habere cenſerentur: ſic ferè otioſi alchymiæ profeſſores chymicas operationes obſcurioribꝰ verbis occultant, vnde videmus eos metalla ♄, ♃, ♂, ☉, ♀, ☿, & ☽, nominibus appellare, characteribuſq; ſignificare; qui ne poſſint intelligi, ac curioſis fucum faciant, eorúmque opes paulatim exhauriant, auguſtis nominibus vtuntur: hinc enim videas in amoris fonte reges; & principes includi, ibi virginem parere, regem ſtatim albis, rubris, aliàs indui veſtimentis. Leonis, galli, capitis mortui, elixir cæterorúmque nominum ſiue metaphoricorum, ſiue Arabicorum meminiſſe nolo, quibus Treuiſanus, Zacharias, Raymundus Lullus, Flamellus, Libauius, multíque partim antiquiores, partim recentiores multa de puluere proiectionis, lapide Philoſophorum, lampade vitæ, auro potabili, idque genus ſimilibus comminiſcuntur: inter quos ſunt aliqui, quos ab hæreſi liberos eſſe vix mihi perſuadeo, cùm ſuas fabellas auſu temerario, non tantùm Scripturæ ſacræ verbis, ſed & myſterij ſanctiſſimæ Incarnationis analogia, & applicatione nobis aperiant, vel potiùs obtegant. At non eſt quòd multùm in ijs deſudemus, cùm ferè omnes iſti præſertim recentiores, hæretici ſint; ferè enim illa nugamenta chymica ad Germanos vẽtri deditos pertranſiêre; cæteri ad atheiſmum vergere mihi videntur: At de his aliàs Deo dante fuſiùs. Quomodo verò Lucæ citatus locus intelligi debeat, vt indigni audientes non audiant, videantur interpretes, Toletus, & alij, ſicut & in 6. c. Iſaiæ, vbi Leo Caſtrus multas Patrum authoritates refert, & editionem vulgatam acerrimè contra Eraſmum tuetur.

Alchymiſtæ reprehenduntur.

PROBLEMA II.

CVR mundus prius tempore, aut æuiternitate non fuit creatus? An quia ante motum non erat tempus, in quo mundus produceretur, cùm tempus ſit menſura motus, & à motu cœleſti cauſetur? vnde inepta ſciſcitatio. Nec erat æuiternitas, duratio videlicet ſucceſſiua, quia non erat creatura, cui ipſa menſura competeret. Nec problema debet eſſe de nunc imaginato (vt aiunt) quia ridiculum, & vanum eſt quærere, cur Deus non fabricauerit mundum in eo tempore, aut inſtanti, quod tu nunc imaginaris. An cùm nihil ſciri poſſit (vt eſt conſtantiſſima doctrina antiquorum Theologorum) eorum, quæ fuerunt ante mundi fabricam, hinc quæſitum multa reſponſione dignum eſt? niſi quærens is fuerit, cui datum ſit noſſe myſteria regni Dei. At is edoctus illuſtratione diuina, humana ratione non indiget. 1. 2.

CERTVM eſt Deum efficere potuiſſe, vt plures annorum millenarij à mundo condito fluxiſſent, ſi noſtro loquendi more, priùs illum creaſſet; ſiquidem, vt exemplo rem aperiamus, iam centum annorum myriades exolutæ fuiſſent, ſi Deus mundum, motum, tempus &c. à centum myriadibus produxiſſet, ſed cur id non effecerit, quis reuelabit? tantum id proferre poſſumus, quòd

noluerit, sitque pro ratione voluntas, siue enim dixeris eum 7. mille annos mundum durare velle ob septenarij numeri præstantiam, siue plures, aut pauciores annos ob aliquem alium numerum in ideis ab æterno præconceptum, idem dubium semper remanet, cur huic aut illi annorum numero mundi existentiam, seu durationem correspondere voluerit; itaque volentes nolentes necesse est, vt plurima nos ignorare fateamur, cùm tamen certo certius credendum sit à Deo nihil prorsus fieri, faciendum, aut factum esse sine ratione, cùm ab eo rerum omnium ratio proficiscatur. Sed est quòd exultent iusti in Domino, quippe qui rerum omnium rationes, quas hic inuestigare non possunt, in patria clarè & intuitiuè contemplabuntur. Quòd si mundi finem reuelatione Deus nobis aperuisset, aliquas fortè congruentias ab annorum numero ducere possemus. An verò idem, quod nunc est, eodem penitus modo sese haberet, si plures, aut pauciores anni post mundi creationem lapsi fuissent, adeout, ex hypothesi, quòd verè numerent annos mundi 7128. Orientis, & Scythiæ Christiani, hoc anno præsenti 1620. vel Iudæi 5380. teste Keplero initio suæ Ephemeridis, aut vt alij 5623. præter hos annos, adhuc 8000. verbi gratia fluxissent, vt iam hoc anno præsenti numeraremus 15. aut 16. millia annorum: an inquam idem, quod per tot annos futurum est, iam præteritum fuisset, quis asserere, quisve negare potest? Tametsi nil absurdi sequatur, si dixerimus annum futurum, & omnia quæ fient in eo, iam præterita seu facta fuisse, si Deus, (quod facere poterat) per annum citiùs mundum hunc produxisset: sicut & Antichristum, & quæcunque futura sunt, quandiu mundus durauerit, iam præsentia essent, vel præterita, si tanto priùs tempore creator omnipotens ea condidisset, quanto postea durare debent. Imo necesse est dicere omnia eodem modo iam facta fuisse, si Deus ab æterno eodem modo de rebus disposuisset, ac reuera decreuit, hoc tantùm excepto, quòd mundum citiùs, prout explicatum est, producere voluisset. Cùm autem in ænigmate solùm de his quandiu viatores sumus, loquamur, & aliæ plurimæ quæstiones tam Theologicæ, quàm Philosophicæ, atque Mathematicæ nos subterfugiant, ea omnia in alium meliorem patriæ statum referenda, atque reseruanda sunt, ne dum propiùs, quàm par est, ad cœlestis Phœbi radios accedere nitimur, opprimamur à gloria. Eamdẽ quæstionẽ proponit, eodemq; modo soluit Venetus primi toni Harmoniæ c. 5. Sed & in obiectione prima, aut secunda Atheorum quędamin hanc quęstionẽ dicenda erunt. An verò rectè secundũ Philosophiæ principia Venetus locutus fuerit, iã disquirere nolim, vt ad alia, quæ maioris momenti esse videntur, properemus.

Magnã esse hominum ignorationem.

An idem esset, quòd nunc est, si priùs mundus productus esset.

PROBLEMA III.

QVR Abraham dixit, quòd Deus in 32. semitis sapientiæ mundum creauit? An de 32. illis semitis intelligit, quas enumerat in libro de formatione, quem Hebręi Sepher Iezira appellant? An de mensuris illis denarijs cũ significatis per 22. literas alphabeti intelligit? Harum enim literarum tres antiqui Theol. dicunt significare tria elementa, terram, aquam, & ignem, ex quibus omnia componuntur, & conglutinantur per aërem, quem non elementum, sed glutinum elementorũ esse opinantur. Per 7. autem Planetarum massam, & per duodecim, signa Zodiaci denotari asserunt, ex quibus omnia componuntur. Sicut cum illis literis omnia composita enuntiantur. Et ad has semitas demonstrandas, in descriptione fabricæ bis, triciésque nomen Elohim repetitur.

1. Abrahã libro de formatione, qui dicitur Iezira.

2.

AN quia Deus iustitiæ, numero potiùs quàm alio vti voluerit? Hunc enim numerum Pythagoræi iustitiam appellarunt, cùm semper vsque ad vnitatem in partes æquales sit diuisibilis, at omnis in æqualitate iustitia sita est. An quia penes Ægyptios hoc numero hieroghyphicè maritalis copula designabatur, ac iuxta Horum geminæ voluptatis interuentus notabatur, quod in mundi creatione peractum est, in qua & Deus delectabatur veluti ludens per singulos dies in orbis totius conditione, ac vicissim creatura gaudio perfundebatur, dum tot beneficia, dum tot perfectiones à bonitate diuina susciperet. An quia de numeris perfectissimum vsurpare voluerit, videlicet pariter parem, vt non tantùm verum esse dicatur, omnia in numero, sed in excellentissimo numero facta esse.

Tres rationes à Venetinis distinctæ proponuntur, sed quas nõ probo.

Istæ porrò semitæ, sunt reconditæ, & occultæ, inquit R. Iacob Cohen, perque vias multas patres ambulasse, vt in his semitis starent ait R. Ishac, quas à Zadkiele traditas Abrahæ in fœderis traditione narrat; harum semitarum primam intelligẽtiam miraculosam, seu occultã, vel gloriam primam, ad quam nulla essentia creata valeat accedere, de qua R. Salomon Gallus in c. 30. Deutero. videri potest, appellant. 2. est æternæ sapientiæ fundamentum, fideique parens, à quo fides infunditur, dicitur q; intelligẽtia sanctificans. 3. dicitur intelligentia absoluta, quæ est intentio principiorũ; 4. verò munda, seu purificans caballisticas numerationes. 5. fulgida, seu gloria secunda. 6. resplendens. 7. inductiua. 8. radicata. 9. triumphalis, vel æterna. 10. dispositiua. 11. claritatis intelligentia. 12. notata, & insignis raptus. 13. recondita. 14. illuminans, quam Halsmal Ezechielis Angelũ esse volunt, instar electri. 15. subtiliata. 16. fidelis. 17. probatoria. 18. confirmans. 19. est intelligentia voluntatis. 20. constituens. 21. innouans. 22. domus largitatis. 23. intelligentia actiuitatum. 24. medians. 25. collectiua, qua iudicio stellarum fatales euentus astrologi colligunt. 26. adminicularis, concurrens ad omnes influxus Planetarũ. 27. perpetua. 28. corporalis. 29. intelligentia complacentię quæsiti. 30. concitatiua sensuũ. 31. imaginaria. 32. naturalis, qua rerum materialium natura consummatur. Quibus omnibus Caballistæ nos cum Angelis versari, & ad diuinas contemplationes euehi dicunt, itaut nihil sit dictu, aut factu difficile, vt narrat Reuchlinus l. 3. Cabalæ. Vbi hæc omnia cautè legenda sunt, nec enim Catholici semitas eiusmodi, quibus mundum crearit Deus, agnoscunt, nec est vlla alia semita, per quam, & ob quam Deus vniuersa condidit, quàm æterna beneplaciti ratio & voluntas; est autem cõtra fidem catholicam ita Deum in his semitis

Quid sint semitę illę 32. & earum nomina.

Refellũtur 32 semitæ libri Iezira.

semitis creasse mundum, vt in eo fides, corporalis intelligentia, aut imaginaria sita fuerit, vt in 2. 28. & 31. semita proponitur; itaque hic loquendi modus reijciendus est, & falsus: nisi fortè Rabbini sub his ænigmatibus astruere velint, quod passim fatemur, Deum videlicet creando mundum ad suas increatas ideas, vt ad viua & æterna exemplaria respexisse, quæ licet nihil sint aliud, quàm infinita Dei scientia, prout res faciendas, aut creandas, & extra causam emittendas connotat, attamen pro rerum varietate, quarum prototypum gerunt, diuersa nomina sortiri possunt, itaut maior eorum nominum pars, quæ in semitis reponitur ideis diuinis accommodari queat: vel si malueris, in semitis istis Deus mundum producit, quatenus sua creaturis attributa communicat: Hinc enim Petrus est ens, quia diuinæ particeps entitatis efficitur: bonus est, vnus est, verus est, quia Deus optimus, verissimus, & maximè vnus; qua ratione per omnia diuina attributa progredi fas est, nam quicquid habet, à Deo habet omnis creatura. Vnde veluti gradibus quibusdã à creatura possum⁹ ad opificem ascendere, vt eius contemplatione & amore animus accendatur; præcipuè cùm omnia Deus ad suam gloriam, & vtilitatem nostram creauerit, vt ad eius obsequium excitemur, & per hæc, quæ facta sunt, ad illum, per quem facta sunt, gradum faciamus. At de istis 32. semitis, deque toto libro Iezira quem Abrahæ tribuunt agimus Problem. 206. cum Veneto.

4.

Deus mirabilis est in creatione formicæ.

Mirabilia quædam arte facta.

Nouum Problema Venetinis additũ.

Primus modus, quo ad Deũ peruenire possumus.

Quomodo facilè possumus ad Dei contemplationem, & amorem ex creaturis euehi?

An id fieri poterit totam vniuersi molem spectando, quæ veluti liber literis exaratus palam contestatur, ac prædicat gloriam Dei, illiúsque augustissimam maiestatem, arcanam alioquin, & inuisibilem abundè enuntiat tibi intellectili creaturæ, quatenus ad cognitionem attinet veritatis, inquit D. Basilius hom. 11. Hexam. Sic enim Psaltes 142. Psal. Meditatus sum in omnib⁹ operibus tuis, inquit, in factis manuum tuarum meditabar; profectò quæcunque condita sunt, fenestræ sunt, ex quibus magnitudinem Dei videas, inquit August. 8. c. de cognit. veræ vitæ. An quia, si consideramus, quid sint creaturæ, quomodo factæ sunt, & ad quẽ finem, statim Dei potentia, sapientia, bonitasque relucet, vt optimè D. Bernardus serm. 3. Pentecostes animaduertit. An quia creaturam aliquam, vt hominem ad meditationem adducendo, prius in eo spirituale quoddam imaginatione scrutaberis, à quo hominis pulchritudo, viuacitas, vox, motus, sensus, miraque manuum opificia proficiscuntur; quo sublato illa omnia pereunt, ac corpus sine pulchritudine, vita, sensu, motu & industria, vt lignum putridum relinquitur; qua ratione florem marcescere, plantã, & quodlibet animal deperire cernimus, si tantisper sua forma interiori, suo intimo nobis inuisibili destituitur: sic autem paulatim assuefacies, vt ad illum spiritum assurgas, à quo totius mundi virtus emanat; cuius magnitudinem admiraberis, ei te submittes, eum diliges, & in æternum laudabis, ac omnia in illius conspectu parui pendes. An quia dum aliquam creaturam, verbi gratia, formicam exactè perscrutamur, in ea reperimus esse; at Deus maius est ens, vtpote illimitatum, illa ex nihilo facta est: quapropter Angeli licet omnes simul conspirarent, vnicum formicæ pedem ex nihilo creare non possent: proinde Dei potentiam mirare, quæ non solùm vnicam formicam, sed & vniuersa sine labore condidit. In ea formica mirabilis est partiũ varietas, certus numerus, occulta virtus ad se conseruandam, & paruam sobolem propagandam: ô quanta Dei sapientia in illis paruis musculis, neruulis, cæterisq; partibus elucet! vt enim demiramur ampliùs artificẽ, qui paruo spatio multa concludit, (vt patet in ijs, qui scalulas illas tornatiles ferè supra captum humanum, atque trunculos illos elaborant, quorum ludus nouenario numero comprehensus simul cũ globulo pyxide conclusus, imo duo, vel 3. quandoque ludi simul positi, grani vnius frumentacei pondus duntaxat ãdæquant; & in ijs pictoribus, vel sculptoribus, qui statim annulo vndecim millia virginum, aut ingentem rerum aliarum multitudinem paruula tabella concludunt) quàm si colossos ingentes extrueret: ita quodammodo perampliùs Dei potẽtiam admiramur, cùm tot membra in corpore formicæ tam angusto compingit, quàm dum elephantem, aut ingens aliud opus efformat. Profectò miraculum pyxidum multipliciter perforatarum, quæ sæpius quaternario numero sibi ipsis superimponuntur, itaut 3. minores, in ventre maioris includantur, licet nullum adsit foramen, per quod transire potuerint, illud inquam naturale miraculum cessat, dum tot partes sibi inuicem connexas, inclusasque in vna formica cernimus. O quanta, iterum, iterumque, quàm infinita Dei sapientia! at verò cùm *hæc omnia formicæ dederit gratis*, nec enim indigebat, *eius bonitatem adora*: eius amorem *reciproca dilectione* compensa, qui tot *rebus illud animalculũ* in tuam vtilitatem *instruxit: numquid in illa formica*, sicut *& in toto mundo* Deus adest, per essentiam, *præsentiam*, & potentiam? Hæc est eius immensitas. Denique in illius pulchritudine, Dei pulchritudinem: in eo, quòd ei dederit congrua, iustitiam: in eo, quòd eam sustinet, prouidentiam: in eo, quod te delectat, diuinæ voluptatis abyssum: & in omnibus, quæ habet in se, ad ea, quæ sunt in Deo, consurgendo, suspice diuinarum perfectionum ineffabilem pulchritudinem, quæ omnium pulchritudinum perfectiones eminenter, aut formaliter continet: etenim si terra stabilis est, Deus est immutabilis: si mare spatiosum est, Deus est immensus: si aër nobis volentibus nolentibus ingeritur, Deus est, in quo viuimus, mouemur, & sumus; si ignis est in agendo efficax, Deus est omnipotens: si cœlum est incorruptibile, Deus est immortalis; si sol pulcher est, Dei tamen pulchritudinem miratur; si formicæ, si apes, si homo, si Angeli sapientes sint, quanto sapientior, qui vnde saperent, eis tribuit?

2.

3.

Attributa Dei relucent in proprietatibus creaturũ.

PROBLEMA IIII.

MAteria cœli, & terræ, estne eadem? Nonne de hoc iam diu disceptarunt Physici, & tamen adhuc litem sub iudice reliquerunt? An igitur veritatem hanc expectabimus ab ijs, qui semper inter se dissentiunt? An à Mose eam hauriemus, qui edoctus est ab eo, qui vtrumque fecit? Vnde non ignarus, nec ambiguus, sed eruditissimus Philosophus est, à quo perspicuè discere possumus

1.

2.

3.

Gen. 1. aliam & aliam eſſe materiam cœli & terræ ex modo loquendi, quo vtitur, dicens, In principio creauit Deus cœlum & terram, id eſt, materiam cœli & materiam terræ. Nam de vtriuſque materia ibi eſt ſermo; tum quia de forma cœli in ſecundo, & de forma terræ in tertio die pertractat; tum quia apertiſſimè innuit ſe locutum fuiſſe de materia terræ ex ijs quæ ſequuntur, videlicet, Terra autem erat תהו ובהו Tohu Vabohu. Pro quo vulgata editio habet, Inanis, & vacua. Sed *propria* interpretatio habet, Terra erat chaos, & in quo ipſum ſcilicet producendum inerat, in potentia videlicet.

ANTEQVAM ſcire poſſimus an terræ, cœlique materia ſit eadem, breuiter quid ſit materia iuxta communem Philoſophorum opinionem dicendum eſt, non quòd perfectè, claréque cognoſcere velimus, quid ſit ipſa materię natura, aut, vt loquuntur, quidditas, cùm ea ratione, ne quidem vnius rei propriam eſſentiam agnoſcamus; ſed prout opus fuerit ad ea intelligenda, quę poſtea ſubijcientur. Eſt ergo materia commune mutationis ſubiectum, expers corruptionis, ex quo fiunt omnia corpora phyſica, quę ad categoriam ſubſtantię pertinent: Quod ſubiectum ſemper idem remanet, vt conſtat in homine viuo, & mortuo, ligno viridi, & ſicco, cęteriſque, quę corrumpi, atque deſtrui dicuntur; nam quando duæ formæ ſubiectum idem poſſidere nituntur, validior forma cum ſuis accidentibus accidentia alienæ formæ vincentibus ſola ſubiectũ informat. Philoſophus autem verbis ſequentibus materiam definiuit. λέγω γὰρ ὕλην, τὸ καθ' αὑτὸ, ὑποκείμενον ἑκάστῳ, ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνιπάρχοντος μὴ κατὰ συμβεβηκός Phyſic. c. 9. id eſt. Etenim materiam dico, quod proprium eſt vniuſcuiuſque rei ſubiectum, ex quo quidpiam fit, vt non per accidens inſit. Eſt autem materia, potentia paſſiua reſpectu formarum, ad quas non tantùm relationem ſecundum dici, ſed & tranſcendentalem habet; nec enim poſſibilis eſſet materia, ſi forma non eſſet poſſibilis, quę eſt eſſentialiter actus materiæ, quæ propterea à quibuſdam pura potentia phyſica vocatur, tametſi actum illum, quem Metaphyſici entitatiuum vocant, habeat, ſicut & exiſtentiam, & ſubſiſtentiam propriam, quantumuis incompletam, quę potentiæ logicę correſpondet. Pręterea neſcio quem ardentiſſimum appetitum innatum ad formas ſubſtantiales habet materia, ſiue formę illę iam ex eius ſinu eductę fuerint, poſtea tamen corruptę, ſiue non fuerint. At cùm materia creata ſit, non ita dependet ab illis formis, vt non ſine illis virtute diuina exiſtere poſſit; in quam ſententiam nonnulli D. Thomam trahere videntur, qui de potentia Dei ordinaria loquatur, cùm materiam ſine forma exiſtere poſſe negat; quandoquidem ipſe concedit aliquid eſſe poſſe ſine propria exiſtentia, cùm ait Verbum diuinum exiſtentiam humanitatis aſſumptę ſuppleuiſſe, vt eum Thomiſtæ nonnulli explicant; atque adeò licet à forma ſuam exiſtentiam à materia deſumeret, non inde tamen concluderetur eam ſine forma eſſe non poſſe. An verò materies ſuam ex ſe ſubſiſtentiam, quantitatem &c. profundat, parum refert quid quiſpiam aſſerat, nec enim ex aliqua parte quidquam abſurdi conſequi video: quibus præmiſſis, iam ad quarti problematis ſolutionẽ accedamus, videlicet an cœli, terræque materia inter ſe diſtinguatur, necne? Quod antequam oſtendamus, forte videndum eſſet, an cœli materiam habeant, id enim Auerroës c. 2. de ſubſtantia orbis; Durandus in 2. diſt. 12. q. 1. n. 14. & alij negant; vt probent duos actus corporeos eſſe ſine materia, ſicut duos actus ſpirituales, productos eſſe fatemur, Angelum nempe, & animam rationalem, vt mundus omni eſſendi gradu compleretur; vnum ex actibus corporeis formas è materia deductas, & in materia ſubſiſtentes, alium ſine materia, qui cœleſtis ſit, conſtituunt; at in præſentia contrariam ſententiam, vt communi Philoſophorum, Theologorúmque calculo comprobatam ſuppono, nam cùm motum, quantitatem, & alias proprietates ſublunaribus rebus communes in corpore cœleſti percipiamus, ſine dubio à materia, & forma producuntur.

Quid ſit materia.

Ariſtoteles.

An materia cœlorũ, & noſtra ſit eiuſdem ſpeciei. Auerroës.

Iam verò rationes adſunt, quibus terrenæ, cœleſtiſque materiæ identitatem concludamus, ſic enim antiqui exiſtimarunt, vt ex Theodoreto de materia, & mundo; Plutarcho 2. de placitis Philoſ. D. Bonau. in 2. d. 12. q. 1. cæteriſque conſtat; cùm enim materia ſit entium omnium infimum, & à Deo maximè diſtet, ſi terreſtris à cœleſti ſpecie diſtingueretur, vna præſtaret alteri, quæ proinde non ampliùs infima, & prope nihil eſſet apud D. Auguſt. 12. confeſſ. c. 7. & 8. Veruntamen opinio Veneti admodum probabilis eſt, ne dicam probabilior, multi ſiquidem haſce materias ſpecie diſtinctas eſſe ſentiunt, inter quos eſt Scholaſticorum coryphæus 1. p. 466. a. 2. Albertus, Alenſis, &c. Hinc enim fit, vt cœli nullis corruptionibus obnoxij ſint; ſufficiet autem iſtius ſententiæ radicem figere: materia cœli reſpicit formam inſeparabili modo informãtem, ſeu actum ſpecie diſtinctum in ratione formalis actus, vnde fit, vt materia cœli formam ſuam inamiſſibiliter poſſideat, adeo vt ſtellę ex noſtra ſublunari materia educi non poſſint. At vt libenter quod ſentio, fatear, nulla eſt huius, aut alterius ſententię ratio, quę facilem ſolutionem non patiatur, cùm cœlorum incorruptio, aliter defendi poſſit, nec adhuc certum arbitror, quánam ratione cœlorum incorruptibilitas defendi poſſit, an abſolutè quoad omnes, & ſingulas partes, an quoad totum; quomodo elementa incorruptibilia dici poſſunt: nec adhuc ab Eccleſia decretum eſſe video, aut ſcio, quomodo D. Petri locus, in quo cœlos igne cremandos eſſe ait, intelligendus ſit: an nimirum ignis ardore iuxta qualitates, an etiam iuxta ſubſtantiam diſſoluendi ſint. Adde quòd non deſint experientię quędam Aſtrologorum, quę cœlorum corruptibilitatem aſtruere videantur, de quibus ex profeſſo alibi egimus.

Plutarchus.

D. Auguſtinus

D. Thomas.

Incertũ eſſe an differat ſpecie. Vtrumque probabile.

Venetus autem exiſtimare videtur initio Deum condidiſſe materiam cœli, & terrę; quòd ſi velit ſolam terrę, cœlique materiam omni forma deſtitutam creaſſe, non eſt probabile; materiam ſiquidem potiùs concreaſſe, id eſt ſimul cum forma creaſſe, quàm ſimpliciter creaſſe Deum Philoſophi, vel Theologi aſſerunt, tametſi enim terra dicta ſit vacua, & inanis, non ideo tamen eam ſine forma ſubſtantiali dixeris: non enim alij modi deſunt, quibus inanis eſſe demonſtretur, vt in noſtris problematibus dicendum eſt. Addidit etiam aliquid,

aliquid quod non immeritò reprehendit Index expurgatorius ſępiùs à nobis poſtea citandus, qui iuſſu Illuſtriſſimi Bernardi de Sandoual, & Roxas Cardinalis tituli S. Anaſtaſię, necnon Generalis Inquiſitoris editus fuit: hic enim vbi in fine problematis legitur, propria interpretatio, pro, *propria*, ſcribi iubet, aliena; nec enim in noſtra editione vulgata legitur, chaos, ſed inanis, & vacua: nihil autem in tribus problematibus prioribus reprehẽſione dignum huiuſce Indicis authores animaduerterunt, tametſi ex Indice Veneti problematibus prefixo, deleri velint, *Dæmones corporei*, &c. & *Paradiſus terreſtris*, &c.

PROBLEMA V.

QVOMODO & à quo Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas? *Si ferebatur, haberemus in veritate literæ, bonum vtique eſſet quæſitum.* Sed cùm מרחפת Merachephet habeamus (quod propriè volitando confouebat, ſignificat) ceſſat quæſtio. Sed cur volitabat ſuper aquas? Nonne quia principium generationis eſt calidum, & humidum, & ex calido, & humido genera conſeruantur? Semen enim omnium animalium aqueum eſt, calore quodam animantis Spiritus confotum. Plantæ quoque, quamuis earum ſemen videatur terreum, tamen non producunt, niſi caliditate & humiditate ſuffultæ. Nam altero illorum deficiente planta minimè pullulat. Vt igitur innueretur, quale ſit geniturę rerum principium, dictum eſt, quòd Spiritus Elohim igneus (vt nomen illud Elohim indicat peritis in priſca Theologia) confouebat calore ſuo aquas, quæ verbum Dei & ſapientia ſunt: vt pleriſque in locis, & potiſſimè in Eccleſiaſtico habemus, vbi dicitur, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum. Quæ duo adeò ſunt coniuncta in omni fabrica, vt neutrum illorum ſeparetur, ſed ſemper alterum altero adiunctum coagat. Hinc Pſalmographus canit, Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Propterea quoque de regeneratione dictum eſt, Niſi quis renatus fuerit ex aqua (quæ videlicet filius eſt, cuius hæc elementaris eſt ſignum ſacramentale) & Spirituſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Et de profectu ſpirituali dicit filius Dei, qui eſt vera aqua, Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et ad tollendam ambiguitatem interpretandi, ait Euangeliſta, Hoc autem dixit de Spirituſancto, quem accepturi erant credentes. Qui Spiritus ex aqua ſapientiæ, id eſt ex cognitione, quam habemus de Deo, generatur in nobis. Et quamuis originaliter aqueus in ſe ſit, tamen formaliter (vt aiunt) igneus eſt.

Eccleſi. 15.

Pſal. 32.

Ioan. 3.

Ioan. 4.

Ioan. 7.

Diuerſæ verſiones.

DICTIO Hebraïca מרחפת eſt participium à verbo רחף, quę incubationem, & agitationem ſignificat; ſignificat etiam velare, nam vbi in cantico Moſis habetur, ſuper eos volitans, hęc dictio ponitur, quod Hebręi explicant, deſuper incumbens, ac ſi perdix aut gallina ſuper oua incubaret: nam D. Baſilius ait ſibi relatum à quodam Syro, quòd illud verbum eam quam diximus ſignificationem haberet, vt ſicut auis vitalem quandam vim ouis infundit, ita Spiritus aquas confouendo, & viuificando eas procreabiles effecerit. Ita Diodorus. Chaldaica paraphraſis habet inſufflabat ſuper aquarum ſuperficiem, ſic & Onkelus & ferè Ionathas. Paguinus & Vatablus, agitabat ſeſe in ſuperficie aquarum; D. Auguſtinus idem refert l. 1. c. 18. de gen. ad liter. quod Baſilius ſuprà. Sanè difficillimum eſt aſſignare, an actiuè vel paſſiuè ſumẽdum ſit illud Merachephet, nam ſi de aëre, aut vento, cùm à ſe non agitentur, ſed ab alio, paſſiuè intelligitur; ſi de Spiritu ſancto, actiuè, at de his alibi. Nota verò cautè intelligendum eſſe Venetum, dum ait Spiritum ſanctum ex noſtra de Deo cognitione oriri: quod eatenus duntaxat verum eſt, quatenus diuinarum perfectionum contemplatio eſt vna ex præparationibus, quam requirit vt charitatem diffundat in cordibus noſtris: niſi quis dixerit ipſam cognitionem, cùm ſit effectus Spiritus ſancti, nam opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, eiuſdem nomen deſumere, quod tamen valde impropriè diceretur: Sic etiam cùm eum originaliter aqueum eſſe vult, ſi verbis illius conceptus reſponderit, ſine dubio minimè verum eſt, nec enim aqueus, aut igneus poteſt eſſe Deus, nec formaliter, nec originaliter, ſed eminenter duntaxat, quia non ea Deus in ſe formaliter continet, quę imperfectionẽ aliquam inuoluũt, originaliter verò Deus, vt Deus nullam habet originem, aut principium: Spiritus ſanctus habet à Patre & Filio originem: ſed quomodo aqueus originaliter dici poteſt, quomodo formaliter igneus? licet enim per aliquam analogiam ignis & aquæ effectus, imo & nomina Deo tribuantur; vt cùm dicitur aqua ſapientiæ ſalutaris potauit eos; Deus noſter ignis conſumens eſt, non ideo tamen his terminis originem, & formam ſignificantibus vtendum eſt niſi quatenus Eccleſia his vtitur, & eo ſenſu quo vtitur. Ex hoc problemate rectè iuber Index expurgatorius deleri verba ſequentia, quæ poſita ſunt initio problematis, *Si ferebatur, haberemus in veritate literæ, bonum vtique eſſet quæſitum*, cùm reuera editio vulgata cæteris anteponenda, legat, ferebatur, ac proinde in veritate literæ habemus, *ferebatur*; nec enim textus Hebraicus, qui circunfertur authoritati vulgatæ editionis vllatenus præferri debet, imo vitiatus eſt, & corruptus, vt ad Problema 189. oſtendam.

Baſilius.

D. Auguſt.

Qua ratione nomina creaturarum Deo & Spiritui ſancto tribui poſſint.

PROBLEMA VI.

QVR dixit Deus sit lux? An de luce aduentitia intelligitur, vt aliqui opinantur 1.
de nubecula quadã, quousque sol produceretur? An de luce illa, de qua Ioannes ait, Quod factum est in ipso vita erat: & vita erat lux. Per vitam enim illam sapientes communi sententia interpretantur esse ideale, & viuum, quod omnia habent in verbo, iuxta dictum Arati ab Apostolo commendatum, In ipso viuimus, mouemur & sumus. Et ab hac luce vnumquodque habet, vt sit,
viuat, informetur & appareat: vt de ipsa loquendo exponit Plato. An de particularibus 2.
formis est sermo, quas extractas à ratione ideali iubet Deus inesse rebus? Quæ quidem formæ cùm bonæ sint, & perficientes materiam, ideo dictum est, Et vidit Deus, quòd esset bonum. Et cùm expulerint tenebras, quæ erant super faciem abyssi. 1. materiæ informis, dictæ sunt lux.

SECVNDA ratio cautè legenda, lux enim, & splendor patris, nempè verbum æternum non est factum, nec pater producendo filium dixit, fiat; quod solùm dicitur ob aliqua opera ad extra ponenda, nec ideæ factæ sunt, sed increatæ, & ipsemet Deus: deinde non propriè dicitur formas creatas ab ideis extrahi, id enim significat formas esse quasdam particulas idearum diuinarum, quod est falsum & impossibile: dicuntur autem imitari, & esse idearum effectus, ac velut imagines. Cętera quę de luce difficilia sunt in peculiari quæstione de luce fusè discussimus.

Ideæ diuinæ sũt ipse Deus.

PROBLEMA VII.

QVOMODO, & cur diuisa est lux à tenebris? An hoc intelligitur de nocte, & 1. Gen. 1.
die communi, vt videtur innuere contextus? An de forma, & materia est sermo: quæ quamuis vnum compositum efficiant, tamen inter se distinctæ sunt, 2. Physic. 1.
vt dicantur duo principia à naturalibus? An de distinctione Angelorum lucis 3.
ab Angelis tenebrarum loquitur Moses, vt nonnulli opinantur? Sed cum adhuc de eorum productione nihil habeatur, quomodo de ipsorum diuisione agitur? An igitur (vt secretiores Theologi docent) de separatione speculi lucentis à speculo non lucente 4.
intelligitur: quorum primo respondet sol, qui præest diei, alteri verò luna noctis dominatrix. *Hinc ipsis distinctis fiebant duo sacrificia, matutinum videlicet luci, & diei; vespertinum autem parti illi obscuriori. De quibus suo loco disseremus.*

NON eo sensu lux à tenebris diuisa est, quo Philosophi distinguunt, ex se enim ambæ distinctæ sunt, vt actus & priuatio, quæ distinguuntur formaliter, sibique perpetuò aduersantur; sed tunc Deus ordinauit perpetuas lucis, & tenebrarum vices, vt lux tenebris, & tenebræ luci perpetuò succedant certa duratione alterna, vt sic vno Hemisphærio illustrato, aliud tenebris occuparetur: cæteri sensus non ita genuini sunt, sed metaphorici, & mystici. A quibus autem ea sacrificia fierent, non dixit Venetus: certum est non à populo Dei, sed à gentilibus, qui soli, lunæque thus offerebant, eaque pro dijs venerabantur. Post ea verba: luna noctis dominatrix, cætera iubent expungi scriptores Indicis expurgatorij.

PROBLEMA VIII.

QVOMODO dicitur dies confectus ex vespere, & mane? An Deus interminatæ virtutis opifex, penitus absolutus à tempore, indiget tempore in operando? 1. Gen. 1.
Nonne sapiens ait, Qui manet in æternum, creauit omnia simul? An igitur illa 2.
dierum compositio, & enumeratio refertur (vt Augustino placet) ad perfectam cognitionem Angelorum; quæ integratur ex visione matutina (in verbo videlicet) & vespertina, scilicet in genere proprio? Sed cùm Angeli vt dictum est, non habeantur adhuc producti, *arbitraria* videtur hæc interpretatio; nisi sequi voluerimus aliquos dicentes quatuor fuisse primò producta, cœlum, terram, tempus, & naturam Angelicam, quod
alijs reliquerunt probandum. An igitur ex materia tenebrosa, hinc vespere dicta, & ex 3.
materia lucida, hinc mane dicta, factum fuisse compositum intelligitur? Præmittitur enim vespertina, & obscura materia, in quam forma est introducenda. An (vt altiùs conscendamus) ex obscura materia, & ideali ratione, quæ vita, & lux dicitur, vnumquodque compositum fieri designatur? In quo lucis fonte cùm omnia sustententur, & ab eo habeant, vt sint, ideo diuinitùs dixit Parmenides omnia esse vnum. Hinc ipsum Plato ritè celebrat, falsò autem impugnat Aristoteles.

Eccl. 18. Super Genes.

Plato in Parmenide 1. Physica.

DIFFICILE

DIFFICILE est assignare quonam modo vespere illud, & mane sumi debeant: numquid matutino tempore cœlum, & terra creata sunt, ac super faciem terræ tenebræ, & abyssus fuit, super quam Spiritus ferebatur vsque ad meridiem, in qua lux facta est, quæ durarit vsque ad vesperam, & eatenus tenebræ, & lux per 12. horas durarint, quas 12. noctis horæ secutæ sunt, vt ex ijs fieret dies vnus 24. horarum ex vespere, & manè, vt Moses noctem, & diem per sui terminum significarit, vt censet Ægid. Roman. 1. p. Hexam. c. 6. sic autem habent diuersi textus; Hebraïcus. Et factum est vespere, & factum est manè, nam hæc verba בקר. ערב, vespere, & manè significant; Græcus; καὶ ἐγένετο ἑσπέρα, καὶ ἐγένετο πρωΐ. Dictio Hereb, dicitur à Harab, id est ligare, obligare; & quia vespera diem cum nocte ligat, crepusculum & vesperam significat; etenim nec propriè dies est, neque nox, cùm apparet crepusculum; vnde Latini res incertas, creperas vocant, inquit Vuielmus lect. 11. vesperam autem concedit esse ligamentum, sed quod nos aliquantulum feriari obliget; manus enim ligari videntur, ne consueta, & diurna opera transigant, imo & pedes ne ambulent; nam post diutinum laborem sensus omnes sopiũtur, donec somno reparẽtur, vnde Psaltes; Exibit homo ad operationem suam vsque ad vesperam; de his autem postea fusiùs; sed cùm Venetus 3. explicationes afferat, nulla est litteralis; 1. cùm sit D. Augustini videbitur infra; 2. est admodum impropria, vt formam vocet manè, & materiem vesperam; 3. falsa est prout sonat; nulla enim est idealis ratio rerum, quæ ad earum productionem concurrat, præter rationem æternam diuinarum idearum, quæ non ingreditur vllius rei compositionem; vnde perperam fecit, cùm Parmenidi fauit; quem rectè impugnauit Aristoteles; cùm omnia nec numero, nec genere, nec specie, nec vlla alia vera ratione vnum esse possint, quod nec ipse Plato negaret. Index expurgatorius pro, *arbitraria*, scribi iubet, *non tam probabilis.*

Explicatur dictio. ערב.

PROBLEMA IX.

QVR eo ordine describit Moses dies illos constitui ex vespere, & manè? An 1.
vt enarrentur dies fabricæ secundum naturalem distinctionem dierum? Sed
cur præmittit vespere, & postea manè subinfert? An igitur (vt suprà tactum 2.
est) vt ex vespere rerum creatarum, & ex fonte illius lucis, & vitæ declarentur res constitutæ, & in suam perfectionem redactæ? Nam res, præsupposito subiecto, suscipit esse, & perfectionem per formam, quæ à datore formarum, & vitæ fonte emanat, per quam & illuc vnde venit, vnumquodque pro captu suo reducitur; quod pertinet ad bonitatem; Et ideo dicitur, & vidit Deus quod bonum; Ex præiecto igitur subiecto, quod tenebrosum est, & de natura *mali*; & ex forma subsequente, quæ lucida est, & bona, fit dies integer, id est compositum.

HOC Problema pendet à precedenti; nec intelligi potest quomodo ex vespere rerum creatarum, & fonte lucis, sine Deo res constitui potuêre, itaut fons lucis vnum cum rebus creatis fieret, nisi velit Deum quidem non ingredi compositionem, sed res istas facere, & constituere; nam sine ipso factum est nihil; sed si vult hoc, vt est verosimile, cur non id clariùs edisserebat, cùm sępiùs fœdos in errores multi propter verborum obscuritatem impingere soleant? Quod infrà subiunxit, formam à Deo manare verum est, sed & materię dubio procul, & quęcúnque vllam habent entitatem, ab eo proficiscuntur; nec ita nos forma reducit ad Deum, quin ipse Deus nos magis ad se ipsum reducat; nec enim quidquam possumus nisi diuina virtute promoueamur. Miror etiam quod subiectum tenebrosum seu materiam esse de natura mali scribat, cùm sciret Manichæi hunc errorem à D. August. toties explosum; quòd si tenebras, prout solam includunt priuationem, malas vocare voluisset, erat cautione vtendum; nimirum esse quidem malas physicè, quia nihil sunt; non autem moraliter. Loco particulę, *mali*, Index scribi iubet; *imperfecti.*

Deus nullius rei compositionem ingreditur.

PROBLEMA X.

SI cœlum, & terra facta sunt primo die, cur de fabrica cœlorum in secundo Gen. 1.
die subditur? Nonne, vt diximus, producta fuit in principio materia cœli, iactúmque rerum fundamentum; in 2. verò die data est forma cœlis? Qui quidem cœli extensi fuerunt in figuram sphæricam, sicut innuit verbum illud רקיע Rachiah; quod *non* propriè firmamentum significat (vt habet vulgata editio) *sed* expansum, extensum & ampliatum quoddam; veluti frustum auri vel argenti malleo diligenter percussum. Vnde facilè possumus intelligere totum globum & massam cœlorum fuisse circunductam cum distinctione vniuscuiusque orbis suo loco conclusi, ornandi postea syderibus, de quibus in 4. die pertractatur.

NON eſt parua difficultas, an primo die cœli omnes fabricati ſint; an tantùm cœlum empyreum futura beatorum ſedes; an primum mobile: an verò firmamentum cum cęteris cœlis inferioribus in ſecundum diem reſeruatum fuerit, de quo nunc fit ſermo; nam 70. verterunt στερέωμα; at cùm verbum Rachia, quod dicitur à רקע extendere, ſignificet extenſionem, vt patet Exod. 39. vbi dicitur, extendent laminas aureas; poſſumus hîc explicare aërem, qui vulgò cœlum dicitur, qui ſit velut διαχώρημα, interſtitium, & interſepimentum inter ſuperiores aquas, quas in ſublimem aërem coëgit Deus, vt ex ijs cùm opus eſſet, terra irrigaretur, ac fœcundaretur; ſic enim explicant nonnulli illud pſalmi 148. & aquæ omnes, quę ſuper cœlos ſunt: quod autem Rachia ſignificet hoc loco aërem, probant ex eo quod ה quater additum dictioni Rachia deſignat aërem, quem etiam à maioribus ſuis dictum eſſe cœlum teſtatur Plin. l. 2. c. 38. & Lucretius his verſibus:

Explicatur. רקע. — Pſalm. 148. — Lucretius.

Sunt etiam, quæ ſponte ſua gignuntur, & ipſa
Conſtituuntur in hoc cœlo, qui dicitur aër.

Pſal. 19. Pſalmo 19. & opera manuum eius annuntiat firmamentum; ibi habetur Rachia, quo omnia, quę fiunt in aëre quidam intelligunt, quia iam cœli ſyderei nominati fuerant; ſic enim Chaldæus interpres ait: & opera manuum eius demonſtrant, qui rimantur aëra; nam Rachia exponit per אוירא; ſic etiam exiſtimat R. Aben-Ezra, & Genebrardus, & Steuchus in hunc pſal. Eodem ſenſu Ezechielis 1. vſurpatur, vbi ponitur cum ה haieda, & Deuter. 28. verſ. 23. cùm minatur Deus cœlos æneos futuros, quia nimirum non dabunt pluuias, ſic etiam locum Daniel. c. 12. verſ. 3. explicant, dum promittitur iuſtis futurum, vt ſplendeant ſicut lux firmamenti: quòd ſi de cœlo ſydereo intelligis, non poteſt à nobis cerni ob nimiam eius tenuitatem: at aëris ſplendor diuerſus eſt, dum ſtatim apparet cæruleus, mox rubicundus &c. & quidem ſuprema pars cœlo propinqua non videtur, quia nullum colorem ob nimiam ſubtilitatem, nec lucem, quam percipiamus, habet; at pars aëris impurior, ſeu meteorica, quę velut in 3. regiones diſpeſcitur, nigricans, albicans, & cærulea videri poteſt: nigricans enim nubes vaporoſas, & exhalationes aqueas continet, vbi aër eſt craſſior circa Horizontem: alia pars albicat in crepuſculis, ac lucido colore cernitur; tertia pars eſt cęrulea; itaque hunc Danielis locum exiſtimat de aëre hoc triplici multifarium colorem admittente debere intelligi Conradus Aſlacus; at probabilius eſt eam regionem; quam cæruleam videmus, eſſe ſupremum aërem omni nube, & vapore deſtitutum; quouſque verò noſtrorum oculorum acies pertingat, dum in aërem puriſſimum intenditur, quis explicare valeat? nam cùm nubibus obducitur cœlum, ſi nubes à nobis per milliare vnum, aut plures abeſt, illuc tenus vis oculi terminatur: at verò ſi nubem, & quidpiam aliud extrinſecum tollas, an oculi protendantur vlteriùs, quàm anteà, & quouſque, dictu impoſſibile nobis exiſtimo; at ſiue per vnam leucam, ſiue per 20. ſiue per 100. aut mille, vel etiam ampliùs penetret acies, donec ab aëris profunditate finiatur, certum eſt illud cæruleum, non eſſe colorem verum, ſed ementitum duntaxat; quoties ſiquidem in aliquod profundum, aut vaſtam amplitudinem, & longitudinem fertur oculus, nec aliquid ſolidi occurrit; quod videtur, abit in nigredinem, & tenebras. Confirmant dictionē Rachia ſignificare aërem, ex eo quòd ita cenſeat R. D. Kimhi, & Thargum Hieroſolymitanum, vt refert Elias in ſuis Obſeruat. in Lexicon Kimhi, & R. Salomon, & Ioſephus, imo & D. Auguſtinus li. 2. de Gen. ad liter. c. 4. Sic enim ſumitur in Scriptura, cùm dicitur, volucres cœli, quas manifeſtum eſt in hoc aëre volare; & ipſe Chriſtus, dum ait tempeſtatem prædici poſſe, vocat aërē, faciem cœli; dicitur itaque aër firmamentum ex D. Aug. quia diuidit inter vapores aquarum, & iſtas aquas, quæ corpulentiùs in terris fluitant; qui pulchrè modum, quo pluuia generatur, ibidem explanat: *Et nubes quippe, ſicut experti ſunt, qui inter eas in montibus ambulauerunt, congregatione, & conglobatione minutiſſimarum guttarum talem ſpeciem reddunt; quæ ſi ſpiſſantur amplius vt coniungantur in vnam grandem plures guttæ minimæ, non eam patitur aër apud ſe teneri, ſed eius ponderi ad ima dat locum, & hæc eſt pluuia;* quibus addit; *Ergo ex aëre, qui eſt inter vapores humidos, vnde ſuperius nubila conglobantur, & maria ſubterfuſa, oſtendere ille voluit eſſe cœlum inter aquam & aquam. Hanc ergo diligentiam conſiderationémque laude digniſſimam iudico: Quod enim dixit neque contra fidem eſt, & in promptu poſito documento credi poteſt*, cuius etiam ſententiæ fuit D. Baſil. Hom. 3. in Hex. & Ambr. l. 2. c. 4. & Arias Montanus de arcano ſermone. Quod autem hanc maximè ſententiam iuuare videtur; volūt Rachia denotare quandam expanſionem non ſolidam, duram & adamantinam, ſed ſubtiliſſimam, & rariſſimam; vnde qui firmamentum ſydereum hîc explicant Rachia, non ideo tamen cōficiunt eſſe ſolidum, & firmum; etenim D. Baſilius ait cœli naturam eſſe λεπτὴν ὡσεὶ καπνὸν tenuem, vt fumum; D. Hieronymus inſtar nihili extenſam, id eſt rariſſimè, vnde Rachia denotabit corpus tenue & diffuſum. Conradus ille contra neſcio quem agens, qui mordicùs ſuſtinebat per Rachia, intelligi cœlum ſtellatum, ſuper quod eſſent aquæ, notat Rachia ſumi 12. pro aëre, ter verò pro firmamento: pro aëre, & firmamento ſemel duntaxat; ſed alia quædam in noſtris quæſtiunculis addentur cùm varias explicationes firmamenti, & aquarum afferam. Index iubet expungi *non*, & reponi coniunctionem, *&*, pro *ſed*: verùm id magis diſcuſſimus proprio loco.

De magnitudine aëris, & ætheris, & quantū ſit ſpatium vſque ad ſtellas, ad quas vis oculi pertingit, vide geneſis initio in queſtiō. noſtris. — D. Auguſt. — An cœli ſint ſolidi vide in quæſtionib. in primū caput Geneſ.

PROBLEMA XI.

CVM in primo die creata fuerit terra, cur de ipſa in tertio die tractatur? Nonne, vt dictum eſt, creata fuit primò materia terræ in chaos quoddam confuſum, & aqua permixtum; in tertio autem die, vel ordine, congregatis aquis ad locum vnum, data eſt terræ forma? Quæ quidem terra ab aqua penitus ſeparata, arida dicitur, frigidæ videlicet ſiccæque naturæ, vt omnes Naturales conueniunt; vnde & infœcunda, niſi irrigetur aqua, & calore debito foueatur. 1. Gen. 1.

QVOD

QVÒD ait datam fuiſſe terræ formam tertio die, niſi bene percipias, non vſquequáque verum eſt, nam die primo ſuam formam eſſentialem habuit; imò, & extrinſecam; fuit enim, vt exiſtimo, rotunda, & aquis contecta, quæ eam inuiſibilem reddebant; die verò tertia fuit tantùm ab aquis ſeparata, vnde dictum eſt, arida יבשה, & non terra ארץ; niſi vellet id Venetus de forma intelligi, quatenus figura viſibilis reddita eſt, cùm antea multis aquis obrueretur; at de his abundè diximus in propriis Annotationibus.

PROBLEMA XII.

CVR maſſa illa, vel globus cœlorum locatus fuit intra aquas ſupramundanas, & inferiores? Nonne aquæ ſupramundanæ ſunt rerum producendarum fons & origo, vt ſuprà tactum eſt, & latiùs infra dicetur? Hinc ne huiuſmodi aquæ, quæ ſunt in fonte infinitæ, & interminatæ bonitatis, inferiora plus æquo irrigarent, interpoſitum fuit obſtaculum, in quo librarentur omnia inferiùs diffundenda, tam in naturali, quàm in gratuito influxu. Per ſigna enim, & planetas libratur quicquid inferiùs diſtribuitur; vt vnumquodque accipiat, quantum decet. Per intelligentias verò cœlis præſidentes, aut per alios miniſtros ſummi moderatoris, trutinantur omnia gratuita mortalibus *ſecundum eorum naturalem diſpoſitionem* condonanda, ſicut à ſummo doctore edocemur, qui ait; Vni dedit quinque talenta, donorum ſcilicet gratuitorum, alij verò duo, alij autem vnum, vnicuique ſecundum propriam virtutem *naturalium* donorum videlicet. 1.

HANC quæſtionem excitat, ſupponendo aquam eſſe ſuper cœlos ſydereos; iuxta id quod dictum eſt, firmamentum productum fuiſſe, vt diuideret aquas ab aquis; ſed quo ſenſu id intelligendum ſit, in noſtris quæſtionibus diſcutiemus. Imprimis autem cauenda eſt hîc doctrina Platonicorum, vel potiùs nugeculæ; neque enim, ſi conceſſerimus aquas ſupercœleſtes, eas rerum omnium originem facere debemus, aut poſſumus, cùm ipſæ, (ſi quæ ſint) à Deo, vt & cætera, productæ fuerint. Conſequenter errat, dum inſinuat ab illis aquis non potuiſſe mūdum, prout par erat, irrigari; etenim ſi aquas pro diuina bonitate ſumat, cùm eas in fonte infinitæ bonitatis collocet, qualis eſt ſola diuina, non indiget vllo interſtitio, vt vnicuique diſtribuat, prout natura rerum poſtulare videtur; ſi verò de prædictis aquis loquatur, malè eas in fonte bonitatis infinitæ ponit: nam licet omnia ſint in Deo eminenter, id tamen neſcio quam infinitam virtutem aquis tribuit, cùm omnia præter Deum terminata ſint. Falſum eſt etiam, quòd omnia, quæ à Deo ſumimus, librentur in aſtris, aut per aſtra; quod licet de beneficijs corporeis nobis cum animali quolibet communibus verum eſſet; falſum tamen eſt de ſpiritualibus, quæ concernunt animam, quæ à Deo immediatè accipimus; ſed de aſtrorum in nos, & in cætera inferiora beneficijs & influxibus aliàs, & plura iam diximus. Neque eſt Angelorum trutinare ea, quæ Deus nobis impertit, alioquin fortè ſibi Incarnationis beneficium, arrogaſſent; non quòd Incarnatio fuiſſet in eis, qui carnis ſunt expertes, ſed, vt aſſumptione naturæ Angelicæ ad hypoſtaticam verbi coniunctionem omnes illuſtriores efficerentur: imò non deſunt, qui deſertores Angelos ideo peccaſſe cenſeant, quòd nobis tantum beneficium inuiderint. Cæterùm Deus nobis per ſe immediatè, & non per Angelos, gratiam, fidem, charitatem, cæteráque ſalutis dona diſpertit, licet ijs ad noſtram inſcitiam detergendam, & intellectum perfectiùs illuſtrandum, ſi lubet, vti poſſit: At de Angelorum erga nos officio, alibi. Denique quod talenta de donis naturalibus explicat; de ſupernaturalibus etiam poſſet explicari, de quibus interpretes ad caput 25. Matthęi. Index deleri iubet *ſecundum eorum naturalem diſpoſitionem*; & particulam, *naturalium*; & quidem rectè; nec enim ſpectat naturalem diſpoſitionem, cùm aliqua dona gratuita alicui confert. Math. 25

Quòd non omnia per cœlum Deus nobis concedat.

PROBLEMA XIII.

3. Reg. 7. QVID innuit mare illud æneum, quod Salomon in templo locauit? Nonne fecit Salomon vas illud ad inſtar conchæ maris, vt in ipſo (magno myſterio) colligeret aquas, ſignificantes aquas ſapiētiæ ſalutaris, quas nobis obtulit ipſe fons ſapientiæ, dicens: Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Quod myſterium innuit menſura vaſis illius, quæ dicitur Hebraicè בת bat, quod eſt ſigillum ſupremæ ſapientiæ, quæ eſt vera aqua ſupermundana, vt ſecretiores Theologi docent. Nec vacat à myſterio, quod dicitur de vaſis illius capacitate duorum videlicet milium בת bat. Sicut enim bat ſapientiæ illi competit, ſic & binarius, & millenarius; nam numerus binarius pertinet ad ſecundam perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis. Millenarius verò (qui eſt cubus denarij, numeri conſummati) Dei proprius eſt, vt ſapiens perhibet in fine ſui celeberrimi Cantici, dicens (vt in veritate Hebraica habetur) Mille tibi Selomo, qui videlicet es pax tibi ipſi; pro quo com- 1.

Ioan. 7. — בת quid ſit. — De binario, & millenario. — Cant. vlt.

munis traductio habet, Mille tui pacifici. Quæ menſura, ſi ad libras reducatur, continet 2376000. id eſt, duo millia millium, tercentum, & ſeptuaginta ſex millia librarum, ſecundum communem vſum. Nam, vt Hieronymus perhibet, Bat continet tres modios; modius autem trecentas, & nonaginta ſex libras. In quo computo poſtremò ſupputato computantur millenarij millenariorum, millenarij, centenarij, denarij & numeri, quibus omnia diſtributa ſunt, & numerantur, & in eo quod ſunt in aqua vel mari millenarij reperiuntur conducta per ipſum millenarium, aquæ videlicet, ſupramundanæ, & ſapientiæ, in qua ſuſtentantur. Vnde per illud mare, Salomon innuere voluit (magno ſacramento) omnigenam productionem factam per aquam ſupramundanam, per illud mare repræſentatam. Super Ezechiel. 41.

HVNC libri Regum locum attulit, vt aquas de quibus problemate 12. dixerat, de ſapientia æterna explicaret, quapropter aquas maris ænei ad ſenſum myſticum trahit, quod non reprehendo. Licet enim, & laude dignum eſt, ſi quis, vero ſenſu literali præſuppoſito, ſenſus ſpirituales ex Scriptura veteris teſtamenti diuerſos eruat, dummodo nulli doctrinæ ſanæ præiudicent; non ita tamen aptè concinnat in illis numeris ſenſum: etenim vbi millenarium applicat patri, filio potuiſſet æquè, imo fortè conuenientiùs tribui, cùm Selomo repræſentet filium. Quod addit de menſura Bat, alibi meliùs explicari poterunt, quando de menſuris, & monetis Iudæorum agetur. Denique ſi per numeros illos tantummodo vellet Deum omnia in numero feciſſe, conſentio: at cùm tam obſcurè loquatur de rerum productione per millenarium conductarum ab aqua ſupramundana ſapientiæ, hic loquendi modus vitandus eſt, ne pro Chriſtiana veritate, Platonicum ſenſum, ac Caballas Rabinicas amplecti videamur, quibus vbique nimiũ addictus eſſe videtur ille Georgius.

PROBLEMA XIIII.

VR ſcriptum eſt, quòd in fabrica templi, typum mundi gerentis, non fuit auditus malleus, nec ſecuris, nec vllum genus ferramenti? Nonne quia vtrumque templum, mundanum videlicet, & artificiale, fabricatum eſt cum pietate, ſecluſa omni ſeueritate ferrea? Sed nonne Elohim, nomen ſeueritatis inducitur opifex? Non quippe ad ſeueritatem iuſtitiæ, ſed ad diligentiſſimam graduum rerum diſtributionẽ introducitur: Si quid autem aſperitatis ſentit homo, illam per peccatum ſibi comparauit. Hinc primo tranſgreſſori dictum eſt; Maledicta terra in tranſgreſſione tua (vt habet veritas Hebraïca) quæ ſpinas, & tribulos germinabit tibi, in laboréque comedes ex ea. 3.Reg.6. I. Geneſ.2. Geneſ.3.

HÆC explicatio non eſt literalis, ſed myſtica, & veluti allegorica, quia creationem mundi, ad templi Salomonici fabricam, aut vice verſa refert; non autem deſunt qui dicant lapides & ligna partim in monte Libano, partim alibi debitis inſtrumentis, tam ferreis & chalybeis, quàm alijs neceſſarijs fuiſſe præparata, ne poſtea malleorum ictus audirentur in ædificando templo; ſed hæc aliàs. In Hebræo, pro eo quod habemus, *in opere tuo*, habetur, *propter te*, Bahauoureca בעבורך: & pro, in labore tuo, ponitur verbum עצב hatſaf, ſignificárque dolorem, & triſtitiam tam animi, quàm corporis; ſed non reperio quòd tranſgreſſionem ſignificet; idolum etiam ſignificat, quod veluti dolore Deum afficit.

PROBLEMA XV.

VR dictum eſt de ligno fructifero, cuius ſemen ſit in eo? Nonne conueniens fuit, vt à principio ſummus opifex locaret virtutem ſeminariam in ſemine, cùm ſine ea germinare nequiret? Nam (vt ſapientes rectè decernunt) nihil gignit ſeipſum, vt ſit. Nec attribuatur id naturæ, cùm opus naturæ, vt rectè ſentit Auerroës, ſit opus intelligentiæ non errantis, Dei videlicet iubentis, aut intelligentiæ præſidentis; per quam veluti per miniſtrum, vel cauſam ſecundariam influit ille, qui (vt Apoſtolus ait) operatur omnia in omnibus. Qui à principio eum ordinem rebus indidit, quem ipſæ inuariabiliter proſequuntur. Auguſt. 1. de Trinit. & 2. de anima. Auer. 12. metaph. 1. Cor. 12

TANTVMMODÒ cauendum eſt hîc, ne ſingulis rebus, vt roſis, lilijs, verbenæ, cæteriſque creaturis exiſtimemus intelligentias quaſdam præſides, quæ has virtutes, quas vnaque res habet, influant: nec enim vllus Angelus poteſt dare huic, aut illi creaturæ, vt hoc aut illud poſſit, huic aut illi plantę, aut alteri mixto, vt hunc, aut illum morbum tollat, aut inducat: cùm nihil niſi per motum localem operentur Angeli boni, maliue, dum in corpora agunt: enimuerò, ſi quam virtutem, Quid non poſſint Angeli.

virtutem, & proprietatem aliqua creatura ſortiatur, id immediatè habet à Deo, qui in primæua rerum omnium cõditione vnicuique prout vniuſcuiuſque natura poſtulabat, liberaliter diſtribuit; quod ideo notandum eſſe duxi, ne quis magus genijs Platonicis, aut Socraticis innixus, omnia ab illis fieri exiſtimet, & influentias cœleſtes eo mediante, ad ea quę voluerit, applicare ſe poſſe confidat.

PROBLEMA XVI.

I. VR luminaria magna dicuntur facta fuiſſe quarto die ſimul cum ſtellis? Nonne vt ſeruaretur debitus ordo rerum? Nam primò deſcribitur producta omnium rerum materia. Secundò, cœlorum diſpoſitio, qui terram circumeunt, & maſculea quadam virtute agunt in eam. Tertiò, terra ipſa veluti matrix ſuſcipiens cœlorum influxum, aut ſemen. Quartò luminaria & ſydera, per quorum radios cœli terram attingunt, quia corporeum non operatur, niſi per contactum. Poſtea ſubinfertur productio animalium & aliarum rerum, quæ ab huiuſmodi naturali coniugio producuntur. Hinc non ſine cauſa de animantium principe à naturalibus dicitur, ſol & homo generant hominem. 1. Gen. 1. Phyſic. 2. tex. 26

NIHIL eſt, quod in hoc problemate non ſit verum, licet obſeruari iure poſſit, non ita hominem à ſole, & homine generari, quin Deus concurrat, non tantùm, vt ad cæterorum animalium productionem, ſed longè ampliùs, quia per ſe ſolum animam rationalem creat, atque corpori debitis organis informato coniungit, & infundit, itaut iure potiori Deus alicuius infantis pater dici poſſit, & debeat, quàm vllus homo; Deus enim partem meliorem ſolus producit, cuius reſpectu, quid aliud eſt corpus, præter vmbram ſine luce, maſſam ſine vita, deformitatem ſine pulchritudine, corpus ſine anima? Deus eſt magis pater hominis quàm vllus homo.

PROBLEMA XVII.

I. VR luminaria dicuntur facta in ſigna, tempora, dies & annos? Nonne clarum eſt, quòd reuolutio ſolis à primo mobili deducta diem claudit; propria autem reuolutio facta contrario curſu, annum? Aſpectus quoque luminarium nonne potiſſima ſunt ſigna futuri euentus, ſerenati, aut alterati aëris? Ad quod licet planetarum cæterorum aſpectus concurrant, id tamen (vt diximus) attribuitur præcipuè luminaribus, & potiſſimè lunæ; quæ peculiariter facta dicitur eſſe in tempora, ſolemnitates videlicet mobiles, vt vocabulum מועדים mohadim indicat. In plenilunio enim feſta mobilia (Deo non ſine magno myſterio iubente) celebrabantur. Geneſ. 1. מועדים

NVLLAM viſibilem in toto mundo creaturam habemus, quæ Dei gloriam tantopere commendet, eiuſque perfectiones explicet, quàm luminare maius; quod ita factum eſt, vt præeſſet diei, vt etiam aliquo modo præeſſe nocti dici poſſit, cùm minoris luminaris ſplendor à maiori pendeat, & omnes ſtellas, ac planetas illuminare videatur, quod tamen non ita certum eſt, ac de luna, cuius eclypſis arguit eam à ſe ipſa non lucere: ac dubio procul admiratione digniſſimum eſt, vnicum ſolem dies, menſes, annos, horas, ac ſingula momenta nobis delineare; ver, æſtatem, autumnum & hyemem producere: metalla ſub terris, plantas, & animalia promouere, imo & generare. At quanto magis ſuſpiciendus ſit cœli, ſoli, ſoliſque conditor, vide quæſo, vir Chriſtiane. Sol nos ad Dei cognitionem adducit.

Cæterum quomodo luminaria & aſtra ſint ſigna, quóque effectus portendere valeant, ſiue per lumen, ſiue per influentias à lumine diuerſas, ſiue per aſpectus, fusè dicendum erit alibi, & iam dictum eſt. מועד Mohed verò, & in plurali Mohadim, propriè conuentionem, conuentum, vel tempus certum, & fixum ad conueniendum in aliquo loco determinato, pro qualibet actione ſignificat; & ſumitur pro feſto, in quo ſolent homines conuenire: cuius exempla multa refert Arca Noë in hoc verbo. Quod autem feſta quædam in plenilunio celebrentur, patet ex paſchate, quod à Iudæis fit 14. luna, à nobis dominica proximè ſequenti, iuxta Concilij Nicæni decretum contra Quartodecumanos. מועד quid ſit.

PROBLEMA XVIII.

1. VID ſunt ſtellæ? An ſunt (vt naturales dicunt) denſiores partes orbium ſuorum,
2. ſeu firmamenti? An ſunt rariores portiones, per quas lux illa ſupercœleſtis irradiat? An ſunt inſtrumenta, per quæ Angeli lucis, & Dei miniſtri operantur? 2. de cœlo.
3. Quorum nomina ſunt nota eorum principi, vt de illis (*ſecundum quorumdam ſapientum opinionem*) propheta canit, Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Nec enim operatio eſt à corpore, ſed à forma eius viuente. Vnde *non* à corporibus cœleſtibus, *ſed* ab intelligentijs ipſis præſidentibus eſt influxus vitalis in inferiora.

RECEPTA ſatis eſt illa ſententia de ſtellis, & planetis, quòd ſint denſiores ſui cœli partes: Si tamen cœlum ſit durum & ſolidum, eíque velut inhæreant, aut potiùs continuentur cum eo, vt nodi cum ligno, non autem, vt claui rotis curruum infixi, qui ſunt contigui, & non continui; ſi verò cœli ſint inſtar aëris, non ſolidi, duri & reſiſtentes, quod alibi diſcuſſimus, nihil eſt, quod cogat, vt aſtra eiuſdem cum cœlis materiæ ponamus; imo cùm nullam in cœlis lucem, nullum radium percipiamus, non multum aberrauerit quis, ſi dixerit aſtra ſpecie differre, tam à cœlis quàm inter ſe; vbi enim proprietates ſunt adeò variæ, cur non differentiam indiuiduali maiorem conſtituemus? ſed, & cùm forma vnius non introduci poſſe videatur in materiam alterius, materias ſpecie diuerſas habere videntur, licet ea omnia non demonſtrentur, ſed conijciantur. Ob ſecundam reſponſionem Veneti cauendum eſt, ne creaturas omni virtute intrinſeca deſtitui putemus, itaut ſolus Deus per ſe calefaciat, illuminet, moueat, calore, luce, cœlo, cæteríſque cauſis nihil conferentibus: nec enim dubium eſt, quin Deus virtutes, & facultates actiuas vnicuique tribuerit, vt iuxta ſuam naturã agat vnumquodque: quòd enim Deus cum ſingulis cauſis in omni concurrat actione, id non obſtat, quominus ipſæ, propria virtute à Deo gratis accepta, ſuas actiones eliciant. In quo maxima Dei bonitas, ſapientia, ac potentia elucet, qui creaturis id tribuere voluerit, vt ſeſe authoris inſtar ad extra diffundant, ſuáſque perfectiones omnibus communicent: Quid obſecrò volunt aliud ignis, & lumen, quàm vt omnia, quæ poſſunt, calefaciant, & illuminent, vt quantum in ſe eſt ad Deum trahant? vbi enim aliquid perfectius redditur, ad Deum veluti trahitur, quatenus ei ſit ſimilius, adeout quadamtenus omnes creaturæ Dei gloriam ſuo modo quærere videantur. Quid enim ſol in hemiſphærio noſtro, atque oppoſito illuminando ſibi proficit? nunquid illud efficit, vt creatori ſuo obſequium præſtet, & eius gloriam nobis oſtendat, vt liberrimè nos, etiam & noſtra omnia in proximos diffũdamus, eoſq; quantum fieri poteſt, perficiamus, vt ſine ruga & macula Deo, coram Angelis omnibus exhibeantur? Licet ergo Deus poſſet lucem ſine ſtellis producere, nefas eſt tamen à poſſibili ad actum, & ad factum eſſe, deuenire. Nec propriè dici poſſunt Angelorum inſtrumenta, niſi quatenus Angeli aſtra mouent, & regunt iuxta Dei nutum, quod non vſque adeo certum eſt; cùm non ſit demonſtratum, neque decretum hactenus, imo nec demonſtrari, nec decerni poſſe arbitror, an ſtellæ, & planetæ à proprijs formis; an ab aliquibus cœlis, in quibus ſint vt partes; an ab Angelis, ſeu intelligentijs: an ab ipſo Deo; vel quibuſdam alijs modis nobis incognitis moueantur; licet quædam ex ijs ſententijs probabiliores eſſe videantur, quàm ſi cum Keplero lib. de ſtella Martis diceremus lunam à terra moueri, & terram à ſole; & quidem vix tot diuerſas opiniones in vlla alia ſcientia, ac in aſtronomia deprehenderis; cùm enim aſtra tam longè diſſita ſint à nobis, vix vllam veram demonſtrationem ex obſeruationibus varijs elicere poſſumus, tam propter diſtantiam, quàm refractiones varias, & multa alia, quæ ſunt in confeſſo apud benè ſentientes aſtronomos; hinc fit, vt non tantùm de materia & forma, atque virtutibus aſtrorum, ſed & de ipſorum motibus dubitemus, & huius ſæculi aſtrologi quidam poſt Copernicum terram mobilem eſſe tuentur: inter quos eſt Keplerus tam in ſuo epitome quã alibi. At longè magis cauẽdum eſt ab ijs, quæ in fine problem. inſinuat, dum ſatis ſignificare videtur ſe eſſe in Platonicorum ſententia, qui dicebant omnia viuere: licet enim non admittat animam mundi, ſed intelligentias, attamen dum virtutem, & operationem aſtris denegat, quia ſunt corpora, in quibus requirit formã viuentem, & per conſequens animam, ſatis oſtendit, ſe exiſtimare, quòd omnibus vita inſit: ſi enim omnia, quandam propriam virtutem, & operationem habeant, vt experientia conſtat, idque non poſſint habere, niſi à forma viuente, neceſſe eſt, vt viuant ſingulæ creaturæ, quod falſum eſt: quis enim dicat lignum poſt 100. annos abſciſſum, & omnino exſiccatum adhuc viuere, cùm tamen aliquid operari poſſit, ſaltem odorem emittere, ſi ab arbore odorifera detruncatum fuerit, vt patet in aſſeribus abietinis, & cedrinis; nec opus eſt ad illuminandum, & lucendũ, vt ſtellæ viuant, cum illæ operationes à principio vitali minimè pendeant, imo nec aptæ natæ ſunt, vt ab illis dependere poſſint.

An ſtellæ à ſuis orbibus ſpecie diſtinguantur.

Difficultates quæ reperiuntur in cœlis.

Keplerí ſententia de mobilitate terræ.

Notantur illi, qui dicũt omnes creaturas viuere.

quomodo creaturæ quærant Dei gloriam.

Denique tantùm abeſt, vt influxum vitalem præſtare poſſint Angeli his inferioribus, nihil enim facere poſſunt, niſi per motum localem, & actiuorum cum paſſiuis applicationem, nec extra ſe vitaliter influere, id enim proprium eſt formæ vitalis, vt informantis; itaque ſi quid influant aſtra per ſe, & non per Angelos (niſi fortè motores) producunt. Index iubet deleri totam parentheſim, quæ poſt ea verba, *vt de illis*, ponitur vſque ad *Propheta canit* excluſiuè. Et vbi ſcribitur, *vnde non à corporibus*, particulam, *non*, tolli: denique: pro, *ſed ab intelligentijs*, vult reponi: *&*, pro, *ſed*.

PROBLEMA IX.

1. VR elementa diſtributa ſunt numero quaternario? An quia ſolido & radicali numero diſtribui debebant elementa, vt ſolida eſſent totius mundani ædificij fundamenta? Eſt enim quaternarius radix denarij numeri conſummati. Hinc, & ipſo quaternario numero bene colligantur qualitates pri-
2. mæ, vt Timæus Locrus, & Plato docent. An, quia is quaternarius ſimul cum elementis habet eſſe à fonte illo, qui diuidebatur in quatuor capita, ad irrigandum primò hortum voluptatis, poſteà vniuerſum orbem inferiorem? Sicut, & moles rerum agendarum diuiſa eſt in quatuor elementa. De quibus alibi diffuſiùs dictum eſt.

Timæus de mundo.

Plato in Timæo.

NVMERVS quaternarius, ſi loquamur Arithmeticè, non eſt ſolidus, ſed potiùs primus ab vnitate quadratus, nam bis duo bis 4. efficiunt: neque id propriũ habet, vt ſit numerus radicalis, id enim vnicuique numero competit, vt alterius ex ſe producti, multiplicationis auxilio radix eſſe poſſit,

De numero quaternario.

poſſit, nec quaternarius propriè dici poteſt denarij radix, cùm 16. & non 10. pro ſuo numero quadrato habeat; nec enim ex eo quòd iſtæ vnitates additæ faciunt decem, huius ſunt radix, ſicut nec 1. 5. & 4 quæ addita eundem denarium generant; ſed cum denarius non ſit numerus quadratus nullam habet radicem: nam primus quadratus numerus poſt 4. eſt nouenarius 2. 16. de combinationibus 4. primarum qualitatum Philoſophi agunt lib. de ortu, & interitu; quæ cùm fontem hortum irrigantem anteceſſerint, ab eo non poſſunt ſuam traxiſſe originem.

PROBLEMA XX.

Pſal. 28. Eccl. 15. Deuter. 4. Zohar. Elenchor. 2. Eſai vlt.

ELEMENTA vnde vim ſuam habent? Nonne ab illo primo fonte, à quo non I.
modo flumina aquea, ſed etiam ipſa quatuor elementa fluunt? Hinc huiuſmodi fons à Pſalmographo dicitur terra viuentium, aqua ſapientiæ ſalutaris, à ſapiente; ignis à Moſe, & aër à Zohar. A quo quidem fonte venit lux illa, quæ omnes illuminat. Quæ omnia niſi eſſent in illo fonte, ab illo nequaquam emanarent, iuxta dogma peripateticum, Nemo dat, quod non habet. Immo iuxta Dei ſententiam, dicentis: Ego, qui cæteris generationem tribuo, ſterilis ero?

Cur Deo varijs nominibus appelletur.

CERTVM eſt omnia ſuam habere, & vim, & ſubſtantiam à Deo bonorum ómnium fonte; à quo tamen aliquatenus ampliùs elementa dependere videntur, cùm ea per ſe immediatè produxerit, ſicut & cœlos: cùm autem ſit omnino infinitus varia fortitur in ſcripturis nomina, vt quẽ vnico conceptu, & verbo exprimere non poſſumus, diuerſis, quantum fieri poteſt, illius maieſtatem explicemus; qui cùm omnia contineat eminenter, nihil eſt, cuius nomen non ei conuenire poſſit; hinc fit, vt ob ſtabilitatem, terra; ob bonitatem latè ſeſe diffundentem, fons, & aqua; ob miram in agendo vim, ignis; ob ſubtilitatem ſpiritualem, aër; à diuerſis bonorum omnium radijs, ob habitum primorum principiorum, & ob fidem maximè, qua fidelium illuſtrat mentes, lux; à fortitudine, leo iure dicatur.

PROBLEMA XXI.

Theologi in diſt. pri.

VNDE habet vnaquæque res phyſica principium ſuæ operationis? Nonne à na- I.
tura, dicent phyſici? Sed vnde eſt hæc natura? An eſt ab eodem, qui dedit, & 2.
eſſe? Nam vnum eſt tantummodò habens eſſe à ſemetipſo, vt Theologi indiſſolubilibus rationibus probant; cætera autem omnia habent eſſe communicatum, & participatum. Quod probant etiam ij, qui philoſophantur, & theologizantur per numeros, dicentes, quòd ſicut vnitas à nullo numero dependet, ſed eſt à ſeipſa, alij autem numeri omnes ab vnitate proficiſcuntur; ſic & Deus (cui non modò Proculus, ſed omnes rectè theologizantes per numeros, vnitatem tribuunt) eſt à ſe ipſo, à nulloque genitus, ſed omnia immediatè vel mediatè producens, communicánſque ſe omnibus productis. Et ſicut vnitas omnibus numeris ſeſe præſtat, & in eos ingreditur, dans numeris, vt ſint, & tales ſint (quia ſi ingreditur bis, facit binarium; ſi ter, ternarium, & ſic de ſingulis) pari modo Deus omnia ingrediens, dat eſſe, & huiuſmodi eſſe, & inde vim operandi.

Deus vnitati comparatur.

Proculus in Theor.

Quomodo Deus omnia ingrediatur.

PRÆCLARE hæc omnia dicuntur: tantùm aduerte non ita Deum omnia ingredi, vt vel includatur, vel vt componat aliquid ad modum partis: ſed eatenus in creaturas ingredi dicitur, quatenus dat eis eſſe, quod antea non habebant, & ſemper eis preſentiſſimus eſt, cùm eas conſeruet, & in omnibus adiuuet: continuò enim redigentur in nihilum omnia, ſi tantiſper ſe Deus retraxerit, ideſt eorum eſſe non ampliùs conſeruarit. De modo quo Deus eſt vbique preſens, alibi dicemus.

PROBLEMA XXII.

1. Corin 12.

VNDE animalia, & reliqua omnia habent proprietatem ſuam, & vim operandi? I.
Nonne ab eo ſummo moderatore, qui operatur omnia in omnibus, vt nuper dictum eſt? Sed pro maiori notitia ad magis particularia deſcendentes, dicimus, quòd quamuis omnia ſint à Deo vnico, tamen variæ ſunt rerum proprietates, iuxta varietatem mediorum diaphanorum, per quæ tranſeunt, vt Pythagoræis placet, à ſecretioribus Theologis edoctis, qui aſſerunt vnumquodque procedens à primo fonte, induere proprietatem riuulorum, per quos tranſit: Sicut Aſtronomi dicunt de planetis, & ſtellis; quòd videlicet vnumquodque induit proprietatem ſyderis prædominantis. Sed ve-

rum eſt hoc de proprietate corporea, & illud de proprietate animali. Quæ omnia (vt ipſi Theologi dicunt) innuuntur per literas ingredientes nomen rei nominatæ Hinc dicunt, quòd Adam ſciuit imponere nomina rebus, componens vnumquodque nomen per literas denotantes eos influxus, qui rei nominatæ deſeruiunt. Quod apertè innuit Abraham in libro de formatione, vt ſuprà tactum eſt.

Arguuntur Pythagorici & Platonici.

CAVENDVM eſt omnino ab iſta doctrina Platonica, & Pythagorica, ne prętextu neſcio quorum ſecretorum Theologorum (forſitan Zoroaſtrem, Orpheum, & alios magos intelligere poſſumus) à vera Philoſophia, & religione paulatim abducamur; nec enim exiſtimandũ eſt ea quæ producuntur, ita à Deo proficiſci, vt in ſphæris cœleſtibus ſuas diuerſas proprietates accipiant, prout dicebant animam per Cancrum deſcendere Platonici, itaut in Saturno vim contemplandi; à Ioue ciuilis vitæ regimen; à Marte magnanimitatem; à ſole phantaſię claritatem; à Venere charitatem, interpretationem, & eloquentiam: à Mercurio, & à Luna vim generandi ſortiretur; quaſi verò anima in qualibet ſphæra remaneat, à qua deſumat quod gratum videbitur, & in ſphæris aſtrinis vitam cœleſtem: in igne & aëre dæmoniacam; in terra humanam, brutalémque vitam agat. Dubio procul hæc omnia falſiſſima ſunt, & à mentibus Catholicorum eliminanda. Nec valet illa ſimilitudo radiorum ſolarium nubes penetrantium, in quibus diuerſis coloribus veſtiuntur: cùm nec anima, nec aliæ creaturæ, ſiue nunc, ſiue initio mundi ita producantur, vt per illas omnes ſphæras, ſeu diaphana media pertranſeant, & in ijs ſe diuerſis proprietatibus induant. Si enim immediatè creentur à Deo, ab eo ſolo habent, quicquid habent, ſi concurrentibus cauſis creatis, ſuam virtutem effectus à ſuis cauſis particularibus præſertim ſortiuntur, nam concurſus cauſarum vniuerſalium Dei, Solis, & Aſtrorum, & aliarum, ſi quæ ſint, à cauſis immediatis particularibus determinantur, ac modificantur: nec enim Deus, aut ſol, cum oue generabit leonem, aut equum, ſed ouem, & ſic de cæteris.

Eorundem errores circa deſcenſum animæ à cœlo.

Benigna explicatio Sententiæ Pythagoræorum.

Marſil. Ficin. l. 18. de immort. animi, ſeu theolog. Platon. c. 5.

Scio quidem aliquos eam Platonicorum doctrinam explicaſſe hac ratione, vt vellent animas deſcendere, non quidem motu locali, ſed velut metaphorico, quatenus luna, quæ eſt Cancri domina influit in animalia vim generandi, à qua cùm maximè Saturnus abſit, & Capricorno dominetur, eum aſſerunt vim contemplandi communicare: vnde Saturnum dicunt antiqui mentem, qua ſuperiora ſcandimus: deinde Saturni, & Capricorni cùm virtus ſicca ſit, Spiritus ad intima contrahit, & ad contemplandum prouocat; vbi lunaris humor ſpargit, & dilatat animum circa ſenſibilia; ſed quàm futiliter hæc omnia dicantur ibi conſtabit, vbi probabimus perperam illa omnia, quæ iactant Aſtrologi de ſtellis, ac planetis prędicari; non quòd negem mixta virtutes elementorum in ſua generatione recipere; ſed non quælibet ſtella proprietatem aliquam peculiarem agnoſcit in quolibet mixto, nec illæ planetarum, & ſtellarum prædominationes admittendæ ſunt, quibus vnus ad hanc, aut illam affectionem, cogitationem, virtutem; alius ad hoc aut illud vitium inclinetur, aut quod eſt magis, impellatur: hæc enim omnia à Chaldæis, Magis, & Aſtrologis orta, iampridem à Scriptura ſacra, Concilijs, Patribus, Iure ciuili, & Canonico, & ipſa experientia condemnata ſunt, quæ Deo iuuante rationibus explodemus tractatu peculiari. Falſum eſt etiam prædictas proprietates, & aſtrorum influxus, aut diaphanorum communicationem per literas nomina rerum componentes ſignificari, idque ſine fundamento, cùm aſſeratur, & Adamo tribuatur authori, perinde à nobis negari poteſt, & debet, vt fusè peculiari ad id quæſtione probauimus: quædã verò iam de libro Abraham præmiſſa ſunt; & quidem ſolent id Magi factitare, vt in ſuorum errorum patrocinium quendam ex antiquis Patriarchis adſciſcant, quibus aliquos libros aſſignent, & aſtruant; ſic enim Artem Notoriam Salomoni tribuunt 3. Reg. c. 3. à Deo conceſſam, quam vna nocte didicerit; cuius meminerunt Ciruellus in Apolog. Aſtrolog. iudic. & tract. de ſuperſt. pa. 3 c 1. Delrio 2. magic. quæſt. 24. D. Thomas 22. q. 96. a. 1. Halenſis p. 2. quæſt. de ſortilegijs. Bapt. Segnius l. de vero ſtudio Chriſtiano c. 7. Suar. de relig. l. 2. c. 15. n. 4. eadémque ratione Paulinam artem aſtruunt, quam vocant artem ſpirituum, quæ, inquit Villapandus l. 1. c. 15. nihil eſt aliud, quàm γοητεία, & mera dæmonum impoſtura, qui his in artibus hominem deludunt, vt oſtendit Segnius l. de odio Sathanæ c. 8. & 9. Nec eſt quòd iſtarum artium fautores ſuadere conentur ſe cum Angelis bonis rem habere, à quibus doceantur, cùm numquam Angeli boni quidquam nos doceant, aut quod in ſalutis detrimentum vergat, aut ſaluti non proficiat, qualia ſunt illa, quæ ſe diſcere magi prædictis artibus exiſtimant. Eſt ergo Sathanas earum author, qui 1. Cor. 11. ſe tranſfigurat in Angelum lucis, poſſunt enim dæmones quibuſdam artibus hominem imbuere, vel per internam ſuggeſtionem, vel apparendo in forma viſibili, vt loquantur, teſte D. Thoma 22. q. 96. a. 1. Huiuſmodi ſunt paredri, qui hominum interitum procurant, ac quaſdam cæremonias, ritúſque præſcribunt, quibus pactum ineant cum hominibus, vt cùm libuerit, præſto ſint; quoſdam verò per aërem raptant, alios reddunt attonitos, & dementes, teſte Lauatero lib. de ſpectris c. 14. Denique omnes homines ſibi conſentientes fallit dæmon, quorum exitum, animæ, corporíſque triſte ſpectaculum, & interitum ſempiternum ferè ſemper videas: Ab eo igitur tanto diligentiùs cauendum eſt, quanto maioribus nos exponit periculis, & laqueis pluribus noſtræ ſaluti inſidiatur; & ipſa Scriptura ſacra vtitur, vt nos citiùs decipiat; vnde ſuadet his artem Notoriam, illis Chiromantiam, alijs Caballam, quaſi ſecreta huius caballæ, in qua ſingulas literas, figuras, nomina, elementa, apices, lineas, puncta, accentus, ſpiritus, profundiſſimam doctrinam continere aſſerunt, quod Iure Ciruellus in Apolog. Aſtrol. Chriſt. & Benedict. Perer. l. 1. aduerſ. fallaces artes irridet: illa inquam ſecreta Moſi in Monte Sinai, Ioſue, Eliæ, &c. reuelata ſint, iuxta id Pſal. 77. Patres noſtri annuntiauerunt nobis; ſed has tricas, nugeculáſque Caballiſticas, & Phylacteria Iudaica characteribus, nominibus morbum omnem ſanantia, cùm tot ſcateant vanitatibus, ſuperſtitionibus, & mendacijs, vt ſtolidas,

Carpuntur Aſtrologi.

Vide quęſtionem noſtram de vi nominum.

Arguitur ars Notoria & Paulina.

Ciruellus.

Segnius.

Villapandus.

Dæmon eſt author artiũ peruerſarũ.

Lauaterus.

Autores qui redarguũt, & confutant Caballam.

Couarruuias.

lidas, falſas, vanas, ſcandaloſas, ſuperſtitioſas, & pacti dæmoniaci ſuſpectas. Improbant D. Thom. Ciruel. Perer. Delrio & Suar. ſupra, atque Couarru. l. 2. de falſa prophet. c. 18. & hæc omnia mera delirantium ſomnia rectè vocat Vualdenſis in opere ſacram. cùm nec literæ, nec verba vim vllam ex ſe habeant, vt oſtendit D. Thom. 4. contra gent. c. 104. & ſeq. Leonar Vairus 2. de faſcino c. 11. nec inutile fuerit videre Hippocr. de morbo ſacro; Galen. l. 6. & 10. de ſimplic. Condroch. lib. 2. de morbis veneficis, c. 5. Theophraſt. 9. de hiſtor. plant. Plutar. in vita Pericli. cætera in peculiari de virtute nominum quæſtione diximus, ibíque Cabalam refutauimus.

Vairus. Hippoc. Cõdrochus. Galenus

PROBLEMA XXIII.

VOT animalium genera in Scriptura enumerantur? Nonne quinque, præter hominem, qui & ſexto die creatus eſt, cùm cætera animalia quinto die creata fuerint? Hæc autem ſunt, aues, piſces, reptilia, cicures, ideſt genus animalium domeſticorum, & feræ, quas ſemper diſtinctas & ſeiunctas à cicuribus Scriptura enumerat. I. Gen. 1.

ANIMALIA poſſent in alia multa genera, & ſpecies diſtribui; at de his facilè conſuli poſſunt Ælianus, Rondeletius, qui de piſcibus: Geſnerus de auibus, piſcibus, & terreſtribus animalibus tomis tribus fuſiſſimè, & Vlyſſes Aldrouandus abundè de auibus, & inſectis egerunt.

PROBLEMA XXIIII.

Gen. 1. Pſal. 148

VÆ ſunt cete grandia, quæ ſeorſum & celebriori cura creata dicuntur? An ſunt piſces, vel dracones, vt vocabulum התנינים hataninim indicat? Nam in pſalmo, vbi veritas Hebraïca habet תנינים taninim, communis editio habet, dracones. I. התנינים

Pſal. 103.

At (vt altiùs conſcendamus) ſunt duo vitæ fontes, maſculus & fœmina, qui à ſecretioribus Theologis Leuiatan vocantur. *Non quidem diaboli, vt alioqui ſcioli malè interpretantur* illud Prophetæ; Leuiatan iſte, quem formaſti: pro quo vulgata editio habet, Draco iſte, vt ſuo loco diſſeremus. Ex quibus duobus fontibus, maſculino, & fœmININO, omnia generantur in mundo; & hi fontes alio vocabulo maria vocantur, & aquæ ſupramundanæ, à quibus, vt nuper dictum eſt, omnia producuntur. An per hos dracones, vel cete grandia intelliguntur Præſides omnium populorum, vt alij aſſerunt? An per hataninim intelliguntur Angeli omnes, de quorum genitura fit occulta narratio? ſicut & ipſi ſunt nobis occulti. 2. 3. 4.

quid ſit תנים

תנים tannim, vt notat Marinus in arca Noë, ſignificat tam marinum, quàm terreſtrem draconem, cete, & ſerpentẽ, vnde fluxiſſe videtur thynnorum nomen, cum ſynonyma ait eſſe נָחָשׁ, & לִוְיָתָן; ſumitur autem pro omnibus magnis Oceani animalibus, vt balænis, delphinis, &c. vt ad c. 1. Gen. notat Vatablus. Habetur pſalmo 103 Draco ipſe, quem formaſti, vbi à quibuſdam legitur Leuiathan, ſiue balæna; quod autem hîc ait Venetus eſſe duos fontes vitæ, maſculum & fœminam, alludit fortè ad illud Iudaicum delirium, quo Leuiathan eſſe animal maſculũ & fœminam, vnicum dicunt, itaut non commiſceantur, & ſic ei Deus illudat, dum vniuerſali benedictione fruſtratur, quam Deus impertijt his verbis; creſcite & multiplicamini: nec minus ridiculum eſt, quod recitat Lyranus, Hieronymus à Sancta Fide 1. contra Iud. c. 9. & Sixtus Senenſis 1. Biblioth. in libris Eſdræ, Deum nempe femellam occidiſſe, & ſale condijſſe iuſtis in eſcam poſt reſurrectionem, eum verò tribus horis ludere poſt prandium cum maſculo, qui dicitur Leuiathan; falſum eſt etiam, quod hic piſcis ſit in mari Leuiathan, mari verò recedente draco; nec eſt mirum ſi Iudæi tam ridicula fingant; mens enim hominum, vbi à veritate aberrare incipit, magnos poſtmodum in errores labitur, vt videre eſt in Origene 6. contra Celſum de diagrammate Ophianorum, cuius author Leuiathan dicebatur, & in cuius ex decẽ circulis inuicem complexis, vltimo eſſet Behemoth. Quicquid ſit, hîc mentio fit magnorum piſcium, de quibus Plin. Dionyſ. Strabo. Solin. Ælian. Olaus magnus, Oppianus, Baſil. Ambroſ. apud Lorinum pſal. 103. citati, & quidem mirabile eſt, quod ex Alberto refert, de balæna, quæ tanta viſa eſt, vt in oculi ſui ſinu 25. homines latè capere poſſet, ſuperciliáque ducenta quinquaginta cuſque oculo eſſent affixa, & os tam amplum haberet, vt aquas euomendo ſubmergeret naues; coſtas adeò vaſtas, vt ex eis domorum tigna fieri poſſent; caudam bifidam adeò latam, vt latitudine pedum 4. ſupra viginti ſe expanderet, corpus tantæ molis, vt iugera terræ 4. obtegeret, occiſa trecentis curribus vix auferri poſſet; vnde & naues longiuſculæ, galeæ dictæ ſunt à draconum magnitudine, qui γαλεοι nominantur. Itaque hataninim, aut Leuiathan non ſignificant maſculum & fœminam, magis quàm cætera animalia; nec proinde duos rerum fontes; valeat proinde cum ſuis Theologis ſecretioribus, quos toties celebrat noſtris ſanctis Doctoribus ſæpè prætermiſſis: Aliud verò eſt, maria rerum originem, cum aquis ſupramundanis facere; quod non eſt vſque adeò verum, vt etiam cætera elementa non concurrant ad mixtorum generationem: tametſi verò terra, & aqua ſint inſtar fœminæ, & materiæ; cœlum autem velut pater, & forma rerum corporearum, quæ hîc gignuntur, Deus eſt author præcipuus, qui ſimul & cauſæ cuiuſlibet, & cauſati, vniuerſalis, & omnipotens cauſa eſt.

Pſal. 103.

Fabula de Leuiathan.

Hieron. à Sancta Fide cõtra Iudęos.

Origenes.

Prodigiosa Balænæ magnitudo.

Vnde naues galeæ dicantur.

Denique per Cete grandia, non intelliguntur populorum præſides, neque per hatanin omnes Angeli, qui licet occulti ſint nobis, nuſquam tamen ſequitur tunc cum cetis, & draconibus creatos, ſed potius cum luce: quòd ſi aliquatenus id admittatur, in ſenſu myſtico duntaxat intelligendum eſt. At de his agemus in noſtris quæſtiunculis. Poſt illud, *Leuiathan vocatur* dele vſque ad, *illud Prophetæ*, excluſiuè, iuxta Indicem expurgatorium.

PROBLEMA XXV.

VBI productus fuit homo? An forſitan in hoc fœculento mundo? *Sed cur poſt ipſius creationem ſubinfertur: Et homo non erat, qui coleret terram? Et iterum: formauit Deus hominem, puluerem de terra? An igitur in cœlo creatus eſt in principio, ſicut, & cætera omnia, vt Plato doctiſſimè, & ſapienter docet?* Quod, & Ioannes innuere videtur, dum ait, Quod factum eſt, ſcilicet in terra, in ipſo vita erat, ideſt, vitale eſſe habebat in verbo, & in fonte vitæ, in quo viuimus, mouemur, & ſumus, ſicut ſupradictum eſt. Fontes verò, aut riuulos vitarum ab eodem fonte procedentes videns Ezechiel, per Principes eorum deſcripſit, dicens. Facies hominis, ideſt animalium rationabilium. Facies bouis, ideſt principis cicurum; facies leonis, ideſt, ducis ferarum; & facies aquilæ; ideſt reginæ auium. Et, vt indicaret omnia hæc ab vno fonte procedere, ait, Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. Et iterum, Iunctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. Et rurſum, Vna ſimilitudo ipſorum quatuor.

I. Gen. 2. Plato in 7. de Republ. & in Phęd. 2. Iohan. 1. Actuum 17. Ezech. 1.

CERTVM eſt in hoc mundo hominem productum fuiſſe, cùm ex limo Deus eum formauerit Geneſ. 2. Sed an extra paradiſum, ſeu hortum voluptatis, aut in eo, nécne, paulò difficilius eſt: ac proinde verum non eſt, quòd Deus formauerit hominem in cœlo, aut alia mixta: quod ſi Plato affirmauerit, id perperam dixit; licet enim in æternis ideis, ſeu in verbo ſint, quæcunque debent aliquando fieri, attamen non ſunt facta in verbo, ſed increata, cùm ſint ipſe Deus vt omnia tam poſſibilia, quàm facienda repræſentans, quo ſenſu omnia in Deo vita ſunt. Quod addit ex Ezechiele, non ita benè interpretatur, imo ſunt meliores explicationes, vt ibi videbitur; interim Villapandum conſule. Poſt illud; *In hoc fœculento mundo*, deleri iubet Index quæ ſequuntur, vſque ad, *Ioannes innuere videtur*, excluſiuè.

PROBLEMA XXVI.

VR *ſcriptum eſt, formauit Deus hominem, puluerem de terra? An fortè, qui tanta celebritate fecerat, & creauerat hominem ad imaginem ſuam, quaſi eum pœniteret tantæ maieſtatis homini collatæ, voluit ipſum formare (vt aiunt) de limo terræ? Non quippè. Sed omnia magno myſterio exarata ſunt. Quatuor enim vocabula in creatione hominis myſticè introducta fuerunt. Primum faciamus; quod eſt vocabulum commune ad tria ſequentia: vnde ad particularia deueniendo, dicitur ſecundo loco; cum imagine Dei maſculum, & fœminam creauit eos, cùm nulla materia præexiſteret, ex qua produci poſſet homo. Tertiò dicitur, Formauit Deus hominem, puluerem de terra, ideſt, induit eum veſtem terream, corpus videlicet hoc terrenum. Quartò ſcriptum eſt; Et inſufflauit in nares eius ſpiraculum vitarum; illam videlicet lucem, quæ (teſte Ioanne) omnes illuminat: Et hæc à Triſmegiſto dicitur mens; ſapientia à Pythagora; portio ſuperior ab Auguſtino; ab Hebræis verò Neſſama. Primò igitur Deus decreuit hominem facere, poſtea creauit in cœlo; tertiò formauit corpus eius veluti veſtem. Poſtremò reddidit ipſum diuinitatis participem.*

I. De quatuor Scripturę vocabulis. Ioh. 1. Mercur. in Piman.

HABETVR c. 2. Gen. verſu 7. עָפָר מִן הָאֲדָמָה. haphar min haadama, puluerem de terra: eius prima ratio inſinuat Deum non è cœlis, ſed ex limo formaſſe hominem, ne percepta in ſe Dei imagine, vel ſuperbiret, vel exiſtimaret eam imaginem ſe non à Deo, ſed à cœlo habere. At quomodo Deum pœniteret illius imaginis homini impreſſæ, cùm nondum peccaſſet? Quod verò ait, cum imagine ſua, id, ſicut ad imaginem, iuxta Hebræum dici poſſet: nam ב ſignificat aliquando ad, de, cum &c. Quod ſi de corpore intelligat ſanè materia præceſſit, ex qua non tantùm poſuit ſed voluit hominem efformare vt patet ex dictis, at creauit animam ex nihilo, ſicut & noſtras quotidie creat, dum generantur infantes, quibus animas infundit. Cauendum eſt, ne cum Origene à veritate aberremus; nec enim animas Deus ante corpus creat, quas poſtea veſte terrea induat; cùm autem inſufflauit, ſeu inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, id non eſt de fide intelligendum, neque de habitu primorum principiorum, ſed de anima informante, & rationali: nec enim mentem ſeparatim ab anima dedit; licet probabile eſſe poſſit, ſapientiam ei, & ſcientiam ſimul cum anima, &

ב

ma, & intellectu, cæteriſque potentijs datam eſſe. Ex quibus falſum eſſe conſtat, quod aſſerit, Deum nempe hominis corpus in cœlo creaſſe, cùm enim illud è limo, qui non erat in cœlo, crearit, quomodo in cœlo produxit, niſi fortè tulerit illuc aliquam argillæ maſſam? quod eſt ridiculum; ſimul ergo, atque corpus efformatum fuit, ei animam infudit, quam non alia ratione diuinitatis effecit participem, quàm quòd eam variis gratiæ donis affecit, & iuſtitiæ originalis pulchritudine decorauit. Index expurgatorius iubet totum hoc Problema deleri.

PROBLEMA XXVII.

VR *Deus inſpirauit in hominem ſpiraculum illud, cùm iam primò creatus fuerit, & poſtea terra veſtitus? Nonne à principio creatus fuit homo in vniuerſali, vt Proculus ſentire videtur, veluti moles quædam virtutis maſculinæ, & fœminiræ; vnde omnis mas & fœmina formam & vitam ſuſciperet, vnuſquiſque videlicet pro diſpoſitione corporis? Sicut ex eadem maſſa vitri diuerſa vaſa formantur. Et hic eſt homo in vniuerſali, de quo ſunt ſempiternæ, & immutabiles veritates. Quo forſitan ſenſu dixit Porphyrius. Participatione hominis, omnes homines ſunt vnus homo. Dum autem corporea veſte amictus fuit homo, particularis homo productus fuit, in quem inſufflauit Deus neſſama, vel lucem illam, vt nuper dictum eſt. Qua quidem luce homo, vt Plotino placet, Deum intelligit, & bonum operatur. Et hæc ſemper malum diſſuadens, ad bonum hortatur. Qua luce priuati damnati, nec Deum cognoſcere, nec bonum operari poſſunt.*

I. Contra hoc Problema agit Senęſis biblioth. an not. 26. & cõtra præcedens. Eiuſ. Senęſis annot. 27. & 29. militat cõtra hoc Problema. Procul. in Tim. Porphyrius in vniuerſal. Plato de homine.

IAM diximus illud eſſe falſum, quòd priùs homo creatus fuerit, antequam terra veſtiretur, ac ei ſpiraculum inſpiraretur; nec enim vllus fuit homo in vniuerſali conſideratus; in quo Platonem Ariſtoteles arguit, quòd rerum omnium, ac proinde hominis conſtitueret ideam, ad cuius exemplar fieret homo particularis, qui illius ideæ fieret particeps; enimuerò, quî fieri poſſet, vt ſolius terreæ veſtis acceſſione in hominem particularem deueniretur? nam ſi per animam rationalem corpori iunctam homo euadit aliquis; vbinam reperitur illa anima, quæ terream veſtem informet? An fortè quædam ex idea decerpitur particula, itaut toties ab ea detrahatur aliquid, quoties fit homo particularis? ſed his nugeculis prætermiſſis, hunc ex eo natum errorem exiſtimo, quòd, cùm aliquid in hominibus ſingulis Platonici commune, aliquid verò particulare viderent, poſtmodùm concluſerint (tametſi perperam aliquem in vniuerſali hominem) veluti idealem, cæterorúmque exemplarem aſſignandum eſſe, qui ei notioni, quæ ſingulis tribuitur, æqualiter conueniret: præter quem, ſingulos homines cum ſuis proprijs differentijs experientia conuicti poſuerunt. At cùm vniuerſalia, nihil omnino ſint, prout extra ſingularia conſiderantur, in quibus ſuum fundamentum habent; quæque intellectus abſtrahentis, & rem inadæquatè ſpectantis operatione fabricamus, eliminanda eſt, & penitus explodenda illa ſententia, quæ conſtituit vnum hominem, qui ſimul mas ſit, & fœmina, ex Androgyne; quod Leo Hebræus in Dialog. de amore bellè explicat. Neſſama verò ſignificat quidem animam, quatenus eſt corporis motiua; halitum, ſermonem, & animum immortalem, vnde & Genebrardus in fine primæ ætatis in chronologia, notat idem ſignificare, ac min haſſamiam de cœlis; at non reperi, quòd lucem ſignificet, niſi per lucem, vel intelligentiam ſumat, vel intellectum, vel conſcientiam, & ſyndereſim, quibus ad bonum vrgemur, & à malo auertimur: etenim in conſcientia velut in humanę rationis centro rationes vniuntur, quæ hominem excuſant, vel accuſant; vnde à Græcis dicitur συνείδησις à σύν, & εἴδεναι, ideſt conſcire; per eam enim ſumus conſcij apud noſmetipſos, & corã Deo, vnde mille teſtium loco eſſe dicitur, domeſticus, & oculatus, ac vigilans teſtis, quam Hebræi dicunt עדות חקנן hadot hacanon, teſtimonium internum, quod improbis eſt inſtar vulturis interiora viſcera perpetuo morſu rodentis: dicitur etiam לב cor, & אדות הלב, adoth haleb, rationes cordis, alijſque nominibus, quæ in etymologico trilingui Ioannes Fungerus affert. De his ergo omnibus ſpiraculum vitæ poſſumus interpretari, cùm in anima hæ facultates inſint: *ſed de luce alia*, verbi gratia, de donis gratum Adamum reddentibus, vt fide, ſpe & charitate, non ita video, quomodo ſine ſcrupulo fieri poſſit, non quòd negem ea fuiſſe Adamo, vel in ipſa animæ infuſione, vel paulo poſt conceſſa; ſed quia id neque Neſſama ſignificat, neque habet probabile fundamentum: tametſi facillimum eſſet in hoc ſenſu defendere, quomodo damnati his careant, nec poſſint bonum operari, aut Deum cognoſcere, vt par eſt: quod ſine gratia Dei, qua ſemper carebunt, fieri nequit. Si verò de conſcientia quis accipiat, certum eſt eos naturalia non amiſiſſe, ſaltem in actu ſignato, vt Theologi cum Philoſophis loquuntur: nec etiam, quoad actum exercitum omnino, quia conſcientiæ, ac ſyndereſis actum aliquem exercent: quis enim dubitat damnatos meminiſſe, quòd multa mala fecerint? Eccleſ. 7. Sit conſcientia tua te crebrò maledixiſſe alijs: qua ratione ipſis teſtificatur, ſeu teſtimonium reddit conſcientia, & accuſat, ac remordet eorum animos, atque ſtrictiſſimis vinculis ligat; an verò eoſdem inſtiget, vt à peruerſitate ſua recedant, non eſt probabile; quòd ſi fieret, incaſsùm fieret, cùm reſipiſcere nec poſſint, nec velint; quòd autem conſcientia lucem animæ ſignificet, habemus ex D. Damaſceno lib. 2. de fide orthod. c. 12. Ex quibus neſcio quid per lucem intelligere velit, aut poſſit Venetus præter fidẽ, aut cognitionem, vel auxiliũ aliquod ſupernaturale, cùm neque anima, neque eius potentijs dæmones, aut homines damnati priuentur. Illud iubet totum expungi Index.

Refellitur homo vniuerſalis Platonicus. Genebrardus. Explicatur Neſſama. Conſciẽtia quid ſit & vnde dicatur, eiuſque nomina apud Hebræos. לב Quomodo damnati conſciẽtiam habeant.

PROBLEMA XXVIII.

VOMODO ſciuit homo nomina rebus imponere? An quia edoctus fuerat ab Angelo ſuo Raziele, qui (vt aiunt) tradiderat ei librum omnium rerum tam diuinarum, quàm creatarum arcana continentem? An quia pollebat ingenio limpidiſſimo, nulla peccati, vel ignorantiæ labe præpedito? Et hic (ni fallor) fuit verus liber deſcriptus à vero Raziele, qui ſecretum Dei interpretatur. Hoc igitur limpidiſſimo ingenio cognouit rerum immediatas cauſas, per literas alphabeticas (vt ſuprà retigimus) deſignatas. Vnde iuxta rerum proprietates, ſciuit ipſorum nomina componere. 1. 2.

MIRVM eſt quomodo tam facilè labi ſe permittat Venetus in Platonicorum, Rabinorum, & Magorum opinionem, adeout vix vllum Problema diſcuſſerimus, quòd errores illorum non redoleat. Et quis obſecro, docuit eum Adamo Razielem præfectum fuiſſe? an à Mecubalibus, aut Magis id accepit? Verùm Hebræorum magiſtri cenſere videntur Adamũ fuiſſe doctiorem Angelis, cùm his ab illo nomina impoſita fuiſſe
Refellitur Agrippa. aſſerunt, teſte Agrippa l. 3. Philoſ. occultæ c. 24. qui cùm initio rectè dixiſſet nulla Angelorum nomina nos niſi diuina reuelatione cognoſcere; ſui oblitus, atque magiæ addictiſſimus archimagus varia fingit Angelorum nomina, inter quos Razielem ponit horribilia tonitrua excitantem. Sed pauca quæſo ex iſto decerpta explodamus. Nomina, inquit, Angelorum 7. planetis præſidentium hæc ſunt; Saturno, Zapxiel: Marti, Camaël: Soli
Ficta Angelorum nomina omnino falſa & ridicula. Raphaël: Veneri, Haniel; Mercurio Michaël: Lunæ, Gabriel; quos credit eſſe 7. Spiritus ante faciem Dei aſſiſtentes; ergóne Michaëlem cœleſtis exercitus principem penultimum, Gabrielem verò Incarnationis paranymphum vltimum neſcio quibus cacodæmonibus Zadkieli, Camaëli, Zapkielique poſtpones? Qui ſunt iſti, quos aſſeris aliter ea nomina efferre? an tui ſecreti Theologi diſciplina tartarea imbuti? Vbi quæſo repererunt Oriphielem, Zacharielem, Zamaëlem, Anaëlem, cæteróſque fictos Angelos non tantùm planetis, ſed toti mundo præeſſe, quem vnuſquiſque 354. annis & menſibus 4. gubernet; de quibus Trithemius ad Maximilianum Cæſarem, vt tu meminiſti: An aliquis Angelus ad te deſcendit, vel Deus ipſe in ſomnis oſtendit tibi Malchidaëlem Arieti, ♉ Aſmodelem, Ambrielem ♊; Murielem Cancro; Berchielem Leoni, Virgini Hamalielem præeſſe? Quibus intendebant operibus cæteri homines, dum tibi Geniel, Enediel, Armixiel, cæteráque 28. manſionum lunæ portenta, portentoſaque nomina reuelata ſunt? Nuper aſſerebas nulla nos citra diuinam reuelationem Angelorum nomina ſcire poſſe; quomodo igitur ex tribus verſiculis in Exodo poſitis 72. Angelorum nomina formari ais? O inſuetam amentiam! ô veræ, ac Chriſtianæ religionis deſertorem! qui dum niteris incaſſum, vt tibi dæmones familiares, & amicos reddas: ne fortè id de te ſuſpicentur homines, c. 26. modum inueniendorum geniorum à diſpoſitione corporum cœleſtium præſcribis. Vtinam non ita laboraſſes in diabolis inueniẽdis, vt te non ita inueniſſent, inuentúmque deduxiſſent ſecum ad ſupplicium ignis æternum: ſed cùm id amplius fieri non poſſit, reſipiſcant ſaltem ij, quibus adhuc in libertate ſitum eſt, vt conuertantur, & peccatorum omnium, præſertim idololatriæ, qua ſe dæmonum inuocatione, atque conſortio polluerant, emendatione, æternæ gloriæ participes efficiantur.

In eundem penitus errorem cum Veneto cecidit Robertus Flud Oxonienſis Medicus tract. 1. Genethlialogiæ ſectione 11. part. 4. l. 3. c. 5. dum perperam exiſtimat Adamum cum Raziele velut cum Angelo cuſtode familiariter eſſe conuerſatũ, vt, & Sem cùm Iophiele: cum Zadkiele, Abraham: Iacob cum Veliele, & Ioſephum cum Gabriele, de quo Geneſ. 48. qui, & Ioſuæ, Danieli & Mariæ præfuerit; cum Mettatron Moſem, Eliam cum Maltiele: Dauidem cum Ceruiele; cum Vriele Eſdram: Salomonem cum Michaële. Hęc eſt præclara doctrina, quam de Fluctibus, citò, niſi ſeriò eum pœnitat, ęternis fluctibus immergendus, propagauit: fortè quia nondum Agrippa ſatis apertè dæmoniorum conſortium videbatur explanaſſe: & quidem alijs ſuffecit vnum Angelum, & dęmonem vni homini præficere, ille autem vult regium, principalem & Archangelum menti, alium olympicum animæ vitali, tertium elementarem corpori præfici: cur non admittit tot dæmones in vno homine, quot ſunt in toto mundo? cùm, vt ipſe fatetur, homo portionem aliquam ex omnibus mundi partibus hauſerit, ob quas microcoſmus vulgò dicatur. Numquid longè maiorem à diabolis laudem meruiſſet, ſi æthereos, ſeu igneos dęmones ſpiritui vitali, atque calori naturali; aëreos ſanguini, & pulmonibus, atque reſpirationi: phlegmati aquaticos: melancholię, terreſtres; phantaſiæ, laruas, & lemures, & Harpias, & Parcas, Eumenides, Gorgones, Furias, Lamias, Centauros, Hippocentauros, Arimaſpos, Cynamolgos, Satyros, Faunos, Nymphas, & reliquam dæmonũ aut verorum, aut etiam fictorum cateruam propoſuiſſet? O miram hominis cœcitatem, qui in Europa, qui inter Chriſtianos, impunè tam fœtidam, & horrendam Magiam non ſolùm tractare, ſed impudenter in lucem emittere auſus eſt! Siccine Iacobe, tibi Catholici nomen demereberis, quod tantopere tibi concedi expetis, licet id fieri nequeat, donec tuis peruerſis erroribus renũtiaris, vt magnus ille Cardinalis Perronius nuper oſtẽdit, in reſponſione ad tuam, & Caſauboni Epiſtolam? ſiccine, inquam, Catholicum te dicet aliquis, quandiu tam nefarios libros, atque magos in tuo regno graſſari vides, & permittis? At non eſt, quod tantopere demiremur hæreticos Magorum doctrinæ fauere; imo potiùs admirari debemus, cur non omnes magi, ac idololatræ fiant, qui cùm illuminati fuerint, ac cœleſtia dona in ſacro fonte, quo tincti ſunt, accepe-

Arguitur & refellitur Robertus Flud hęreticus & magus.

Quoſnã dęmones 4. humorũ corporis pręſides faciant.

Iacobus Britãnię rex & alij hęretici carpuntur.

rint; cùm etiam Dei voluntatem in Euangelio perlegant, cuius veritatem in pura malitia non ſolùm detinent, ſed ſcripturæ corruptione, permutatione, detractatione, & additione mendacium pro veritate nobis obtendant; huc illuc titubant, ſemper diſcentes, numquam verò ad veram, legitimámque ſcientiam peruenìunt. Enimuero malitiæ velamen eorum perſtringit oculos, ac volentes cæcitate percelluntur; adeout vulgò lata non
Hæreſis omnium malorũ iauua. ad aliquam ſolummodo perditionem, ſed ad omnium peſſimam, atheiſmum, idololatriam, ac magiam via hæreſis eſſe cenſeatur, & meritò dicatur. Sanè id in infinitam Dei miſericordiam refero, qui non eos ita paſſim in omnium ſcelerum colluuiem, ac impietatis abyſſum irruere permittit; illos enim ſumma cum patientia ad pœnitentiam prouocat, & expectat, quam ſi non arripiant magnam iuſti Iudicis iram ſibi theſaurizant, etenim ſuppliciorum magnitudine, tarditatem Deus iuſtiſſimus, fortiſſimúſque iudex compenſabit. Itaque pro viribus hortor hæreticos, vt ve-
Miſericordia Dei erga hæreticos.

Exhortatio ad hęreticos. ritate ſcripturæ retenta (quam tot in locis hactenus corruperunt, (vt iuſto volumine, ac nupera Apologia Petrus Cotonus demonſtrauit) ad fidem Catholicam citò reuertantur, donec illuceſcit Euangelica dies, ne tenebris exterioribus inuoluantur, ſed ne conſuetarum additionum breuitatem ſuperare videamur, ad Veneti Problema reuertamur.

Nullus eſt ergo liber à Raziele conceſſus Adamo, nam quis repererat atramentum & calamum, aut ſtylum, & laminas? quis iſtius libri folia compegerat? ſed non eſt, quòd in iſto libro refellendo laboremus, cùm nec iſte Angelus, nec alij admittendi ſint, vt patet non ſolùm ex S. Bonifacij Germaniæ Apoſtoli verbis, quæ l. 2. Hiſtoriæ eiuſd.
Bonifacius Germaniæ Apoſtolus. habentur; qui de Epiſtola Adelberti hæretici in qua 8. Angelorum nomina continebantur, ſic ait. Ex octo iſtis Angelis, vnus tantùm eſt S. Michaël,
Noua Angelorum nomina refellũtur. reliqui 7. potius dæmones; verùm etiã ex Concilio Romano, in quo voce vnanimi patres à Pontifice Zacharia rogati, ipſiſque ſubſcribente, quid de Alberti cenſerent charta, in qua Angelus Vriel, Raguel; Tubuel, Michaël, Aduuis, Thubuas, Sabaoth, Simihel inuocarentur, dixerunt: Quid aliud agendum eſt, niſi vt omnia, quæ coram nobis lecta ſunt igni concrementur, authores verò eorum anathematis vinculo percellantur? Octo enim nomina Angelorum, quæ in ſua oratione Aldebertus inuocauit, non Angelorum præter Michaëlis, ſed magis dæmonum nomina ſunt, quos ad præſtandum ſibi auxilium inuocauit. Nos autem, vt à veſtro ſancto Apoſtolatu edocemur, & diuina tradit authoritas, non pluſquam trium
Tria tãtùm nomina admittuntur. Angelorum nomina agnoſcimus, ideſt Michaël, Gabriel, Raphaël. In quo non minùs, quàm præcedentes errauit Vaninus, qui impudenter ſcholaſticis inſultat, exercit. 35. quos de Angelis ineptè
Aduertitur in impium Vaninũ. & inſulsè commentos eſſe mentitur, adeout ei faſtidium aut certè ſtomachum commoueant. At cui non bilem commoueas, dum in tertio intelligentiarum munere refers ex tuo chariſſimo Cardano l. 20. de ſubtil. tit. de Angelis prope finem; & ex Trithemio tract. de 7. ſecundeis, Anaelem Veneri, Marti Samaelem, Ioui Sachielem; Caſſielem Saturno præeſſe; à quibus tamen diſſentire ſimulaſti, ne forſitã ab inquiſitoribus in te animaduerteretur, quod non ſemel inſinuas: Tria autem duntaxat prænominata Angelorum admittunt D. Hieron. in 8. c. Daniel; & D. Gregor. hom. 34. nomina; cætera deuitanda ſunt, vt prophanæ vocum nouitates. 1. Timot. 6. ne ad ea nomina monſtruoſa labamur, quæ hæretici finxerunt; vt teſtis eſt Epiphanius hæreſi 24. de Abraſaxe, & 25. de Prunico, Paldabaoth, Calauchauch, Borbelo, & Metra 26. de Iao, Secla, Seth, Dade, Eloæo, ſeu Adonæo, Ialdabaoth, ſeu Eliſæo, & Sabaoth. Hæreſi 30. & 31. de Achamath 33. de 365. Angelorum, cœlorúmque nominibus, quæ Saturnilus confixerat: teſtis eſt & S. Irenæus l. 1. c. 12. de Azazele. Cæteras Rabinorum rapſodias, & onomatopœias libens relinquo, ſicut & ea quæ Cornelius loco cit. habet, & Trithemius in Steganographia ſlammis digniſſima; tum quia longiùs, quàm par ſit, hęc additio excurreret; tum etiam quia de eſſentia, numero, nominibus & officijs Angelorum plurima diximus in noſtris quæſtionibus. Videri poteſt Serarius in 12. Tobiæ caput quæſtiuncula 11. & ſequentibus. Reliquum eſt, vt limpidiſſimum Adami ingenium contemplemur, quod multíingis ſcientijs ornatum fuiſſe non eſt Catholicos inter, qui reuocet in dubium; at non eſt inter eoſdem Catholicos, qui non neget hoc Adamicæ mentis acumen Razielem eſſe vocandum; licet enim mens, ſeu νοῦς ſit animi rationalis apex, in quo Deus per aſſiduas contemplationes reſidere debet, & eatenus Dei ſecretum nuncupari poſſit, ea tamen nomina, quæ à Magis, & Rabinis conficta ſunt, vitare debemus, ne quando ad Angelorum religionem, & cultum, quem D. Paulus prohibet, perducamur. Dubio procul maximè valet præclarum ingenium ad diſciplinas capeſcendas, adeout crediderim plura ſuopte ingenio didiciſſe Adamum, quàm vllum alium hominem, tum ob excellentem animi facultatem, tum ob longiſſimam ætatem; ſed falſum eſt eum ſiue immediatas, ſiue mediatas rerum cauſas per literas alphabeticas edoctum eſſe: imo prius res videre, earúmque debuit proprietates agnoſcere, quàm vt eas denominaret; priùs denominare, aut ſaltem intelligere, ac mente tenus eloqui, quàm vt literas, characteres, vlláue quæreret elementa, quibus eaſdem proprietates, & ſcientiam poſteris tranſmitteret; poſtquam ergo Deus initio, rerum, ſi non omnium, ſaltem Adamo neceſſariarum cognitionem dedit: mox eis nomina, ſiue quæ tunc fabricaret, ſiue quæ Deus inſpiraret, impoſuit, vt patet, cùm adducta ſunt animalia, quæ ſua nomina, & imperium ab Adamo, vt à ſuo domino acciperent, quæ omnia iam alibi diſcuſſa ſunt. Expurgatorius Index vult totum deleri.

Nomina mõſtruoſa Angelorum ex Epiphanio.

Stegano graphia Trithemij.

De Adami ingenio quomodo nomina rebus impoſuerit.

PROBLEMA XXIX.

Gen 2. InSymp. VR *ſcriptum eſt, quod non inueniebatur homini adiutorium, cùm à principio geminus, ideſt maſculus, & fœmina creatus fuerit? An forſitan (vt Plato docet) fuerunt à principio coniuncti mas & fœmina per dorſum, poſtea ſecti, vt è regione coniungerentur ad prolem procreandam? Et in hoc, ſicut & in alijs, fuit edoctus ipſe Plato ab integerrimo Phi-* I. Verſiculus 18. capitis 2. exponitur.

loſopho Moſe. Quod apertè diſcere poſſumus ex ijs, quæ docet Zohar; & ex ſcriptura ipſa, vbi habetur, quòd ſecto latere, vel coſta Protoplaſti formata fuit mulier. צלע *Zelah enim vtrumque ſignificat, coſtam videlicet, & latus. Hinc, vt ipſe Plato proſequitur, alter alterum tanquam dimidium ſui, appetit. Facta verò ſectione mulier fuit adiutorium viri, videlicet tanquam coram eodem ſcilicet ſtans.*
Gen. 2. *Sicut habet veritas Hebraica. Pro quo communis editio habet, ſimile ſibi.*

CVR non triplicem hominem cum Ariſtophane Venetus, ſicut geminum fecit? vt tertium aliquod eſſet ex vtriſque compoſitum, ſic enim nõ tantùm quadripedem ac quadrimanum, ſed manus, pedéſque ſenos habentem exhibuiſſet; quæ omnia fabuloſa eſſe certum eſt apud eum, qui ſacris literis initiatus fuerit: nec enim initio fuit vllus maſculus ſuam à ſole, nec fœmina à terra, nec promiſcuum à luna repetẽs originem: an fortè nacti ſunt occaſionem antiqui, vt ex mundi Geneſi non intellecta, putarint Iouem eos ſecuiſſe, quòd cum dijs pugnare tentaſſent homines; quibus aliam adhuc diuiſionem minatus ſit, ni ſaperent? Sic Gentiles, & Philoſophi lumine veritatis carentes hallucinabantur; cùm enim tanto ardore maſculum & fœminam commiſceri cernerent, vnum alterius dimidium eſſe cenſuerunt; quemadmodum de ſectis pſettis, & auratis piſciculis referunt; vt totius reficiendi cupidinem, amoris nexum eſſe crederemus, noſque in priſtinam vnitatem reſtituendos, ſi piè Deum coleremus, vt ſic beatitatem adipiſceremur.

Explicatur fabula maſculi & fœminæ coniunctorum.

Quæ tamen Ficinus explicat tom. 2. in Platonem folio 1331. de anima, quæ in creatione 2. luminibus exornetur, ingenito, & infuſo, vt ingenito æqualia, & inferiora, infuſo ſuperiora conſpiceret; quæ dum ſe Deo æquare voluit & ad vnicum lumen ingenitum ſe reflexit, diuiſa eſt, & ſplendorem infuſum amiſit, ſtatímque in corpus cecidit; ita tamen, vt ſit adhuc diuidenda luminis ingeniti amiſſione, ſi forſan iterum ſuperbiat; è contrariò tamen ſit beatitudine donanda, ſi per lucem ingenitam, ad infuſam pergat; quæ quidem cum Adami, Euæque peccato quandam ſimilitudinem habere videntur, nam cùm non eis ſufficeret tanta lux naturalis, & ſupernaturalis accepta à Deo, aduerſus eum pugnare viſi ſunt, cùm eius ſeſe voluntati, ac præcepto perperam oppoſuerunt: at cùm hæc explicatio Ficini non in omnibus conueniat cum noſtris veritatibus, non eſt quòd eam tanti faciamus, vt non explodatur: Leo Hebræus ſi bene memini, acutiùs & meliùs illa omnia explicauit. Cùm igitur primus homo ſit tantùm maſculus creatus, & ex eius coſta fuerit Eua educta, vt ſacer codex mille teſtibus præferendus recenſet, ſi Plato à Moſe, vel quibuſdam Hebræis, eorúmve libris edoctus fuit, malè retinuit, vel non benè intellexit creationis myſterium, quid autem Zohar doceat, videant Rabinis addicti: nobis enim abundè ſufficit, ea quæ falſa ſunt, annotaſſe, nec parum doleo quòd Venetus hiſce nugis ſeſe ita immerſerit, quas tamen minimè refutauit. Meminit Senenſis l. 5. Bibliot. ſanct. annot, 45. fabellæ huius, quam D. Auguſt. de Gen. ad lit. c. 21. & Strabus reijciunt. Index vult totum deleri, ídque meritò.

Explicatio Ficini.

Explicatio Leonis Hebræi videatur.

PROBLEMA XXX.

Gen. 2. FVIT-ne mulier formata ex coſta ſolummodo, an ex oſſe & carne? Nonne I.
dixit Adam: Os nunc de oſſibus meis, & caro de carne mea? Vnde liquet,
Verſiculus. 22. quòd ſecto lateré Deus vtrumque ſumpſit, carnem videlicet, & oſſa. Hinc ſcriptum eſt, Et repleuit carnem pro ea, quam aſſumpſit, carnem videlicet pelle contectam; ne detecta pateret multigenæ læſioni. Et quia mulier eſt caro, & os viri; hinc magis vnita, & præeligibilis, quàm parentes, ſicut ſcriptum eſt, Propter quod relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori.

MVLTÆ hîc ſuſcitari poſſent quæſtiones de Euæ ex Adami coſtæ formatione; an illa coſta ſuperflua eſſet, vel poſtea Adamo vna perfectioni humanæ neceſſaria defuerit; an neceſſariò ſequatur ex illa formatione, vt Eua ſit Adami ſpõſa; an eam Adamus ſine reuelatione, poſtquam à ſopore excitatus eſt, agnouerit, & multa alia, quæ tam Pererius in Geneſim, Sallianus primo tomo Annalium, Fernandius, quàm alij multi interpretes, diſcutiunt.

PROBLEMA XXXI.

VBi & quomodo plantatus fuit hortus delitiarum? An forſitan in terra, vt eſt vul- I.
Verſiculus. 8. *garis opinio? vnde & paradiſus terreſtris falsò vocari ſolet, cùm id nuſquam in ſcriptura reperiatur. Nam quomodo conſitus dicitur hic locus à principio arboribus materialibus, cùm iam toti terræ dictum ſit, Producat terra herbam virentem, & lignum pomiferum? Si etiam tota terra conſita, & præparata fuerat in hoſpitium* Gen.
hominis peregrinantis, ad quid iſte locus particularis? An fortè locus iſte particularis factus fuit pro ijs, qui erant in ſtatu innocentiæ? ſed ille communis, quibus paratus erat, cùm nullus adhuc peccator eſſet? Præuidit (inquies) Deus hominem caſurum; hinc præparauit ei locum illum com- 2.
munem

munem; ſed nonne ſcriptum eſt: Maledicta terra in tranſgreſſione tua? Vnde docemur, quòd peccantibus data fuit terra maledicta, quæ non maledicta, parata erat ijs, qui erant in ſtatu innocentiæ. Expulſo itaque homine, ad quid plantatio illius horti? Quis eum poſtea coluit? An forſitan Henoch, & 3.
Elias? Sed antequam Henoch, & Elias illic irent, quis colebat ipſum? Quis comedebat fructus illos? Et quomodo duo viri poſſunt ſufferre cultum qui vniuerſo generi humano indictus erat? Et quomodo plantatus eſt in terra, cùm in veritate Hebraïca habeatur, quòd Deus plantauit ipſum in voluptate? Plantatus itaque fuit hic hortus in terra, de qua Propheta canit: Credo videre bona Domini in terra Pſal. 26.
viuentium. Vbi enim potuit meliùs plantari arbor vitæ, quàm in terra viuentium?

DVBIO procul pauca de Paradiſo nobis innotuere, adeout excitari poſſint quæſtiones centum, quibus diſſoluendis nullus homo ſufficiat; quis enim nouit vbi, ſeu qua in regione eſſet, quanto ſpatio contineretur, quantum durauerit; an & cur deſtructus ſit, an in eo omnes homines iuſti remanſiſſent, necne; an in illum Enoch, & Elias tranſlati ſint? & propemodum infinita ſimilia, de quibus nos alibi; hîc autem aduertiſſe ſufficiat, non eſſe diſcedendum à ſenſu literali, cùm nil ad hoc cogat; at hîc, quid cogit, vt paradiſum in terra fuiſſe negemus? imo ſatis illud Scriptura inſinuat, dum arbores eius graphicè deſcribit; vnde nõ placet perpetua Veneti allegoria, qua hîc, & in ſeq. problem. vtitur, non retinens literę, ac hiſtoriæ veritatem.

Nihil ferè certũ ſcimus de paradiſo terreſtri.

Quapropter paucis ea deſcribamus, quæ de paradiſo certa habentur; primò quidem licet patres non conſentiant de tempore, vt apud Bellarm. & Sallianum in Chronol. 3. die videre eſt; attamen probabilius eſt die tertia fuiſſe productum, cùm tunc iuſſum fuerit, vt terra produceretur. De loco, certum eſt in terra fuiſſe conditum, vt aduertit D. Chryſoſt. contra Origenis allegorias, cõtra quas patres tam Græci, quàm Latini egerunt, vt oſtendit Bellar. l. de gratia primi hominis; & quo fuerit in loco diſceptant adhuc inter ſe patres, & interpretes: ita tamen, vt omnibus ſpectatis verior mihi videatur ſententia, quã Sallianus poſt Pererium, Cornelium à lapide, Tornellum, Genebrardum, Oleaſtrum, Eugubinum, & Scaligerum ſequitur; nempe paradiſum voluptatis circa Meſopotamiæ fines conſtitutum eſſe, in ijs regionibus, quas Tygris & Euphrates præterlabuntur, maximè cùm iuxta ea loca Adam cum poſteris habitarint ante, & poſt diluuium; nam eum Dominus de Paradiſo emiſit, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt; quem prope paradiſum creatum fuiſſe non eſt dubium, vt mox in eum induceretur. Itaque ſatis conſtat iure, veréq; paradiſum terreſtrem dici, vt ex toto capite 3. Gen. confirmatur, in quo fons exiens è paradiſo deſcribitur, qui vniuerſam poſtea terram irrigaret, & ex arboribus ibidem conſitis, adeout cæcutiat, qui id non fateatur; quod hîc aduertiſſe ſufficit, vt veritas à problemate Veneti nullum detrimentum accipiat. Cuius rationes leues ſunt admodum; in prima enim ſupponit paradiſum poſt mundi ſex dies conditum fuiſſe, quod ex dictis falſum eſſe conſtat: nam ſimul productus eſt, ac dictum fuit, producat terra herbam virentem; adde quòd nullum inde ſequatur abſurdum, ſi poſt 6. dies conditum eſſe dixerimus: nam licet Deus 7. die quieuerit ab omni opere; potuit tamen poſtea nouum terræ locum eligere, quem primis parentibus eximiè præparatum deſtinaret, nunquid enim ſemper adhuc operatur? alioqui mundus ruat in nihilum neceſſe eſt: licet verò terra nondum maledicta, parata eſſet omnibus innocentibus, voluerat tamen locum peculiarem cæteris amœniorem Adamo Deus præparare, quid autem locus hic, expulſo Adamo deſeruierit, & an nunc perſtet, quis aperiet? Denique licet in Hebræo legamus paradiſum fuiſſe poſitum בעדן beheden, & iuxta 70. ἐν ἐδὲμ, quod tam appellatiuè pro voluptate, quàm pro loco proprio ſumitur, non ideo tamen licet inferre hunc in terra viuentium, ſeu cœlo empyreo, vt videtur inſinuare Venetus, conditum eſſe: quid enim aliud eſt dicere, plantatum fuiſſe paradiſum in voluptate, quàm in delicato, & amœno loco, quem Symmachus dixit ἀνθηρὸν, florentem: Tigurina verſio habet, delicatiſſimos hortos, Sibylla paradiſum ambroſium, Poëtæ campos Elyſios, proinde hic terreſtris paradiſus nequit in terra viuentium dici plantatus, niſi dicatur eatenus viuentium, quatenus Dei gratia viuebant primi parentes huius loci incolæ, antequam ſerpentis veneno inficerentur, ſeu peccatum facerent.

Quę ſint certa de paradiſo.

PROBLEMA XXXII.

I. QVÆ arbores in horto voluptatis ſunt plantatæ? An arbores materiales veluti ficus, vites, mali, & huiuſmodi? Sed nonne Deo magna infertur iniuria, ſi dicitur ipſum huiuſmodi arbores plantaſſe? Nam cùm ad arborum materialium productionem deueniſſet, vt maieſtatem diuinam decebat, iubendo dixit,
Gen. 1. Producat terra herbam virentem, & lignum pomiferum. An igitur plantauit ibi Deus
Math 15. meliores arbores, rationales videlicet. Sicut ſcriptum eſt, Omnis plantatio, quam non
2. plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur? De quibus arboribus, poſt verbum de pane
Pſal. 103. factum, dixit Propheta: Saturabuntur ligna, vel arbores campi (ſiue vt veritas Hebraïca habet) Adonai, & cedri Libani, quas plantauit Per Libanum enim antiqui Theologi ſyluam ſupramundanam intelligunt, quæ alio nomine dicitur liber vitæ. Vnde idem eſt plantari in voluptate, & ſcribi in libro vitæ. Sed nonne de hoc loco voluptatis agens ſcri-
Gen. 2. ptura dicit Gen. 2. Et germinare fecit Deus de humo omne lignum delectabile ad videndum, & bonum ad comedendum; & lignum vitæ; & ſcientiæ boni, & mali? Nonne om-

nes arbores rationales, plantatæ in terra viuentium, vbi & nutriuntur, plantatæ sunt quoque in terreo corpore, vt ibi fructificent, & mereantur pugnando cum carne? In quo quidem terreo corpore, plantata fuit & ipsa arbor vitæ, & scientiæ boni, & mali, quæ Christus est: iuxta illud, Et verbum caro factum est. Ioan. 1.

CERTVM est ibi plantatas esse materiales arbores, idque die tertio, vt dictum est; quas æquè potuit terra producere, ac cæteras plantas, & herbas, id enim facere dicitur Deus non tantùm quòd ipse immediatè, sed etiam quòd mediantibus causis secundis operatur, cùm actio instrumenti referatur in artificem, & producti in producentem: neque profectò vlla Deo fieret iniuria, si postquam asserit scriptura eum arbores istas plantasse, idipsum de eo prædicaremus, imo laude debita, gratáque Deum omnium factorem prosequeremur; nec enim laudis, & maiestatis minus aliquid ostendisset, si per se, quàm si terra mediante, arbores, herbasque produxisset. Concedo quidem rationales creaturas arboribus meliores esse, dixit autem Plato homines esse arbores inuersas, quarum radices capillares sursum eueherentur, quod metaphoricum est; fortè quia videbat hominem à cœlis originem aliquo modo habere, ad quos, vt eueheretur redirétque, Os ei sublime dedit omnipotens, cœlúmque tueri. Licet autē Psal. 103. legatur Domini יהוה, id tamen nihil aliud significat, quàm illas arbores ad Deum, vt & cætera pertinere; & quidem præcipuè ea Dei esse dicuntur, quæ sunt præstantia; ibi verò ligna Domini vocantur, quòd sint αὐτοφυᾶ ὐ χειρόκμητα, ἀλλὰ τῷ θείῳ λόγῳ βλαστήσαντα sponte nata, non manuum labore parata, sed Dei verbo germinantia; proinde sunt tantùm in sensu allegorico admittenda, quæ habet Venetus deinceps in hoc Problemate, vbi cùm libanū sumi ab antiquis Theologis pro sylua supramundana, & libro vitæ ait, nescio quos intelligat: nam licet pro Ierusalem, aliquando sumatur, non tamen alibi reperi pro libro vitæ sumi; tantùm ergo quæcunque sequuntur allegoricè intelligenda sunt, & quidem magna debet esse iustis lætitia, quòd in libro vitæ scribantur; iuxta id Euangelij: Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo; at non ita bene in sensum mysticum verti potest, quòd arbores rationales sint bonæ ad comedendum, nisi fortè quatenus in eorum operibus; & actionibus iustis delectatur rerum omnium conditor; ait enim delitias suas esse cum filijs hominum. Christus autem eatenus dici potest in paradiso plantatus, quatenus in vtero Virginis conceptus est; arbor vitæ optimè ei competit, per eum enim viuimus, mouemur, & sumus; & arbor scientiæ boni, & mali; etenim mors est malis, vita bonis, vt in die Festo Corporis Domini canit Ecclesia; quod etiam diuino Spiritu repletus cecinit Simeon Mariam Virginem alloquens Luc. 2. *Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël*: & hac ratione, præposito semper, quantum fieri poterit, literali sensu, sensus mysticos ex scriptura ad maiorem Dei gloriam, ac nostram, proximíque salutem depromere possumus. Index iubet Problema totum expungi.

Homo arbor inuersa. — Quomodo Christus arbor vitæ, & scientiæ boni & mali dicatur. — Luc. 2.

PROBLEMA XXXIII.

I. QVANDO *plantatus fuit hic hortus? An fortè post creatum hominem? Nonne dicit Scriptura, Plantauerat Dominus Deus paradisum in voluptate à principio? Pro quo in Hebræo habetur* מקדם *michedem. Vbi Hieron. bene discussis Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis interpretationibus subinfert. Ex quo manifestissimè comprobatur, quòd priusquam cœlum, & terram faceret Deus, paradisum plantauerat. In quo, & arbores rationales, prædestinatos potissimè plantauerat, iuxta illud Apostoli. Elegit nos in ipso (verbo videlicet æterno, quod est liber vitæ, & terra viuentium, vt dictum est) ante mundi constitutionem.*

Hieron. super Genes. — Vide Senensem l. 5. annot. 37.

IAM supra diximus ante mundi creationem die 3. paradisum fuisse productum, licet id non sit de fide; vnde à Suida παράδεισος, quasi παρὰ τὸ δεῖσαι ποιᾶς idest à collectione herbarum dicitur; cuius originem Arabicam esse dicunt teste Aben Hezra in cap. 4. Cantic. versu 13. Pardes enim in lingua Ismaëlitica viridarium, seu hortus: Steuchus ait esse nomen Persicum; vnde Xenophon hortos vocauit paradisos; de quibus loquitur Philostratus in vita Apollonij, dum ait Dauidem venationis causa ire ad loca paradisorum; & Procopius describit Africanum paradisum, in quo regia Vuandalorum esset, & Salomon Eccl. 2. ait se fecisse hortos, & paradisos ופרדסים גנות ganoth vphardesim. Cùm autem fuerit situs in Heden, cuius meminit Ezechiel, in eodem ferè loco, in quo Niniue condita est, ibi paradisus esse meritò dici potest, vbi fuit prima hominum habitatio, quæ fuit in Chaldæa, & Assyria; etenim Charan, quæ fuit in Mesopotamia coniungit cum Eden Ezechiel; Vnde consequens est, vt locus paradisi simul cum terra productus fuerit: Itaque qui volunt eum ante mundum fuisse conditum, in Iudæorum fabellas recidunt, qui 7. ante mundum creata fuisse putant, nempe paradisum, Legem, Iustos, Israëlem, Solium gloriæ, Ierusalem, & Messiam: vnde constat librum 4. Esdræ c. 3. versu 6. errasse dum asserit de Adamo: *Induxisti eum in paradiso, quem plantauerat dextera tua, antequam terra aduentaret*. Quod autem fefellit aliquos, fuit מִקֶּדֶם, quod non tantùm significat à principio, itaut referatur ad aliquod tempus existens ante mundum. Sed præterea significat ab oriente; quicquid enim loco, vel tempore antecedit dicitur Chadmon, & ipsa antecessio Chedem; vnde 70. verterunt κατ' ἀνατολάς, respexerunt

Vnde dicatur παράδεισος. — Pardes quid. — Eccle. 2. — Vbi sit locus paradisi. — Rabini septem ante mūdū creata fuisse aiunt. — 4. Esdr. — מקדם quid sit. — 70. Interpr.

respexerunt enim ad locum; cùm alij ad tempus respexerint; Vt D. Hieron. initio quæstionum Hebraicarum in Genesim; vbi potiùs ex aliorum, quàm ex propria sententia; cùm ipse paulo post Mikedem, vertat à parte Orientali paradisum esse: At licet concedamus Mikedem hîc sumi pro principio in vulgatæ editionis fauorem, prout Deuter. 33. sumitur, cùm habetur Vmeros Harre Keden, de capite montium æternitatis, & Psalm. 44. Bime Kedem in diebus æternitatis; vt ad tempus, & non ad locum referatur; facilè tamen intelligitur, quomodo illud principium referatur ad tertium diem, in quo terra produxit herbam virentem &c. in quo cùm nondum mundus perfectus esset, à D. Hieronymo dici potuit paradisum ante mundum conditum, seu ad vltimum colophonem perductum iam fuisse; sic enim Bellar c. 11. l. de gratia primi hominis, eum explicat, vbi etiam aduertit multa dici à D Hieron. ex aliorum sententia, vt in Commentarijs Epistolæ ad Ephesios; qui fortiter dimicat contra Origenis, & aliorum errores, qui sic paradisum allegorizant, vt historiæ auferant veritatem Epist. ad Pammachium de erroribus Ioannis Hierosoly. & in 10. c. Daniel. eundémque Origenem eadem de causa grauiter arguunt S. Methodius apud Epiphan. Hæres. 64. & ipse Epiphan. Epistol. ad Ioannem Hierosolymę Episcopum; itaque cauendum est, ne vnquam allegoriæ sensui literali officiant, alioqui fundamento nutante, cæteri sensus corruent; ideóque Iræneus l. 1. aduers. hæreses c. 1. Valentinum redarguit; in his autem allegorijs perpetuus fuit Philo, & ferè Origenes. Licet autem Augustinus Chisamensis Episcopus, Albinus quæst. super Genes. & Eucherius Lugdunensis Episcopus errasse credant Hieronymum, eum tamen iuxta prædictum sensum locutum fuisse aduersus eos tuetur Senensis l. 5. Bibliothecæ Sanctæ annot. 37. Cętera quæ in allegoriam trahit Venetus infrà tangentur. Iubet Index deleri totum.

Quomodo paradisū allegoricè tantùm explicent. D. Hieronym⁹. — Epiph. — Chisamensis. Eucherius.

PROBLEMA XXXIV.

I. QVOMODO *locatus fuit homo in ipso horto? An positus fuit in anima, & in corpore, vt dicunt? An mens Adæ fuit illuc introducta, vt videret arbores ibi plantatas in gradus omnium creaturarum (de quibus Apostolus, Alios quidem dedit fieri Apostolos, alios Prophetas, alios Doctores, & huiusmodi) arborémque vitæ, & arborem scientiæ boni & mali;* 2.
quarum vtraque Christus est, qui ait, Ego sum vita? Idem autem est arbor vitæ, panis vitæ, fons vitæ, & ipsa vita. Hinc ipse Christus ait, Ego sum panis vitæ. Ego sum vita. Christus quoque est arbor scientiæ boni, & mali, quia in ipso (teste Augustino) sunt æternæ regulæ, quibus conformiter viuere debemus. Quas quidem regulas etiam Angeli consulunt, tanquam vitæ fontem; vt ipsemet alibi perhibet. Cui adstipulatur Elchana dicens, quod lex erat in verbo, & sapientia Dei, antequam daretur. Cuius legis transgressio est malum, obseruatio verò bonum. Et ibi denique Adam vidit omnia arcana Dei. Iuxta id quod Mercurius perhibet de eo, qui mentem adipiscitur; & Sapiens de eo, qui ad veram sapientiam deuenit. Quod proprium est esse in paradiso voluptatis, dum homo est in via.

1. ad Cor. 12. — Ioh. 14. & 6. — Versicul. 8. capitis 2. — August. 14. de Trin. & 12. de Ciuit. — Mercur. ad Tatium. — Sap. 7.

NON est dubium quin in corpore & anima fuerit ibi positus Adam; vbi diligenter ab Origenis errore, in quem cadere videtur Venetus, cauere debemus, qui dicebat animas ante corpora conditas, nec eorum formas esse; quod Concilium Viennense sub Clemente 5. initio Clementinarum relatum damnauit. Fuit autem error Platonis in Timæo, qui existimabat animas à Deo creatas ante corpora, & in stellis positas, cui l. 1. περὶ ἀρχῶν assentitur Origenes; sunt & alij plurimi loci, in quibus huic errori sese Plato addixit, vt patet ex Phædro, vbi animum alatum, & in sublime incedentem per totum mundum existimat, antequam in corpus deuoluatur; ex 10. de Rep. & alijs locis, quæ latè refert I. Baptista Crispus distrib. 1. l. 5. Contra Origenem vide Nicephor. l. 17. c. 27. Theophilum Alexand. sui Paschalis l. 1. Eusebium de Origene. Synodum 5. vniuersalem Constantinopolitanam anathema contra sententiam Origenis fulminantem; nec soli Origenistæ hoc errore imbuti sunt, verùm etiam Priscillianistæ, & Flagellantes se circa annum 1320. sub Ioanne 22. vt apud Sanderum 7. de visibili Monarchia habes. Aduersus eundem errorem citantur Bracharense Concilium Can. 6. Constantinopolit. 6. actione 11. Leo Pontifex ad Iulianum Episcopum Coënsem, & ad Thuribium Austurensem. Clemens Alexand. 4. Strom. Theodoret. 5. de diuinis decretis c. de homine. Cyrillus Alexandr. l. 1. comment. in Ioannem, & multi alij Patres; præter quos Magister sentent. cum interpret. videri potest 2. sent. dist. 17. præsertim Argentinas, cum quibus Beda tom. 2. l. de mundi cœlestis, terrestrísque constitutione c. de certa animæ origine, concludit esse indubitatæ fidei animas similiter cum corpore nasci, & Leo Epist. posteriùs citata. Catholica fides constanter prædicat, atque veraciter, quòd animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuêre.

Absit ergo, vt dicamus Adami mentem corpore exutam in paradisum introductam fuisse, quod licet concederetur, quanam ratione Prophetas, Apostolos, cæterósque, quos ibi citatus Apostolus enumerat, videre potuisset, qui nondū erant: necdum enim eos prout sunt in ideis æternis, seu in intellectu diuino prospexit, cùm id sit beatarum duntaxat mentium, illa verò mens Adami beata nondum erat. Quæ allegoricῶς hîc de Christo, vt & in alijs præcitatis habet problematibus, in Harmonia fusiùs repetit, & amplificat tono 7. c. 21. in quo Mosem ait sensum anagogicum innuisse: ac si paradisus ille nihil aliud esset, quàm vinea ista, quam plantauit dextera Dei, de qua Psalmographus, *visita vineam istam, & perfice eam*: cuius arbores in filio, seu verbo diuino plantatæ sint, in quo qui non manserit, *mittetur foras, sicut pal-*

Concilium Viennense. — Errores quidam Platonis & Origenis. — Baptista Crispus. Nicephor. — Bracharense Concilium. — Clemēs Alexād. — Cyrillus. — Quid fides statuat de tempore, quo animæ producuntur. — Allegoriæ Venetinæ in Harmonia.

Sensus anagogicus paradisi de Christo & gloria æterna.

mes, & arescet; quod enim in ipso factum est, vita erat; qui cùm omnia portet verbo virtutis suæ, in eo omnia plantata sunt, iuxta id psalmi: *& in libro tuo omnes scribentur*; at cùm filius sit in patre, qui in eo scribuntur, sunt etiam in eodem parre, iuxta id, *Sicut tu pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis vnum sint*; hic est hortus, qui fonte vberrimo fœcundatur, de quo Psaltes: *torrente voluptatis potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ.* Quæ quidem omnia dici possunt anagogicè, non de re, quæ iam fuerit, quia nõdum Adamus beatus erat, nec eius posteri ad gloriam electi adhuc illa beatitate perfruũtur omnes, sed de re futura, quãdo similes erimus Deo, cùm videbimus eum sicuti est; Ideóque non est existimandum in gloria, seu fœlicitate æterna, vel Adamum, vel Angelum fuisse collocatum initio; alioqui peccare non potuissent, cùm tamen ille Cherub, qui perfectus sapientia, & plenus decore in delitijs paradisi fuerat, vt patet ex Ezechiele, ceciderit apud Isaiam, eiúsque interiora repleta sint iniquitate. Qui tamen, sicut & Adam, eatenus in paradiso fuisse dici possunt, quaterus erant in gratia, quæ est velut paradisus, & gloria viatorum.

Quomodo Adam & Angeli fuerint, & non fuerint in paradiso initio.

Vnde quis varios sensus mysticos elicere potest, enimuerò, si paradisum pro ideis diuinis, in quibus longè meliùs sese habent omnes creaturæ, quàm in sua propria natura, sumpseris; tam rationalia, quàm rationis expertia sunt in paradiso; at cùm nullus possit ab intellectu diuino cadere; cætera non ita possunt commodè per hunc sensum explicari; nisi fortè dixeris Deum vidisse creaturas rationales, vtiustas, & per gratiam ad gloriam ordinatas pro vno tempore, quo scriptæ erant in libro vitæ, antequam peccati labe inficerentur; eiectas autem ex paradiso, de libro vitæ deletas, & non ampliùs à Deo pro iustis cognitas fuisse pro tempore, quo diuinum præceptum contempserunt. Nulla tamen ratione verum est creaturas rationales ante mundum conditum in esse suo naturali, & proprio apud Deum fuisse, extra quem ante rerum conditionem nihil erat. At reliquum Problema compleamus, non quidem iuxta literam, quæ clara est partim ex præmissis, partim ex dicendis. Postquam eiecti sunt palmites, rursus transplantantur in Christo, in quo velut in vite nisi quis manserit, non potest facere fructum à semetipso; hæc est vinea, in quam diei hora qualibet mittuntur operarij; *Ite & vos in vineam meam*, in qua Christus est arbor vitæ, in quem qui credit, non perit, sed habet vitam æternam; iustus quippe viuit ex fide in Christum, qui verè dicit, *ego sum panis viuus*; ille est lignum plantatum secus decursus aquarum, de cuius maiestate cùm Lucifer gustare voluisset, nec non Adamus, tempestas animi, corporisque excitata est, cùm eiecti sunt non tantùm è paradiso, & cœlo, sed quod præcipuum fuit malum, ex gratia & charitate; adeout Ionas possit esse Christi figura, in cuius persona dicat, propter me venit hæc tempestas. Vt autem ad hortum delitiarum regrediamur, tantùm pulsemus ad ostium, quale se dicit Christus Dominus, *Ego sum hostium, per me si quis introierit saluabitur, & ingredietur*, nempe in paradisum voluptatis. Quæ pauca ex Harmonia attuli, vt ne quis me existimet illa omnia anagogicos sumpta repudiare, tanquam omnino inutilia; immo quoties non repugnant sensui literali, nec vlli veritati Fidei Catholicæ, aut rationi censeo esse commodissima, quæ coram Catholicis, ad eorum mentes in cœlum euehendas proponantur. Sed non parum displicet, quod mordicus hũc sensum, vt verum & genuinum arripiat Venetus capite 21. citato, in quo etiam pergit ad Cherubini versatilisq; gladij sensum spiritualem, quod postea discutiendum erit. Denique non est, quomodo iustus in hac vita, qualis erat Adamus paradisi incola, Dei arcana penetret, nisi per reuelationem, aut rationis exercitium, per creaturarum cognitionem scaiarem, quæ nos ad Dei maiestatem contemplandam prouocant; hæc est vera mens, & sapientia, quam nunc amplecti debemus, vt postquam in atrijs Domini steterimus, in aulam regis æterni admittamur. Iusserat Index, vt totum expungeretur.

Ideæ diuinæ aliqua ratione paradisus dici possunt.

Qua ratione sensus anagogicus bonus sit.

PROBLEMA XXXV.

QVOMODO *Heua formata fuit secundùm carnem ex Adam in paradiso, si ipse ibi erat tantùm secundùm mentem? Non habemus in aliquo Scripturæ loco, quòd mulier formata fuerit in paradiso voluptatis; sed hoc tantummodo habemus, quòd postquam Adam fuit introductus in ipsum hortum, formata fuit mulier. Vnde inuitur, quòd quamuis homo ad contemplationem rerum diuinarum subleuatus sit, nihilominus, loco, tempore, & modo incumbere potest procreandæ soboli. Nec enim obstat homini, mentem iam adepto, loco, & tempore rei vxoriæ vacare. Sicut contingit Patribus, Abrahæ, Mosi, & Dauidi. Quorum primus inde habuit, vt Secreta Theologiæ, & diuini cultus patefaceret. Secundus, vnde legem sacramentorum plenam traderet. Tertius, vnde sacros hymnos omnigena sapientia refertos decantaret.* Versiculus 22.

MIROR certè quomodo Venetus non viderit clarissimũ esse in capite tertio Adamum iam in paradisum missum fuisse, quando Eua producta est, ac proinde hanc in paradiso fuisse productam; ipsiúsque error manifestè arguitur ab ipsa mulieris productione ex costa Adæ, qui propterea vers. 23. dixit, statim atque vidit Euam; *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; non autem de mente mea; penitúsque dementem esse oportet, qui id non videat, & concedat; nec enim opus est verbis expressis in Scriptura haberi Euam in paradiso productam, vt id credamus, sed abundè sufficit, vt idem verbis æquiualentibus habeatur. Quod hîc addit de contemplantibus, certum est licere marito post debitas preces fusas, cæteráque negotia peracta proli procreandæ vacare, licet opera Dei aliàs soleat contemplari: non tamen id vllatenus licet ijs, qui vel vxorem non habent, vel

Actus Veneti à contẽplatione retrahit, & parua epilepsia vocatur.

vel ob alias iustas rationes ab eo prolis opere prohibentur; ne quis putet hîc Venetum hæreticis fauere, qui cœlibatum oderunt, ac sacerdotibus, seu voto castitatis astrictis, huic actui vacare licitum esse mentiuntur; & quidem nihil est, quod tantoperè à rerum diuinarum contemplatione, ac rerum spiritualium sapore retrahat, quàm istius actus exercitium, in quo ratio absorberi videtur, adeout quidam hunc actum paruam epilepsiam fuerint ausi nuncupare. Demùm nec Abraham, Moses, aut Dauid, nec vllus alius vi suæ contemplationis addiscere potuerunt ea, quæ ad cultum diuinum, aut religionis nostræ mysteria pertinent, sed Deus illud eis reuelauit, licet contemplatio, & à rebus terrenis secessus sit præclara ad diuinas inspirationes suscipiendas dispositio. Index vult totum expungi.

PROBLEMA XXXVI.

1. 2. VR *mulier dicta fuit* חוה *chaua, idest viuificatrix, aut vitam præbens? Nonne assignatur ratio, dum subinfertur; eò quòd esset cunctorum viuentium mater? Sed quomodo fuit mater cunctorum viuentium? An fuit mater omnium animalium, & plantarum? Dicunt aliqui, quòd fuit mater omnium hominum. Sed cur non dixit Moses, omnium generandorũ in specie humana, vel quid huiusmodi: Sed dixit omnium viuentium? Nec enim scriptura vtitur vocabulis improprijs, sed quàm maximè proprijs. Hinc sæpissimè decipiuntur, & decipiunt interpretes, cùm scilicet volunt accommodatissima vocabula abducere à proprijs significatis, & ad libitum interpretari. Nam per Adam, intelligitur Leuiathan masculus, qui est fons omnis masculinæ vitæ, per Chauah verò Leuiathan fœmina, quos* זגות *zugot, idest coniuges, vel iugales antiqui Theologi vocant; nec miretur quispiam non initiatus doctrinis antiquorum, à quibus habemus, quod ex fonte rationalis vitæ progrediuntur irrationales, vt Plotinus docet. Quò tendit, vt nonnulli volunt, Platonicum illud à poeta decantatum.* Gen. 3. Versicul. 20. cap. 3. Virg. in 6.

Spiritus intus alit, totámque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum, pecudúmque genus, vitæque volantum. De quo infrà.

NOMEN Heua suæ tribuit vxori Adam c. 3. vers. 20. quod Steuchus ait esse pronuntiandum Chaua à Chai; idest viuente, vel animali, vbi 70. verterunt ζωή, vitam; reprehenditque eos qui Aue dictum esse volunt ab Eua nomine corrupto, vt sicut contraria fuerunt, quæ virgo intulit, ijs quæ inuexit Eua, ita per inuersionem literarum contraria sint nomina, quod tametsi pium est, rectè tamen aduertit pietatem veris rebus, & non falsis inniti debere, sed cùm hæc parui sint momenti ad alia pergamus.

An Eua, & Aue conuertantur.

Aliqui explicant Euam, (quo nomine 70. vsos esse censet Hieron. in quæst. Hebraic. Sed ζωὴ è margine in textum irrepsisse) dictam esse viuentium matrem, nempe vita ærumnis plena viuentium; at certè planus est sensus hîc omnium hominum intelligi, cum ab ea, & Adamo descenderint omnes; potuit verò Moses viuentium nomine præcipuos viuentes intelligere, homines nempe in quorum vtilitatem cętera viuentia producta sunt, more admodum celebri apud Philosophos, qui sæpiùs nomen aliquod multis commune sumunt pro famosiori significato, vt ipsi loquuntur. Non erat igitur, quod Venetus laboraret in hoc sensu tam claro, per nescio quas fabellas euertẽdo, quas ex Thalmudicis libris accepit; & quidem his similes habet Senensis l. 1. Vbi de libris 3. & 4. Esdræ agit, & refert ex capite 6. Leuiathan, & Henoch 2. maxima animalia creata fuisse, quod etiam se legisse asserit in libris Thalmudicis ordine 4. tract. 3. ita vt Deus fœmellam occiderit, ex cuius salitis carnibus salsamenta delicatissima iustis parauerit, & electis suis post hanc vitam comedenda; masculum verò sibi reseruarit viuum, vt cum eo suscitiuis diei horis luderet iuxta id Psalm. 102. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*: habet & aliam Galatinus l. 7. c. 3. & 4. Vbi Iudæorum veterum sententiam refert, qui dicebant Deum, cùm creauit Adamum ex materia, ex qua formandus erat Adam, pręcipuam partem retinuisse, quam in nobiliori membro *corporis* Adæ reseruauit, quę postea in Seth translata sit, deinde ad Enos, & sic deinceps vsque ad Ioakim, ac proinde Virginem ex hac massa formatam fuisse, vnde Zacharias c. 4. vocat eam petram primariam, ex qua Messias excidendus erat; quod inuenerunt, vt Virginem ab originali peccato liberarent; his similes fabellas in libris Rabinicis multas habes. Sed vt ad rem nostram reuertar, si Venetus paraphrasim Chaldaicam legisset; protinus vidisset matrem omnium viuentiũ dici, omnium filiorum hominum. Nec profectò scriptura vtitur semper vocabulis ita proprijs, quin ea sint rebus multis cõmunia, cùm potius iuxta linguę Hebraicę formulas necesse sit vnumquodque vocabulum ad diuersa accommodare, pauca etenim admodum habet vocabula propria. A quibus autem illam fabellam traxerit, quam de Adamo intelligi, déque Eua profitetur, nescio, nam peritus in Thalmudicis rebus Iudęus factus Christianus Aquinas nomine, à me rogatus, vbínam huiuscemodi fabella contineretur, negauit in Thalmudicis, aut Rabbinorum libris haberi; sed cùm suos veteres, secretósque Theologos laudet, videamus quid de ipsis censere debeat vir Catholicus. Sanè verissimum existimo quod Oleaster canone 15. notauit Genesis initio, Iudæos nimirum fabulas finxisse, dum quædam scripturæ loca minimè intelligere potuerunt, quos potiùs superstitiosiores, quàm secretiores Theologos appellandos volo. Quamobrem dixerunt abyssum esse nescio quod Ensoph, quod infinitudinem resoner; pręterea nu-

ζωὴ.

Senẽsis.

Fabulæ Iudaicę, & Thalmudicę.

Psal. 102.

Vide totam genealogiã eorũ per quos massa illa vsque ad Virginẽ descendisse dicitur in concione Conceptionis beatæ Virginis, quam Humblo to nostro tribuunt, tametsi conciones illæ, quæ illi nomine circumferuntur non sint proprius tanti viri fœtus, sed tantùm aliquid ab eius ore vel scriptis furtim excerptũ, concinnatum &

vulgatũ, vtiã quilibet iudicat, qui legit veras ei⁹ conciones manuſcriptas, in quibus neſcias quid amplius admireris eloquẽtiam, an doctrinam.

Arguitur Zohar.

Multæ nugę exploduntur.

mero millenario Dei poteſtatem alligant, tanquam ſapientiæ ſigillo; quem ad decem fontes, ſeu numina conuerſum eſſe nugantur; ad quæ verba illa dixerit opem imploraturus, inquit Zohar: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; quare numerum denarium cui tantoperè diuina iſta numina aſtrixerunt, non etiam vndecimum Deum faciunt? Numquid eſt ſupra ipſos Deos, itaut ſit rerum omnium, ac ipſorum numinum fundamentum, cùm ex omnibus quaternarij partibus conſtet, & decem proportionibus 4. numeri cubi conſumetur, quibus vniuerſum Pythagorei conſtare dicebant? An potius iudicarent Academici nõ eſſe numeri ideam vltra denarium, vltra quem non poſſit quis alium numerum imaginari? Quot obſecro veſtimentis Deum induunt, qui nihil aliud gignat, niſi per animalia ſanctitatis, modò Mitatrum annuat; ſed ea relinquere ſatius erit, ne in Iudæorum Ghematria, Notarico, Themurah, cæteriſque nænijs tempus terere, bonáſue horas conſumere cogamur: tot enim nugis ſuos libros infarciũt, vt eas vix ſine pudore Catholicus aliquis referre audeat. A pageſis ergo cum tuis ſecretioribus Theologis, quos improbandos eſſe non eſt dubium, quoties præſertim ſacri codicis, patrum, conciliorúmque doctrinæ, aut ipſi rationi repugnant; imo nec ob aliquas veritates amplectendi ſunt, niſi ad hoc neceſſitas cogat, ne ſub vmbra veritatis, mendacia ſua, atque blaſphemias propinent. Denique falſum eſt, quod ex Plotino refert, niſi per fontem vitæ rationalis Deum intelligat, nec enim Angeli, aut homines vllum animal irrationale generare, aut producere poſſunt, niſi applicent actiua paſſiuis aliunde quæſita; poëta verò vel de Deo loquitur, ſeu ipſius virtute, vel fallitur. Index vult totum deleri, idque meritò.

PROBLEMA XXXVII.

SI hortus delitiarum eſt in terra viuentium, quomodo inde fluunt illa 4. enumerata flu- Gen.2.
1. *mina? An per fluuios illos 4. elementa intelliguntur, vt alibi diffuſiùs exarauimus?*
A quibus quidem elementis omnia irrigantur, & fouentur, cùm ex ipſis ab eodem fon- Verſiculus 10.
te emanantibus omnia componantur. An per fluuios illos intelliguntur riuuli vitæ, ab capitis 2.
2. *eodem vitæ fonte emanantes, & irrigantes 4. mundi partes, ex quibus tota hæc ma-*
china integratur? Sed nonne de fluminibus illis habetur manifeſta notitia? Impoſſibile quidem eſt ipſa
3. *fluere ex eodem fonte, cùm habeant origines ſuas per centena, & millena milliaria diſtinctas, vt*
Ptolemæus, Strabo, alijque acuratiſſimi Coſmographi docent, & experientia comprobatur. Si igitur
ſcriptura non verificatur de origine, multominus de fluminibus. Vnde patet, quòd deſcriptio hæc metaphorica, & ſimilitudinaria penitus eſt.

De 4. fluminibus paradiſi quid ſentiendum ſit.

VERE' ſitus eſt omnium delitiarum hortus in terra viuentium, vt quilibet verus Catholicus videbit, dũ his Chriſti verbis auditis: *Intra in gaudium Domini tui*, theſauros cœleſtes attinget, ac poſſidebit. Sed dũ inquirimus paradiſi terreſtris veritatem, nõ eſt quòd ad anagogiã confugiamus, cùm ſine difficultate poſſimus intelligere, quomodo hæc 4. flumina Tigris, Euphrates, Phiſon, & Gehõ ex amœnis horti Edeni cãpis fluerent, quorũ ſiue poſſimus originẽ, ſiue nequeamus inueſtigare, nil penitus obſtare debet; præſertim cùm per vniuerſalem cataclyſmũ curſus ſuos aliò dirigere potuerint, & originibus immutatis alijs iam ex partibus erumpere. Et quidem quod ad Gehon attinet, Nilum videtur intelligere ſcriptura, vt cùm Hierem.2. dicitur, *vt bibas aquam turbidam*: vbi iuxta 70. habetur *Gehon*, & Eccle.24. per Phiſon Ganges intelligitur, & per Gehõ aſſiſtentẽ in die vindemię, Nilus, qui tempore vindemiæ pleniſſimus eſſe ſolet, cùm à ſolſtitio æſtiuo ſumat incrementum; & Phiſon dicitur à פש paſch ideſt redundare, ac præter cætera flumina impleri ſolet; vnde Eccleſiaſticus ait; qui adimplet quaſi Phiſon ſapientiam. Quatuor quidem elementa ſunt omnium mixtorum principia; ſed quanam ratione paradiſi fontes 4. dici poſſunt? nulli verò ſunt vitæ riuuli ab vllo fonte in omnes creaturas manantes, præterquam à Deo, vt oſtendetur alibi contra eos, qui alios præter Deum creatores, rectoréſque huius mundi admittunt. Vt autẽ poſſibile eſſe cognoſcamus, quòd ex eodem fonte 4. illa flumina proficiſcerentur, priùs inueſtigandum eſt, vbi eſſet ille fons, quem Aquila vertendo vocẽ אד non vaporem, vt quidam ſed ἐπιβλυσμὸν ſcaturiginem abundãtem dicit; quòd ſi ponamus in Aſia paradiſum, vt reuera ponendus eſt, ſtatuendum eſt fluuium illũ de loco voluptatis egredientẽ, vel fontem de terra aſcendentem irrigaſſe duntaxat vniuerſam ſuperficiem terræ, non quidem Europicæ, aut Americæ, ſicut nec Africæ; (cùm Europa, & Africa ſeparetur ab Aſia per mare mediterraneum, & ſinum Arabicum, ab America verò per fretũ Anianum; ac proinde fons illas terræ partes peragrare nõ potuiſſet, niſi ſuper omnia maria ſuperfuſus ea tranſgreſſus fuiſſet, quod naturaliter fieri non potuit) ſed tantùm Aſiaticæ terræ, quia Moſes agit de hoc fonte ad ordinẽ loci paradiſi, quem paulò pòſt fluuiũ vocat, qui ab altiore horti Edenici parte potuit ita erumpere, vt cæteras partes irrigaret; & per alueos plurimos confluens in 4. capita coiret; in quorum explanationem Lipomanus exemplum ex Rhœtia deſumptum attulit, ex qua fluuij 4. ad 4. mundi plagas defluant, Rhenus ſcilicet, Padus, Rhodanus, & Danubius; vt & ex fontibus non ita diſtantibus, velut ex vna terræ abyſſo Moſa, Moſella, Sequana, & Araris, & Ligeris, vel potius Matrona deſumunt originem; nam Ligeris caput paulò longiùs diſtat à cæteris; at Matronæ, ſicut & cæterorum fontes in Diœceſi Lingonenſi propemodùm eſſe cenſentur.

Eccli.24

פש

אד

Origo fluuiorũ quorundam celebrium.

Quàm ſit difficile 4. fluuiorũ paradiſi originẽ aſſignare.

Scio graues eſſe difficultates circa fluuios paradiſi, cùm enim terram Heuilath circuiret Phiſon, vt nongentis circiter poſt diluuium annis Moſes docuit; Heuilath autem ſit Aſſyriam inter & Ægyptum, vt conſtat ex Iſmaële ab Heuilath vſque ad Sur habitante, quæ reſpicit Ægyptũ introëuntibus Aſſyrios Gen 25. & Amalecitas, qui tempore Saülis terram eandem incolebant 1. Reg. 15. attamen tabulæ Geographicæ fluuium hunc non habent; verũtamen plus vni Moſis topographiæ poſt bis mille, & quingẽtos annos à mũdi exordio ſcriptæ, dicentíque Arabiã à Phiſone circunluſtratam, & libro

1.Reg.15

Eccl.24.

Magis credendum eſſe Moſi, quàm vllis Geographis.

Pſal.106.

& libro Eccleſiaſtici c. 24. eundem Phiſonem poſt mille, & ducentos annos à morte Moſis celebranti credidero, quàm prophanorum vniuerſalibus, aut particularibus chronographijs, vel topographijs; ſiue nunc illi fluuij extent, ſiue caſu aliquo exhauſti ſint, vel etiam aliorſum commearint, aut nouos exitus repererint, ſiue iam obſcuri, dubijque remaneant ob plurimas gentium, linguarum, & vocabulorum ab illo tempore factas mutationes, iuxta id Pſal. 106. Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim. Enimuero fatentur hiſtoriæ, multa quæ fuerant in mari, nunc eſſe in terra, vt referunt de S. Audomari templo; Alexandriæ Pharo, multíſque inſulis; idque teſtatur abundè regio Pentapoleos, quæ cùm eſſet inſtar paradiſi Dei, iam mutata eſt in lacum Aſphaltidem; ſatis eſt quod exiſtimemus certum eſſe Phiſonem, & Gehonem prope Tigrim, & Euphratem exoriri, quos Geographi cum Lucano conſtanter in Armenia ſuos habere fontes aſſerunt.

Deſinat ergo nobis faceſſere negotium Georgius, nec, quod non intelligit, impoſſibile cenſeat; Verùm de paradiſo & eius fluctibus, vide quæ diximus alibi, nec non Pererium; ſatíſque proinde fuerit paucula iam annotaſſe, ex quibus literalem ſenſum ampectamur. Totum deleri iubet Index expurgatorius.

PROBLEMA XXXVIII.

CVR primi parentes fuerunt ſtatim bello expoſiti, tam turpiter ſuperandi? Nonne
1. *hinc totum ſacramentum humani negotij dependet, de quo inquit Apoſtolus: Omnia concluſit Deus in incredulitate, & ſub peccato, vt omnibus miſereatur? Quod ſacramentum adeò profundum eſt, vt ſtatim ipſe Apoſtolus ſubinferat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius! Vt tamen de imperſcrutabilibus vijs Dei aliquid cum ipſius adiutorio referamus, id vnum dicemus, quod pater æternus (vt filium honoraret) humanum genus infici permiſit labe primorum parentum; vt ab ea liberati mortales per Redemptorem, ipſi Redemptori tenerentur, cum maiori tamen fruge redemptionis, quàm fuerit damnum peccati. Nam diligentibus Deum, & dilectis à Deo, omnia cooperantur in bonum.*

Ad Rom. 11.

LICET hæc in ſenſu Catholico poſſent intelligi, cauendum eſt tamen ne fortè putemus peccatum fuiſſe Deo neceſſarium, aut à Deo fuiſſe volitum; enimuero certum eſt odio tam impium, quàm eius impietatem eſſe Deo optimo maximo; nec infinitæ viæ deerant omniſcienti, quibus alia ratione miſericordiam, profuſámque bonitatem manifeſtaret; quòd autem omnia ſub peccato dicitur incluſiſſe, vt omnibus miſereatur, non eſt ita capiendum, vt ad peccata Deus homines impulerit, & illis velut muris quibuſdam eos incluſerit; id enim neque vult, neque poteſt; cùm in Deum nulla poſſit imperfectio cadere, qualis eſt peccatum: illud autem (concluſit) Theodoretus cum D. Chryſoſtomo explicat, per (conuicit) Origenes (concludi permiſit) cum quo cæteri huius loci interpretes conueniunt; vt omnium miſereatur, quod pro generibus ſingulorum, non ſingulis generum explicant contra Origenem, qui teſte D. Aug. 21. de ciuit. c. 24. dæmones, ac damnatos aliquando ſaluandos eſſe dicebat. Poſſumus autem alias rationes afferre cur Deus, cùm poſſet impedire peccata, non tamen obuiauerit; nec enim D. Paulus ad Rom. 11. hæc verba affert, O altitudo diuitiarum, vt oſtendat nullas eſſe beneplacitorum Dei rationes, cùm iam nonnullas attuliſſet, inquit Catharinus, ſed in hominem ſuperfluè diſquirentem, & de omnibus etiam particularibus ſibi cauſam reddi exigentem, quaſi deſtomachans prouocet ad abyſſum diuinorum iudiciorum, & conſiliorum, quæ plus à noſtris cogitationibus, quàm cœlum à terra diſtant, ac proinde non eſt mirum, ſi viæ eius à nobis comprehendi nequeant, quæ tamen ſummæ æquitatis pleniſſimæ ſunt. Eapropter autem Deum peccatis non obuiaſſe D. Auguſt. de correp. & grat. c. 10. tradit, quia ſciuit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere etiã de malis benefacere, quàm mala eſſe non ſinere: deinde, vt primùm in homine oſtenderetur, quid poſſet liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficiũ, iuſtitiæq; iudicium? ſed & alias ex D. Auguſt. rationes deducit Bellarm. l. 3. de amiſſione gratiæ c. 2. nóſque reſponſionibus ad Atheorum argumenta multas alias explicauimus. Iuſſit Index totum expungi.

Locus D. Pauli ex c. 11. ad Rom. explicatur.

Theodoret. Orig.

D. Aug.

Ad Rom. 11.

Catharinus.

Quare De⁹ peccata non impediuit ex Auguſtino.

PROBLEMA XXXIX.

1. *QVO cultu iuſſit Deus coli hortum à Protoplaſto? An fortè ligonibus, vomeribus, falcibus,* Verſiculus 15. capitis 2.
2. *& raſtris? Sed quomodo terra viuentium colitur huiuſmodi inſtrumentis? An igitur iuſſit*
ipſum operari ſecundum legem ei datam, vt videlicet contenderet deuenire ad gradum
cuiuſcunque arboris ibidem plantatæ, dempta arbore ſcientiæ boni, & mali? Hinc notanter
dicitur, De omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas. Nam iuſſit
Deus ipſum proficere de virtute in virtutem, & cuſtodire ſtatum innocentiæ. Ideo præmittitur, Et cuſto-
3. *diret illum. An de cultu illo intelligitur de quo ſcriptum eſt, Ite & vos in vineam meam?*

VIDERE mihi videor Georgium constituere in cœlo empyreo nostrum Adamum, in quo nondum beatus esset, alioqui non potuisset suum meritum augere, quod tamen insinuat; sed hoc est fictitium: verè enim fuit in terra, & de terra creatus, quam rusam existimant ex agro Damasceno fuisse desumptam interpretes nonnulli; qualem autem scientiæ boni & mali Venetus dicet arborem? numquid Christum, seu Dei Filium, vt antea; ad cuius æqualitatem cùm Angeli, ac homines peruenire tentassent, in peccatum ruerint. Sensus autem literalis est facilis admodum, prout verba sonant Gen. 2. vers. 15. Honestum enim illud exercitium Deus homini dederat, non vt fatigaretur, sed ad voluptatem, & experientiam, vnde non paruam laudem agricultura desumit, cùm ab hominum omnium capite Protoplasto descenderit, & per Abelem & Sethum propagata sit, donec Noë restituerit eam, vt habetur c. 9. Gen. ex quo factum est, vt non puduerit præstantes viros, imo Reges, & Imperatores agriculturam exercere, qua nihil melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius esse ait Tullius; eamque D. August. vocat omnium innocentissimam, quam Manichæus damnauerat, quod agricolæ diuinum hoc præceptum, Non occides, violarent; nam cùm segetes demetunt agricolæ, pira, poma, cæterósque fructus carpunt, herbásque vellunt, aut abscindunt eas sua vita priuant, quod est valde ridiculum; quid obsecro de vermibus, locustis, talpis, cætersque animalculis dixisset, quæ sæpiùs hortulani vomere, gladio, sarculóque confodiunt, ne plantæ, vel arbores earúmque fructus depascantur? Hortum autem suum custodiebat Adam ne fortè quædam animalia huc illuc diuertentia, aliquid, quod nollet, calcarent, aut frangerent. Denique quod de vinea addit, tropologicãs recipi potest; quid enim est aliud vita hominis, quàm agricolæ operatio? cuius ager sit anima virtutibus, sanctísque actionibus excolenda; plantæ, virtutes; lolium, zizania; vrticæ, cardui, cæteræque herbæ succrescentes, vitia eradicanda; agricola, voluntas, vel homo: gratia Dei, imber; venti, tentationes; solis calor, ardor Spiritussancti; adeout qui iam seminant in lachrymis, in exultatione fructus peramplos æternæ gloriæ messuri sint. Illud etiam totum expungendum esse iudicauit Index.

Laudes agriculturæ.

Stultitia Manichæi.

Vita hominis est agricolatio, vt habes ex enumeratione partium.

PROBLEMA XL.

I. CAPVT III. 2. 3.

VR præter primam pugnam Deus dimisit in nos multigenos & continuos hostes? An vt inde victoriam reportantes, dignius, & pretiosius præmium consequamur? Nam teste Apostolo, Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. An vt virtus nostra probetur, iuxta Gregorij dictum, Si hostis desit, virtutis experimenta non proderunt? An, vt appositis bono & malo comprobetur libertas arbitrij nostri, & laus detur bene eligenti? Hinc in Deuteronomio dicitur: Considera quòd proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & è contrario, mortem, & malum: Vt inde habeam vnde benedicam tibi, & faueam: vel, vnde puniam, & disperdam, vt ibidem longo sermone prosequitur Deus.

1. Timot. 2.

Gregor. in Moral.

Deuter. 30.

PROBLEMA XLI.

I. 2. Versiculus 1. 3.

VR Diabolus in specie serpentis introducitur? An, vt eius astutia denotetur, sicut scriptum est, Et serpens erat astutus præ cunctis animantibus terræ. An, quia sicut à serpente nihil boni sperare possumus, sed tantummodò nociuum & lethale venenum; sic à Diabolo nihil nisi fœditatem & exitium animæ, multigenúmque malum suscipere valemus? An, quia inter animalia *dæmoniaca*, serpens est ipsi Diabolo accommodatissimum? Hinc faciliùs, & frequentiùs in forma serpentis apparet.

NIHIL est quod in 40. Problemate notandũ esse videam; in 41. denotatur Dei bonitas, qui permisit tantùm dæmoni serpentem ingredi, vt cùm tentaret, facilè posset Eua in suspicionem fraudis, ac thecnarum dæmonis adduci. A serpentibus autem vtilitatis aliquid non solùm quoad mores, (iuxta id, *Estote prudentes sicut serpentes*) sed etiam pro corporis salute decerpimus, vt patet in theriaca, cætersque medicamentis, quorum compositionem viperæ, muscæ cantharides, & multa alia venenata animalia ingrediuntur. Non est autem credendum esse quædam animalia dæmoniaca, quæ laruatis apparitionibus malorum spirituum peculiariter obsecundent; omnia enim Deus ad suam gloriam, atque hominũ vtilitatem produxit, ac proinde nulla dici debẽt dęmoniaca; licet quædam sint in quibus frequentiùs dęmon apparet, vt ex magorum, maleficorúmque processibus constat; qui dæmonibus sub bufonum, canum, hirci, porcorum, cæterorúmque huiuscemodi animalium formis morem gerunt. Dubio procul sæpius in nostram pernitiem dæmon quibusuis animalibus, tanquam instrumentis vteretur, nisi sese Deus peruersis eius conatibus opponeret. Iubet Index deleri verbum hoc, *dæmoniaca*, idque meritò.

PROBLEMA

PROBLEMA XLII.

I.

VR serpens primò mulierem aggressus est? Nonne vt faciliùs obtineret victoriam, locum debiliorem, & ipsi magis domesticum oppugnando? Et hoc, siue per mulierem fœmina ipsa, siue animalis portio intelligatur. Nam sicut Michaël Archangelus constitutus est super omnes animas, sic diabolus vendicat sibi carnem, & sanguinem, partémque animalem, quæ sub ipso militans pugnat contra Spiritum, sicut ipse Diabolus contra Michaëlem; vnde apud peritos eadem censetur pugna. Si verò per mulierem fœmina ipsa propriè intelligatur, ipsa quoque est facilior ad consentiendum, cùm sit debilioris virtutis; *tum quia animam sortitur à loco magis ipsi Diabolo peculiari, quàm vir*, tum etiam quia deest ei *illa vera Dei Imago*, quam Diabolus summoperè veretur. Nec dicendum est, quòd eadem est *Imago* vtriusque, quia non ab re Paulus horum Sacramentorum conscius, gradus Imaginum distinguens, ait, Mulier est imago viri, vir verò Dei. Et alibi per alia verba, Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Et iterum. Omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput autem Christi Deus. Ecce igitur quod eam differentiam ponit inter virum & mulierem, quæ est inter Christum, & communes viros. Hinc administratio sacrorum tributa est viro, mulieri autem nequaquam.

1. Corin. 11.

Ephes. 5.

VIX ac ne vix quidem defendi possunt, aut debent, quæ hîc habet de muliere Venetus: etenim mulier non erat magis domestica, quàm vir dæmoni; quòd si non verum literæ sensum, sed tropologicum de parte animali, seu corporea sequamur, neque verum est dæmonem vendicare sibi carnem, & sanguinem, præsertim in innocentiæ statu, cùm nulla esset carnis, & animi pugna, originali iustitia pacem iucundissimam producente; imo nec post iustitiæ amissionem credat aliquis, dæmonem in corpora nostra imperium habere; quod satis patet in Iob, in cuius corpus ausus est aggredi nihil, donec ei Deus permitteret ad maius Sancti Iobi meritum, Dei gloriam, dæmonísque confusionem. Quod si quam in hominem in peccato originali, vel actuali constitutum potestatem habet, eam tamen nequit ad libitum exercere, sed quantum permiserit omnipotens, eámque per baptismi, ac gratiæ diuinæ virtutem amittit; at verò dum audis, caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt, intellige de ijs, qui brutorum instar viuentes, facti sunt sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, qui se ipsos dæmoni, ac inferno tradunt in perpetuam seruitutem, si seruus fuerit peccati, qui illud perpetrat, vt veritas docet. Similiter est refellẽdum, quòd ait mulierẽ à loco magis diabolo peculiari, quàm virũ ãnimã sortiri; vterque siquidem immediatè sumit animam à Deo, quæ simul infunditur, & creatur; quòd si latus, & costã intelligat, à qua mulier eductaest; quis eam magis, quàm caput, imo quàm animam dæmoni subiecit, aut in habitaculum tribuit? At verò quis in mentem inducat suam Euæ deesse sacram Dei Imaginem? nunquid similis figuræ corpus cum Adamo habet, cùm sit in adiutorium simile producta? Sed corpore neglecto, in quo non est Imago diuina, quam quærimus, ad animam accedamus, nec enim in præsentia Audæum Antropomorphitarum auctorem insectari volo. Age ergo, quid est illa imago, & similitudo, seu imago similitudinis, quam viro soli impressam Venetus asserit? quid est illa צלם, seu vmbra, qua vult Euam carere? Numquid, vt sit homo mente, ratione, intellectu, seu anima rationali præditus, quæ sit incorporea, æterna, & immortalis, libera, sapientiæ, gratiæ, visionis Dei capax, ac in corpore toto tota, totáque in singulis eius partibus? ecquid mulieri deest ex istis omnibus? Sed, inquies, homo præest, & dominatur animalibus, finis est omnium creaturarum; per varias artes Dei opera imitatur, & eius intellectus sit omnia intelligendo; quasi verò non etiam imperio mulieris paruissent animalia; fortè carent artibus mulieres, quas tam sæpè videre est excellentes musicas, philosophas, & cæterarum artium cultrices ingeniosas; in quibus non rarò nescio quas subtilitatis, argutiæ, ac viuacitatis scintillas, quàm in homine maiores, frequentioréque deprehendas; quarum proinde fiat etiam omnia intellectus. At si perfectissimum modum, quo Dei similitudinem gerit homo subtiliùs expenderimus, dubio procul eam in muliere fatebimur; vt enim homo intelligendo se, producit verbum sui ipsius repræsentatiuum simile verbo, quod Pater æternus se intelligendo producit sui ipsius expressiuum, ita & mulier, in qua, sicut & in viro ex præcedenti verbo procedit eiusdem verbi amor, vt in diuinis amor ex patre & verbo, amato & amante, vel ex duabus personis amantibus se Spiritussanctus procedit, vt iam nulli debeat esse dubium, quin Dei sit imago in muliere, vt testatur D. Aug. 12. de Trin. c. 7. & Basil. hom. 10. Restat vt Sanctum Apostolum intelligamus hac ratione, vt vir sit præcipuus, & veluti generis humani antesignanus, cui potius obedire, quàm imperare debeat vxor, sed illud imperium non potest ab ea Dei Imaginem tollere, sicut nec à seruis delet, quibus solent homines imperare. Qui plura volet, interpretes D. Pauli præ manibus habet. Post illud, sit debilioris virtutis, dele vsque ad; *tum etiam quia deest ei illa vera Dei Imago* exclusiuè, & pro, *illa vera Dei Imago*, scribe: *Illa perfectior ratio Imaginis Dei*. Et ibi, *quòd eadem est Imago vtriusque*, scribe, *quòd eadem est ratio Imaginis vtriusque*. Sic enim præcepit Index expurgatorius.

Quomodo caro & sanguis regnũ Dei nõ possidebunt.

Audæus Antropomorphitarũ auctor.

צלם

Mulierũ ingeniũ promptum, & viuax.

In muliere sicut & in viro est Imago Dei.

D. August.

PROBLEMA XLIII.

1. Versiculus 4. 2. 3. 4. 5.

QVID ſuggeſſit mulieri ſerpens, & quod fuit peccatum primorum parentum? Nonne peccatum ipſorum fuit tranſgreſſio præcepti dati, ne comederent de ligno ſcientiæ boni, & mali? Sed cùm præceptum datum fuerit tantummodò viro (vt in textu patet) quomodo peccauit mulier? An quia cùm eſſent duo in carne vna, præceptum datum vni ad alium extenditur? An quia mulier dependet à viro, ſicuti à capite, vt nuper dictum eſt? Sed quid ſuggeſſit diabolus mulieri per eſum illum? An ſuggeſſit, vt hortaretur virum, quòd comederet de ligno illo, ideſt, faceret ſibi proprium gradum illius arboris, qui Chriſto tantummodò competebat? Nam ſæpiſſimè mulieres auidiores ſunt gloriæ virorum, quàm ipſi viri. Hinc peccatum primorum parentum non tantùm fuit tranſgreſſio præcepti, ſed ſuperbia, quia appetierunt gradum ſibi minimè conſentaneum. An ſuggeſſit, vt vir qui ſolummodò experiebatur bonum, experiretur & malum annuendo mulieri, vel parti inferiori iam deceptæ? Gen. 3.

PAVCVLA in hoc, & in ſequens Problema notari debent, nam mihi dubium non eſt, quin vtrique præceptum datum fuerit ſiue mediatè, ſiue immediatè; ſerpens etiam mulieri ſuadens, vt de fructu vetito comederet, id protulit nõ ſolùm vt ipſa deciperetur, ſed & vt ipſa virũ decipere conaretur; ſenſum myſticum, & tropologicũ miſcet, quod non eſt reprehendendum, modò ſenſum literalem retineamus, vt cæterorum caput. In ſequenti tangit adhuc hortum ſupramundanum, de quo nos ſupra. De tactu arboris non reperio fuiſſe præceptum ne tangeretur, nec modum, quo dæmon Euam in arborem impegerit, quapropter non plura, quàm quæ in ſacro codice habentur, auſim aſſerere, licet piè multa circa dæmonis thecnas excogitari poſſint, modò id nulli veritati repugnet.

PROBLEMA XLIIII.

1. Verſiculus 6. 2.

QVOMODO mulier guſtauit arborem? An (*vt quidam Hebræi garriunt*) comedit de arbore materiali, de qua mendaciter ipſa dixerat, quod Deus eis præceperat ne comederent, neque tangerent eam ſub pœna mortis? Vnde (*vt ipſi dicunt*) Diabolus impegit eam in arborem, ſubinferens. Sicuti per tactum mortui non eſtis, ſic nec per eſum moriemini: nam vt incuteret vobis terrorem Deus, id dixit. *Sed cùm de arbore plantata in ſupramundano horto ſit ſermo, quid guſtauit delectabile, & pulchrum viſu? Nonne delectabilis, & pulcher oculo mentali eſt gradus ſuperior?*

MODVM tentationis ſerpentinæ clariùs paulo paraphraſtes Chaldęus docet; verúmne eſt quod dixit Dominus, non edatis de omni arbore horti; quę tamen fuiſſe prima ſerpentis ad Euam verba pernegat R. Kimhi in libro radicum ſuper hunc locum; & quidem dubium non eſt, quin diuerſis ſtratagematibus vſus ſit, ac rationibus veritatem ementientibus, vt, odio vos habet Deus, tametſi præſtantiores ſitis reliquis creaturis, vt patet ex eo, quòd vobis arborem prohibet, ac lignum iſtud, quod alioqui vos tam doctos, & ſapientes efficeret, multáque ſimilia poſſunt excogitari. Addunt non pauci de ſuo Euam addidiſſe ſibi à Deo prohibitum ne tangerent, aut iuxta paraphraſim Onkeli, appropinquarent ad eam, licet alij malint eam religionis ergô illud addidiſſe; at ſicut potuit ipſum tactum, & acceſſum iuſtis, ſi voluiſſet, de cauſis prohibere, ita an id factum ſit, cùm Scriptura non explicet, quî ſciemus? Sicut & an impegerit eam in arborem dęmon, quod non exiſtimo probabile, nec ſcio vnde id Venetus deſumpſerit, fortè ex Thalmudicis nugeculis. Cętera vt prius dixi, non ſunt in ſenſu literali, ſed myſtico vera, ſi tamen vera ſunt. Poſt illud, *guſtauit arborem? An*, deleri iuber Index parentheſim vſque ad, *comedit de arbore*, excluſ. Et ibi, *vnde, vt ipſi dicunt, Diabolus*, deleri, *vt ipſi dicunt*. Et paulò inferiùs poſt illud, *terrorem Deus, id dixit*, totum vſque ad finem Problematis.

Verba tẽtationis dæmoniacæ.

PROBLEMA XLV.

1. 2.

MVLIER & *vir conſenſerũt ne in idem, an in diuerſa? Non modicæ quidem difficultatis eſt hoc negotium tam apud Hebræos, quàm apud Latinos ſapientes. Aliqui enim Hebrei dicunt (præſupponendo principia ſuæ reconditæ Theologiæ) quòd Adam errauit, ſeparando lunam ſupercœleſtem à ſole ſupramundano, quod eſt deſtruere rerum diuinarum influxum. Alij verò literam ſequentes (quibus maior pars Latinorum conſentit) dicunt, quòd comedit de fructu materiali. Sed in quo fructu locata fuerit ſcientia boni & mali, & quomodo alijs probandum reliquerunt?*

Triſmegiſtus

3. *Triſmegiſtus autem non recedens (vt opinor) à veritate, ait, quòd homo relicta contemplatione patris (ad quam videlicet ordinatus erat) in ſphæram generationis eſt collapſus, nam cedens mulieri, vel animali parti ceſſit carni & ſanguini. Vbi didicit malum, & nuditatem ille, qui erat ordinatus in bonum. Et iuxta hoc. Mulier, & vir conſenſerunt in voluptatem, contra regulam, & legem boni, & mali. An (vt aliàs dictum eſt) conſenſerunt ambo in appetendo gradu ſibi nequaquam competente?* Mercur. in Pimand.

DIVERSAS in ſententias Interpretes abeunt, quodnam fuerit Euæ, & Adę peccatum, quorum melior pars ſuperbiam fuiſſe ſentit & confirmat ex cap. 10. Eccleſiaſt. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo*; ſatiſque mihi conſtare videtur ex dæmonis ſuggeſtione, cui ſuccubuêre; *eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum*, tunc enim ad ſe, propriámque excellentiam conuerſi intumuerunt: ita ſiquidem excellentiæ propriæ nobis innatus eſt amor, vt ſit veluti primũ mobile, qui nos ad cætera proſequenda, vel etiam fugienda incitet; magiſque confirmatur ex verbis, quæ vel per ironiam, vel per compaſſionem Deus protulit. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum*: quod 11. de Gen. ad lit. cap. 34. D. Auguſt. explicat. Quid mirum, ſi ſuperbi volentes eſſe ſicut dij, euanuerunt in cogitationibus ſuis? & cap. 35. impari ſexu, pari faſtu. Præterea videntur infidelitatis peccatum contraxiſſe, dùm potius ſerpenti, quàm Deo crediderunt; vtérque fuit inobediens; vtérque peccatum excuſat, quòd ſi non fuit cauſa perditionis generis humani mulier, vt Adam, eius tamen occaſio fuit: Adamo verò quædam alia peccata tribuunt, vt quòd nimiùm vxorem dilexerit, quòd tentare voluerit peruerſa curioſitate, & temeraria, an ex fructu comeſto mors ſequeretur, adeout cenſeatur Adamus longè grauiùs peccaſſe, quàm mulier, itaut ſecundum quid dicere poſſimus omnium peccatorum grauiſſimum fuiſſe Adami peccatum, tum quia maximam habebat non peccandi facilitatem, inquit D. Auguſt. 14. de ciuit. 12. & 15. tum quia id maximam ingratitudinem includit, tum etiam quia genus humanum damnationi addixit: de quibus plura diximus in noſtris annotationibus. Rabbinicum eſt quod addit Venetus de ſeparatione lunæ ſupercœleſtis à ſole ſupramundano, ac proinde cæterarum fabellarum inſtar irridendum. Verus eſt autem ſenſus literalis, quem ex Latinis inſinuat, eum enim tam Græci, quàm Latini patres amplectuntur. Quod ex Triſmegiſto refert fictitium eſt, aut metaphoricum; tametſi enim contemplationem Dei reliquerint, dum contemnentes iuſtiſſimum eius præceptum præcipites ſe dederunt in peccati tenebras protoplaſti, non ideò tamen in generationis ſphæram cecidêre, cùm in ea priùs continerentur, niſi de generatione quis explicet, prout iam carnis rebellionem adiunctam habet: Verum eſt autem, quod Adamus malum, & nuditatem ſuam cognouit & erubuit, ſicut & Eua, nam propterea ſe à facie Domini abſconderunt, à quo tamen nihil abſcondi poteſt. Iubet Index totum expungi.

Eccl. 10. Superbia fuit primum peccatũ.

D. Aug.

Adę peccatũ grauius fuit Euę peccato ex Auguſt.

PROBLEMA XLVI.

1. 2.

QVOMODO Adam cognouit ſe nudum? An quia (vt aiunt) poſt errorem commiſſum, & rebellionem Deo factam ſenſit rebellionem carnis, quæ in eius opprobrium reluctabatur? An (vt verum Sacramentum tangamus) quia dum homo cedit peccato & ſerpentinæ aſtutiæ, denudatur, vt de Noeh dicitur? Hinc in Ezechiele ſcriptum eſt, Et denudabunt te veſtimentis tuis, & auferent vaſa decoris tui, & derelinquent te nudam, plenámque ignominia. Et in Oſea: Auferat fornicationes ſuas, ne fortè expoliem eam nudam: & de populo Iſraël in adoratione vituli peccante, ſcriptum eſt, Depoſuerunt filij Iſraël ornatum ſuum montis Horeb, quem ſcilicet habuerant à Deo, quando illuſtrati ſunt ad ſuſcipiendam legem ibi datam. Veſtiuntur itaque viri boni luce, ſicut de ipſo Deo nos illuſtrante Propheta canit. Amictus lumine ſicut veſtimento. Qua quidem luce priuantur dum peccant, & ſic nudi remanent quoúſque iterum veſtiantur. Gen. 3. Verſiculus 10. capitis 3. Ezech. 16. Oſee 2. Exod. 33. Pſal. 103. Gen. 3.

MIRVM eſt quot, & quantis bonis homo fuerit per peccatum expoliatus, & in quanta mala ruerit; quæ licet D. Aug. ad 2. fontes errorem, & dolorem, vel potiùs ignorantiam & difficultatem, ex quibus 2. præcedentes oriantur, referat 3. de lib. arbit. c. 18. & ſequent. ſcholaſtici verò ad 4. capita, quæ vulnera naturæ vocant, attamen tanta malorum cohors, tam internorum, quàm externorum, tam corporis, quàm animæ obſidet, vt meritò recentiores ea diſtinxerint in plura capita; & quidem non minimum eſſe cenſeo, quòd tanta nos in infantia, imo & dum prouectior eſt ætas, tanta inquam ignorantia laboremus, vt etiam, proh pudor! ad beſtiolarum ſcholam à Sapiente relegemur, quod optimè D. Aug. notauit l. 1. de peccat. remiſ. c. 38. Ad hanc ignorantiam fatuitas illa reducenda eſt, cum qua naſcuntur aliqui, adeout nec prima litterarum elementa diſcere poſſint, quod deplorat epiſt. 28. ad Hieron. Sicut & difficultas, quâ in diſcendo patimur, & obliuio tam facilis rerũ anteà cum ingenti labore cognitarum, quod explicat 22. de c. 22. Quò etiam referas vltimi finis ignorationem, non tantum ſupernaturalis, verùm & naturalis, vt oſtendit ex diuerſis Philoſophorum ſententijs 19. de ciuit. & mediorum ad finem ſcientiam quis vnquam naturæ viribus adinuenit, aut impoſterum inueniet, cùm *cogitationes mortalium timidæ ſint; & incertæ prouidentiæ noſtræ?* Sapient. 9. Si verò rerum naturas inſpiciamus, quas tanto-

Pœnæ originalis peccati deſcribũtur ex Aug. duæ.

Ignorantia.

D. Aug.

Fatuitas.

Obliuio.

Sapient. 9.

Inscitia. perè scire desideramus; Deus bone quanta est in nobis *inscitia*, qui nequidem vnius formicæ naturam perfectè nouerimus, vt notat Basil. Epist. 168. ad Eunom. & sine vlla authoritate satis experimur; enimuero cunctæ res difficiles, non potest eas homo sermone explicare Eccle. 1. Quid si nos ipsos non nouerimus cùm psalt. 18. Psal. dicat, *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me*; qui cùm à corpore iuuandi essemus, nos mentémque nostram aggrauat: Et vt miseriarum intellectus humani colophonem addamus, licet sit vsque adeo inscius, vt seipsum ignoret, aliena tamen opera non tantum externa, sed & occultissimas alienæ mentis cogitationes, intentiones, secretissimósque recessus obseruat, arguit, penetrat, & iudicat, vt optimè Chrysost. l. 1. de compunctione cordis aduertit; & cùm diuinæ contemplationi, ac propriæ saluti intendere deberet, multa sæpiùs inutilia, leuia, ridicula, sordida, & impudica apud se voluit, ac reuoluit, vt conqueritur Hieron. dialog. aduers. Lucifer. & Aug. 10. confess. 35. Denique cùm mens sit æterna, cui proinde debetur operatio perpetua, vix vnius Aue spatio in eadem cogitatione perstare valet; quòd si somnum, & refectiones cum cæteris inutilibus occupationibus sustuleris, quàm breue reperies tempus illud, quod propriæ functioni destinat! Hæc sunt, quæ pro vestimentis decoris, ac lumine quo illustrabatur intellectus ex peccato reportauit. Hæc sunt inquam, sed vtinam sola; nec ita laboraret voluntas nescio qua ob innatam peruersitatem inexplicabili φιλαυτία, qua quærunt omnes, quæ sua sunt, non quæ Christi, & ex qua, velut è radice omnia vitiorum genera pullulant, tam quæ D. Aug. enumerat 22. de c. 22. quã quę præterea numerari possunt; sed præcipuè difficultas illa, quam experimur in vitijs superandis, atque comparandis virtutibus; licet enim hominis finis sit iuxta rationis dictamen viuere, ac proinde virtus secundum naturam, contra verò vitiũ esse videatur; attamen cùm bibãt homines sicut aquam iniquitatem, Iobi 15. lætentúrque cùm malefecerint Prouer. 2. nec sine diuersis flagellis infantes ab iniquitate coërceri possint, vt Aug. loco citato notat, imo nec prouectiores facti quibusuis tormentis, crucibus, patibulis, rotis, ignibusque possint à flagitijs deterreri, est sanè, quod tantam ad malum humanæ voluntatis pronitatem demiremur, & incredibilem de propria salute negligentiam, maximè cùm in temporalibus lucris captandis immoderata sollicitudo adhibeatur. Ecquam voluntatis humanæ peruersitatem existimabimus, quæ non tantùm cum parte inferiori, sed ipsa secum pugnat, ac propriæ inconstantiæ rotis continuò reuoluitur, vt satis de se loquens explicat 8. conf. 9. & 10. S. Aug. nec vnquam ferè de proprio statu contentus est homo, sæpiúsque nescimus quid in huius peregrinationis ærumna desiderare debeamus, cùm fastidio nostro tabescamus, atque longa inediæ peste fatigemur inquit Greg. 36. homil. in Euang. quantum malum est, vt tametsi non possumus peccare, nisi velimus, attamen absq; omni peccato viuere nequeamus.

Eccl. 1. — Curiositas. — Chrysost. — Hieron. — Mentis volubilitas inconstãs. — φιλαυτία — Difficultas fugiendi peccati. — Iobi 15. Prouer. 2. — Pronitas ad malũ. — Negligẽtia salutis. — Pugna interior animi. — Gregorij dictũ.

Paucula vulnera multas inter lethales plagas vide in parte sensitiua, non multorum surdorum, cæcorum, claudorum, mutorum, monstrorum natiuitatem, quæ Aug. 6. in Iul. cap. 4. refert in peccatum originis; non somniorum nocturnas visiones, quibus conturbamur, non varia phantasiæ diuerticula, atque figmenta orationis tempore ingesta: sed iræ in animum imperium obijcio, quæ cùm esset ad virtutem constanter exercendam à Deo concessa instar armati militis, iam penitus hominem in feram conuertit, adeo vt pungat vt scorpio; mordeat vt canis, & quæcumque obuia dissipet; hæc est concupiscentiæ fortior pars, quæ generat in homine bellum intestinum, sæpiúsque mentem ab arce rationis deturbat; cui non cedit altera concupiscentiæ pars, quæ omnia suis stupris, adulterijs, innominandísque sceleribus commaculat, nec in toto mundo horribiliores tragœdias videre est, quàm quæ passim ex hac carnali concupiscentia profluunt: quibus omnibus iunge si vis omnes morbos, omnia infortunia tam intrinsecus innata, quàm deforis aduentantia; quod necdum expleueris, si historias omnes, medicorúmque libros euolueris: ac postmodum rogabo te, an cum Apostolo, cui datus erat carnis stimulus, non libentissimè exclames, infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ergo propter has rebelliones inferioris appetitus aduersus rationem, ac propter inordinatos genitalium partium motus, in quibus fœditas maior apparet, Adam se cognouit nudum, nec ampliùs diuinæ gratiæ, peculiarísque Dei prouidentiæ clypeo armatum se esse cognouit: quæ omnia quodammodo possunt cuilibet peccato lethali applicari: at de his toto libro 3. de peccato originali, vel 6. de amissione gratiæ videri possunt plurima apud Bellarminum. Nósque proprijs quæstionibus plura longè attulimus.

Aug. — Iræ mala. — Concupiscẽtiæ incommoda.

PROBLEMA XLVII.

1. VOMODO ambulabat Deus in horto ad meridiem? An hinc concluditur (*vt aliqui opinantur*) hortum illum esse materialem, cuius partes distinguuntur in meridionalem, aquilonarem, & huiusmodi? Sed quomodo ambulabat ille, qui semper stabilis, & immobilis est? An igitur cùm peccatum ab Aquilone procedat,
2. à quo omne malum, Deus volens vti pietate erga primos parentes (quorum culpam decreuerat delendam esse per proprium filium, ibat effectu ad meridiem: Vbi (secundum antiquos Theologos) collocata est pietas, misericordia, & clementia? Et hic est verus ventus diei, licet aliqui aliter sentiant.

Gen. 3. *Versicul.* 8. *capitis* 3. — Ierem. 1.

CVm præmiserimus paradisum materialem, & terrestrem fuisse, certámque terræ regionem: Necesse est, vt 4. mundi plagas Austrum, Aquilonem, Orientem, & Occidentem respexisse dicatur. Quomodo autem Deus ambularet facilè soluitur in sententia D. Aug. qui ca. 7. li. 15. de ciu. putat

D. Aug.

putat Deum humana quadam forma fuisse cum ipsis conuersatum, ac collocutum: Non iam inquiro, an Deus ipse visibilis apparuerit, vt censent Abrahæ, Mosi, ac Propheris eum apparuisse Cyprian. 2. cõtra Iud. c. 5. Hilar. 4. de Trin. & Nazianz. tract. de fide, an potiùs Dei vices Angelus suppleuerit, vt habet Diony. 4. cœlest. Hierar. Hieron. in 3. cap. ad Galat. Aug. 3. de Trin. cap. vlt. cum multis alijs; siue enim hoc, siue illud dixeris semper eadem recurrit difficultas, quonam modo potuerit ambulare, & loqui, cùm Angelus etiam pedibus, atque lingua ex sua natura careat; sed nihil Deo difficile, nec hoc aut illud adhuc definitum est: quapropter sine veritatis præiudicio sensum magis literæ congruum retinere possumus, vt verè Deus assumpto corpore aëreo aut quocumque alio, & ambulauerit, & loquutus fuerit. Nec est minus facile, vt intelligamus, quomodo ambulet, quàm quomodo creet, cùm actiones istæ externæ sint, nec tamen iuxta diuinitatem, aut actum diuinum mouetur; quò enim moueretur, qui vbique præsentissimus est? Sed effectus duntaxat, seu creatura mouetur. Cætera non sunt literalia, sed tropologica. Aduerte autem editionem vulgatam non habere simpliciter ad meridiem, sed, ad auram post meridiem, licet Hebræus textus habeat, ad auram diei, Chaldæus, ad quietem diei, quod fauet nostræ versioni, nam circa vesperam flat zephyrus, & solis æstus quiescit: accedit translatio Theodotionis apud D. Hieron. in quæstion. Hebraic. ἐν πνεύματι πρὸς καπὶ ψυχὴν τῆς ἡμέρας, in aura ad refrigerium diei; vt meridiano calore transacto refrigerium auræ spirantis ostenderet. Post illud, *An hinc concluditur*, deleri vult Index parenthesim vsq; ad, *hortum illum exclũsiuè*.

Cypr. Hilar.

PROBLEMA XLVIII.

1. VOMODO intelligitur dictum Pauli: Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit? An (vt aliqui asserunt) quia Paulus secutus est literam, qua habetur, quòd mulier dixit, Serpens decepit me? Adam verò non dixit, decepit me quispiam, sed dixit, Mulier, quam dedisti mihi, dedit de arbore,
2. & comedi. An (vt alij opinantur) etsi homo deceptus fuit, non tamen quantum mulier? An
3. quia error est in parte animali, quæ non percipit quæ Dei sunt; non autem in parte spirituali, quæ vt Apostolus ait) iudicat de omnibus? Hinc peccatum per errorem, seu per fragilitatem commissum facilè remittitur. Et quia homo non peccauit deceptus, ideo difficillima fuit venia, & à solo Dei filio impetranda.

1. ad Timoth. 2. — Gen. 3. — 1. Cor. 2.

D. August. c. 11. lib. 14. de Ciuit. ait Adamum existimasse transgressionem præcepti esse veniale duntaxat peccatum, nec Euam contristari voluit, non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ, sed amicabili quadam beneuolentia, qua plerúmque fit, vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus, quod eum facere non debuisse diuinæ sapientiæ iustus exitus indicauit, inquit Aug. 11. de Gen. ad lit. c. 42. Alium modum D. Ambrosius affert, nimirum Euam fuisse præuaricationis causam Adamo, non contrà. Theod. quod prior non fuit seductus, sed Eua; alij quod Adam non fuit à serpente seductus. Aliter existimauit in 2. d. 22. Magister, quod tria non crediderit, sicut Eua, primò se non morituros: secundò Deo futuros similes, tertiò boni mallíque notitiam habituros: sed id contrarium est Dei verbis, qui ait, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*. Quod addit non esse errorem in parte spirituali, falsum est, si de intellectu loquatur, cùm enim dicitur, errant, qui operãtur malum: & omnis peccans, ignorans, id de ignorantia, seu inconsideratione intellectus est intelligendum: nec iudicat de omnibus, nisi quatenus à Deo lumine diuinæ *fidei*, gratiæ, cæterorúmque donorũ illustrãtur. *Nostra* versio habet: spiritualis autem *iudicat omnia*: at non est mens, aut *intellectus* hominis, nec ipse homo spiritualis, nisi quamdiu Spiritum sanctum rectorem animæ, & doctorem habet, à quo dum tantisper deflectit, iam errare potest, quo ferè sensu D. Ioannes dixit eum, qui ex Deo natus est, peccare non posse quatenus ex Deo natus est, in ipsóque manet: sic Philosophus 3. *Ethic. ca.* 4. vir bonus rectè in omnibus iudicat, & virtuosus est mẽsura & regula omnium humanorũ actuum: vbicauendũ est, ne quis spiritui hæreticorum huiusce tẽporis peculiari faueat, à quo non quidem viri spirituales, sed proterui, ac capitati redduntur. Denique non est dubiũ, quin sit in aliquibus vir decept⁹, vt patet ex dictis: tametsi nõ omnibus modis, quibus Eua, si omnis peccans decipiatur.

Quomodo Adam deceptus non fuit sicut Eua diuersæ explicationes. — Spiritus peculiaris hæreticorum capitatus.

PROBLEMA XLIX.

1. VR homo retorsit culpam in Heuam? An quia peccatum habuit originem à parte sensitiua, & muliebri, vt plerúnque solet euenire? Nec tamen excusatus fuit, cùm mulierem, vel partem animalem non suscepisset in dominam, sed in pedissequam; sicut postea ipsi Adæ, & Chain declaratum fuit. De quorum primo dictum est, Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. De secundo verò, Subter te
2. erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. An (vt altiùs conscendamus) cùm mulier, sive caro, & sanguis sit à parte sinistra, & homo à dextra (vt antiqui Theologi docent) credidit Adam ex vtraque parte constituere illud medium, quod Christus est; qui inde, (non

Gen. 3. *Versicul.* 12. c. 3. *hic explicatur.* — Gen. 3 & 4.

sine magno mysterio) semper locatus est in medio, & Mediator dictus est? Et in hoc dupliciter peccauit. Primò, quia excusauit peccatum, cuius pœnitere debebat. Secundò quia deducere prætendebat extrema in medium minimè conueniens. 1.Tim.1.

MELIVS dicitur vxorem datam esse in sociam, quàm in pedissequam; vt patet ex eo, quod dictum est, *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; & ex eo, quòd è costa, non è pede sumpta fuerit Eua; sed parum refert ea magis discutere. At omnino fugiendus est iste loquendi modus falsissimus, quo vult carnem & sanguinem, aut etiam mulierem à parte sinistra venire; enimuerò cuncta à Deo optimo maximo profecta sunt, idóque censeo in Manichæorum hæresim recidere, qui rerum corporearum vnum malum principium constituebant, quam D. August. multis in locis commemorat, & expugnat; Vnde verò fuerit expiscatus hanc de Adamo sententiam, qua voluerit ex carne, & homine Christum constituere nescio; cùm neque vllam adhuc de Christo cognitionem habuisset Adamus; quomodo item vocet illud medium minimè conueniens, viderint qui tenebras rerum fictitiarum diligunt.

PROBLEMA L.

1. 2. *Versiculus 14.* Tria mēdacia mulieris.

VR Heua obiecit culpam serpenti? Nonne quia reuera ab ipso serpente decepta fuerat? Sed cur non fuit excusata? Nonne quia magis Deo, quàm serpenti credere debebat? Necenim commissam culpam defendere debebat, sed satius fuisset, si cum viro veniam postulasset, præcipuè cùm sese exposuerit Diabolo, qui à summa veritate pater mendacij dicitur? Nam tria mendacia in tribus primis verbis commisit. Primò enim dixit. Præcepit ne tangeremus arborem, cùm non tactum, sed esum pomi Deus prohibuerit. Secundò dixit. Ne fortè moriamur. Nam Deus non dixit fortè. Tertiò dixit præcepit nobis, Cùm non ei, sed viro tantummodo datum fuerit præceptum. Gen.3. *Versiculus 13. explicatur.* Ioan.8. Gen.3. Ibid.2.

DVBIVM est an de suo addiderit, ne tangeremus, verbis præceptũ exaggerando ex ipsius præcepti displicentia, tædio, & odio, adeout inuidiosè, inquit Ambros. c.12. de paradiso duritiem præcepti satis insinuaret; licet Oleaster, & Eugubin. tactum etiam ad maiorem cautelam prohibitum fuisse censeant; ita enim suppletum volunt hic, quod Moses c. 2. reliquerat, ac proinde non est certum an mentita sit. Deinde vbi habemus, *ne fortè*, hebraicè est פן pen, quæ non est semper particula dubitantis, sed etiam asserentis; potestq; dici eam tantùm innuisse dubium de euentu futuro, cùm is à libero arbitrio pendeat, itaut sit sensus, ne fortè comedamus, ideóque moriamur: si enim comederimus, certò moriemur; & sic ferè sumitur 11. Matth. v. 23. vt notat Cornelius: adde quod 70. interpretes particulam, *fortè*, non habeant; ἵνα μὴ ἀποθάνωμεν, vt non moriamur: denique dici potest eam circa futuram pœnam hæsitasse, eámque comminatoriam duntaxat existimasse, vt quæ multùm leuitatem culpæ excedere videretur. Restat vt excuriamus tertium mendacium; nam sunt qui existiment præceptũ illud non esse datum Euæ, sed, (antequam illa produceretur) Adamo, cùm neque textus Latinus, neque Hebræus in plurali loquatur, vnde Ambros. c. 12. de parad. & c. 4. l. de Virginum institutione, ait eam ab Adamo præceptum audiisse, quod à Deo ipse acceperat: sic etiam habet Chrysost. Hom. 14. in Genes. Fuit autem anceps D. August. 8. de Gen. ad. lit. c. 17. & alibi: Alij verò, vt Iosephus, & post eum Rupertus, & alij iuniores, Fonseca, Lipomanus, Delrio, Cornelius, Sallianus in Annalibus, ad diem mundi sextum n. 134. mulierem fuisse productam existimant, quando præceptum à Deo factum est; nec obstat, quòd Moses in singulari loquatur, in hoc enim aiunt esse numeri enallagen; adde quòd nondum verba fecerat de productione mulieris; denique non est probabile serpentem ita apertè mentitum esse, ne fraus ab Eua statim detegeretur, quæ potuisset respondere, inquit Caietanus, viro quidem, sed non sibi, præceptum hoc datum esse; at quicquid sit, non est dubium, quin ad hoc præceptum seruandum obligaretur, siue immediatè à Deo, siue mediante coniuge acceperit, ideóque grauiter peccasse. Ambrosius. Oleaster. Ambrosius. An præceptum de non comedendo Euæ datum fuerit. 11. Math.

PROBLEMA LI.

1. 2. *Versiculus 22. explicatur.*

VR dixit Deus, Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum? An fuit (vt aliqui opinantur) ironica locutio? An sermo Elohim est ad בני אלהים bene Elohim, idest ministros iustitiæ, quibus datum est dignoscere bonum à malo? Quod etsi Adam didicit, tamen (quia occultabat se, conscientia remordente, & confundente) cum iactura didicit; nec cum honore, & præeminentia. Hinc priuatus fuit gradu, quem malè sibi vendicauerat. Sicuti & diabolus à sede Aquilonari, & cœlo eiectus fuit. Sed ipse sine spe remedij; Adam verò cum spe, quia non ex mera malitia, sed ex malitia, & fragilitate, & aliquo errore deceptus propter coniunctam mulierem peccauit. Gen.3.

IT A sen-

ITA sentiunt Gennad. Theod. & Rupert. cum quibus ait Cornelius esse sarcasmum, & ironiam; quod pertinet ad insultationem, inquit Aug. 2. de Gen. contra Manich. c. 22. qui addit per experientiam bonum, & malum didicisse; quod Deus per sapientiam nouit. Hæc autem verba non sunt ad aliquos iustitiæ ministros, nec ad Angelos vt Oleaster, & Abulens. volunt, sed ad Filium, & Spiritum Sanctum, vt ipse fatetur Abulens. in c. 13. q. 486.

PROBLEMA LII.

1. Sap.2.

VR Deus scisciatus est à viro, & muliere erroris sui causam, à serpente verò nequaquam, sed statim in ipsum intulit sententiam? Nonne quia in parentibus poterat fuisse error, fragilitas, aut malitia; in Diabolo verò sola malitia, & inuidia vigebat, iuxta illud Sapientis. Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum? Vnde docemur, quòd quando facinus est manifestum, possumus contra reum (etiam indiscussa causa) inferre sententiam; sed quando partes sunt obscuræ, discutiendum est negotium. Gen.3. *Versicul. 10. & sequẽtes exponuntur Dei interrogationes cõtinentes.*

PROBLEMA LIII.

1. 2. 3.

VID importat sententia in serpentem lata? Nonne prima pars sententiæ fuit. Maledictus eris inter omnes feras, & bestias, vel cicures terræ? Quod si iuxta literam interpretari voluerimus: nonne manifestum est? cùm serpentes in cauernis latitent, non audentes quodammodo frui cœli aura? Si verò iuxta significata intelligatur sermo, cùm aues cœli Angelos repræsentent (vt Zohar apertissimè docet) cicures, homines: feræ, diabolos (iuxta illud. Catuli leonum rugientes, vt rapiant: sicut alibi declarabitur) serpentes autem pessimos diabolos præfigurent, nonne ipsi maledicti dicuntur super omnia alia animalia? Secundò serpenti dictum fuit. Super pectus tuum gradieris. Nam abscissæ sunt ei manus bonorum operum, & pedes bonorum affectuum, relicto sibi tantummodo naturali ingenio, quo semper circa terram, & infra serpit. Tertiò, terram comedes. De qua terra dicitur infra homini. Donec reuertaris ad terram, de qua sumptus es. Vnde habemus, quòd sicut Michael constitutus est princeps supra animas, ita diabolo data est hæc pars animalis, vt Proculus sentit. Et hoc, nisi homo castigatum corpus redigat in seruitutem spiritus. Quartò positæ sunt inimicitiæ inter ipsum, & mulierem, & inter semen vtriúsque. Quintò dictum ei fuit, quod semen mulieris conterere debebat caput eius, magno mysterio alibi declarando. *Maledictio serpentis & versiculus 14. & 15. exponuntur.* Psal.103. Gen.3. Procul. l. de anima, & dæmo.

CVR Deus nec à serpente causam scisciatus, nec eum allocutus fuerit, vt Adamum, & Euam, dicens: cur hoc fecisti? præclarè soluit Abulens. qu. 667. in 13. c. Genes. Vbi rei istius 5. rationes affert. Prima est, quia cùm post tentationem dæmon ex serpente exijsset, serpens non ampliùs respondere poterat: Secunda, Adam & Euam interrogauit, vt pœniteret eos admissi sceleris, & veniam peterent, quod nec debet, aut potest serpens, vt pote peccati, & pœnitentiæ incapax, nec, si dæmon vbi fuisset, cùm obstinatus sit, pœnitere potuit. Tertia, quia illi poterant aliquam excusationem afferre, ob seductionem, at dæmon nullam habuerat præter malitiam propriam. Quarta vt quidam hominibus exhiberetur honos, antequam condemnarentur, auditæ sunt eorum excusationes. Quinta, quia Dei interrogatio vacua sine responsione remansisset, & tunc vel serpens nolle obedire videretur, vel mutus fuisse, ac proinde cogitare potuissent tentationem non fuisse ab eo. Cætera vide apud Abulensem. Addit q. 669. cur Deus allocutus fuerit serpentem, ei pœnas imponendo, cùm ea verba non posset intelligere, verámque causam ait ob homines fuisse, vt diuini iudicij seueritatem apprehẽderent, iustus es Domine, & rectum iudicium tuum Psal. 118. & qu. 675. 4. rationes affert cur serpens accusatus non responderit. Quinque rationes, cur Deus serpentẽ non interrogauit. Abulensis.

In 53. problemate pœna serpentis literaliter, & in sensu mystico explicatur à Veneto, qua inter animalia maledicitur; q. 676. dicit Abulensis in prima opinione dici bestiam, quòd per peccatum bestia fuerit factus dæmon, & ex D. Aug. confirmat; at sensum literalem retinendum esse de serpente animali sex rationibus probat, & q. 679. ait non ideo pœnam inflictam serpenti, quòd Euam tentasset, sed vt hominibus de iniuria à serpente recepta satisfieret. Cùm autem serpenti naturale videatur, vt serpat, gradiatúrque super pectus, terrámque comedat, nõ est parua difficultas, quam hic subierit maledictionem; quod ea soluunt ratione communiter interpretes, ante tentationem hominibus non ita visum fuisse horridum, venenatum, noxium, vt postea, cùm iam naturalem cum homine antipathiam habeat: deinde quæ ei erant naturalia, iam in pœnam concessisse, & ordinata esse in infamiam, prout mors, quæ humano corpori ex 4. elementis compositro naturalis est, in pœnam cessit; & iris post diluuium cœpit esse signum pacti inter Noë, homines, & Deum Gen. 9. Sensus symbolicus apud Rupert. l. 3. de Trin. c. 18. & D. Aug. 2. de Gen. contra Manich. Quæ nã fuerit pœna serpentis.

c.17. Fernandem & alios recentiores videri poteſt. Hîc autem cauendum eſt, ne putemus diabolum ius aliquod peculiare in corpora habere, vt inſinuare videtur ex Proculo Venetus, id enim falſum eſt, cui nocere nequit, niſi iuxta Dei, cuius ſunt omnia, permiſſionem. Nõ eſt autem mirum ſi ſerpenti, licet irrationali, maledicat Deus, cùm videamus id ſæpiùs factum, vt patet in ficulnea arbore Math. 21. & Marc. 11. & in boue cornupeta, qui hominem occiderit Exod. 21. cuius carnes canibus relinquebantur, poſtquam lapidatus fuerat; in beſtia, cum qua homo coïſſet, Leuit. 20. in montibus Gelboë, 4. Reg. c. 1. qua etiam ratione Deut. 13. mandabat Deus vrbibus, cæteríſque rebus inanimatis malum inferri.

Diuerſæ pœnæ rerum expertium rationis, & inanimatarũ.

Notat autem Abul. q. 685. numquam poſtea hominem fuiſſe à dæmone per ſerpentem tentatum, quem in ſequentibus quæſtionibus videre eſt, in quibus multa de ſerpentis maledictione diſputat, vſque ad 694. in qua refert opinionem Ioſephi, qui putat ſerpentem ante tentationem pedibus inceſſiſſe, ac locutum fuiſſe, quod q. 695. 4. rationibus refellit; & totidem probat q. ſeq. eum non inceſſiſſe erectum, eiúſque nomen à quibuſdam refertur fuiſſe Phareas q. 697. hanc explicationem affert de comeſtione terræ myſticam, quia diabolus ſibi homines ſeipſos inordinatè amantes incorporat, cùm omnium peccatorum rex, & caput eſſe videatur, Iob. 41. ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, ſicut Chriſtus omnium fide, ac charitate vnitorum princeps eſt & caput 1. ad Cor. 11. Chriſtus eſt caput viri; qua ratione, quicunque ſeipſum contemnit, fit de ciuitate Dei, qui verò ſe inordinatè diligit, Deúmque contemnit, dæmoni incorporatur, quia 2. amores fecerunt duas ciuitates 14. de ciuit. ita tamen, vt mundanæ princeps iam iudicatus ſit, Ioan. 12. qui nihil habet in principe cœleſtis ciuitatis, Ioan. 14. venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Quo ſenſu ſi loquatur Venetus, vt per partem animalem peccatores intelligat, bene loquitur.

Toſtati opinio.

Phareas.

PROBLEMA LIV.

1. CVR inimicitiæ poſitæ ſunt inter ſerpentem, & mulierem, & inter ſemen vtriúſque? Nonne, quia facile ſymbolum habebat Diabolus cum muliere, voluit Deus indicere hoc diſſidium inter eos, vt cautior redderetur mulier ab eius inſidijs, dum per Dei ſententiam declaratus eſt eius inimicus? Quomodo autem hæ inimicitiæ poſitæ ſunt inter ſemen vtriúſque, non eſt difficultas ex parte mulieris, cuius ſemen eſt manifeſtum. *Sed quòd ſit ſemen diaboli per ſerpentem denotati, habet non parum difficultatis apud eos, qui exiſtimant diabolum incorporeum, & inde ad genituram ineptum. Quòd ſi Theologos antiquos ſequi voluerimus, qui benè trutinarunt oracula diuina, concedamus dæmones eſſe corporeos, & generationi aptos: ſicut apertè ſcriptum eſt, quòd bene Elohim (pro quo vulgata editio habet, filij Dei) qui ſunt diaboli (vt omnes veri ſapientes conſentiunt) acceſſerunt ad filias hominum, & genuerunt. Hinc à Theologis, & Caniſtis de huiuſmodi tractatur, quos ſuccubos, & incubos vocant. Vnde & fauni, & ſatyri, & multa portentorum genera, ſapientibus nota, quæ nunc ſubticeo. Et inter huiuſmodi, & natos ex muliere inimicitiæ ſunt perpetuæ.*

Gen. 3. Verſicul. 15. exponitur.

Sentẽtia Veneti, quinam ſint Filij Dei. Gen. 6.

NVLLVM tam facile ſymbolum inter mulierem, & dæmonem video, niſi illum ſerpentem pulchræ cuiuſdam virginis faciem geſtaſſe crederemus, quod eſt fabuloſum. Rectè autem Senenſis l. cit. annot. 51. in hoc Problema animaduertit; ex quo ſatis conſtat eũ ſupponere, quod tomo 6. probl. 330. dixit, dæmones nimirum habere corpora, ſeu corporea animalia eſſe generationi apta, ſemen emittentia, itaut accedentes ad mulieres, condenſent corpora ſua, quò faciliùs cum fœminis congrediantur ad generationem gigantum, quos aſſerit problem. ſequenti, 74. & 75. nullo modo potuiſſe gigni ex cõcubitu viri, & fœminæ, ſed ex dæmonum ſemine, quòd conſentaneum non ſit talia ingentia monſtra, qualia in ſacris literis gigantes fuiſſe leguntur, naturali via produci; vnde poſt Chriſti aduentum ſua morte dæmones vincentis gigantes deſijſſe ait, quia dæmones non ampliùs voluerunt fœminas inire, & in earum vteris ſeminare gigantes. In quibus Senenſis 5. notat à communi Theologorum opinione aliena; 1. dæmones eſſe animalia corporea gignendi facultate prædita. 2. gigantes dæmonum fuiſſe filios; 3. gigantes ex humano concubitu viri, & fœminæ naturaliter gigni non poſſe. 4. dęmones poſt Chriſti aduentum fœminis commiſceri non poſſe. 5. gigantes poſt Chriſtum omnino ſublatos; quæ omnia refellit D. Auguſt. c. 23. l. 15. de ciuit. Dei. Et quidem quod ad 1. attinet D. Aug. 2. de Gen. ad lit. c. 17. & l. 3. c. 10. Epiſt. 115. ad Nebrid. 3. de Trin. c. 1. in Pſal. 145. 11. de ciuit. c. 23. & l. 15. c. 23. de Eccleſiaſt. dogmat. (ſi ſit eius) c. 11. & 12. affirmat dæmones, & Angelos habere ſubtilia corpora: quod non tantùm dixit ex aliorum, ſed ex propria ſententia; quicquid 2. ſent. d. 8. dicat Lombardus; nam, vt benè Senenſis aduertit annot. 8. Philonem l. de opificio mundi, & Orig. l. Periar. c. 6. & l. 2. c. 2. Lactant. Hilar. Baſil. & alios ſuo ferè tempore ſcribentes imitatus eſt D. Auguſtinus. In qua ſententia eſt Caſſian. 7. collat. c. 13. Damaſc. 2. orthod. fid. c. 3. & l. 3. aduerſus Iconoclaſtas; quódque videtur amplius, idem 2. Synodus Nicæna actione 4. vbi Epiſtolam Ioannis Theſſalonicenſis Epiſcopi probat, ſentire videtur; dicitur autem in Epiſtola, Eccleſiam ſentire Archangelos, & Angelos eſſe quidem intelligibiles, ſed nõ omnino corporis expertes, verùm tenui corpore præditos, aëreo, ſiue igneo; pro qua ſententia D. Baſil. Athan. & Methodius citantur, & tandem ita concluditur; nemo tamen vel Angelos, vel dæmones, vel animam dixerit incorpoream. A quibus licet D. Thom. cum Areopagita 1. cap. cœleſt. hierar. diſſentiat, & D. Chryſoſt. 22. Hom. in Gen. Hom. 17. & 32. in 1. ad Cor. & in cap. 6. Eſai. & Cyril. lib. 4. in

Senenſis Venetũ arguit in quinque.

Explicatur D. Auguſt.

An Angeli corporei ſint, quid patres ſenſerint.

Ioann. cap. 10. Quibus fauet Lateranenſe Concilium dicens creaturas corporeas, & incorporeas eſſe creatas, attamen Senenſis amplectendam eſſe cenſet D. Bernard. Hom. 5. in Cantica, modeſtiam, qui hanc controuerſiam indiſcuſſam relinquit; ait enim, nec mihi perſpicuum eſt, vnde alterutrum doceam, & neſcire me fateor; ſed & noſtris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam. At iam noſtris temporibus affirmari nequit ſine temeritate Angelos habere corpora, vt Bannes aduertit cum alijs ſcholaſticis ad artic. 1. quæſt. 51. partis primæ D. Thomæ; ſed alibi ex profeſſo de Angelis, quos licet pingi poſſe definierit Nicæna Synodus, non tamen rationem hanc, *quia corporei ſunt*, vt Theologi aduertunt.

Modeſtia D. Bernardi.

Addit Venetus apud omnes ſapientes filios Dei, diabolos exiſtimari: At ſaltem excipiendos habebat D. Chryſoſt. Cyril. Theod. Rupert. & Hilarium in Pſal. 132. qui Filios Dei, fuiſſe dicunt Sethi Filios, qui vel ob ſanctitatem, iuſtitiam & temperantiam dicti ſunt Filij Dei, vel ob pulchritudinem, & robur, quomodo fortia & magna, atque pulchra dicuntur ab Hebræis eſſe Dei: quem ſenſum Catholici interpretes ſequuntur, licet alij Angelos fuiſſe cenſeant, qui propter luxuriæ peccatum è cœlo eiecti ſunt, inter quos Ioſephus, Philo de gigant. Iuſtin. Apol. 1. Clem. 3. ſtrom. Tertul. de habitu mulier. Lactan. l. 2. c. 15. & Caietanus recenſentur; Platonici verò cum Veneto hîc, Burgen. & Valeſ. c. 8. Sacræ Phil. cenſent eſſe dæmones ſuccubos, qui primùm à viris potentiſſimis validiſſimum ſemen exceperint, quod poſtea facti incubi in validiſſimas fœminas tranſmiſerint, vnde gigantes naſcerentur. Facilior autem, vel ſaltem verior ſenſus primus eſſe videtur, maximè cùm Seth ob pietatem & ſapiẽtiam dictus fuerit Deus, vt notat Theod. & Suidas, vnde filij eius, Dei filij appellari poterant, ſicut filij Cain, filij hominum, ſi tamen quoſdam genuit: etenim cenſet Perer. ſolas filias genuiſſe. Eneruati autem erant & debilitati, ac terrenis addicti filij Caini. Aliam opinionem, quæ de Angelis, aut dæmonibus explicat locum Geneſis, adhuc tangit Senenſis annot. 73. in qua contra Agrippam agit, qui libro aduerſus Lamiarum inquiſitores oſtenderat ex D. Chryſoſt. & Caſſiano, Cyrillo 2. allegor. in Pentatheuch. Philaſtrio c. 108. Catalogi aduerſus Hæreſ. & Concilio Ancyrano relato cauſa 26. q. 5. non poſſe dæmones cum mulieribus coïre; quem refellit D. Auguſt. 15. de Ciuit. c. 23. & 3. de Trin. ait non eſſe filium dæmonis, qui naſcitur, ſed illius hominis filium, à quo eſt ſemen acceptum; & Senenſis ibid. Patres ab Agrippa citatos explicat. & annot. 77. D. Ambroſ. 1. de Noë, & arca c. 4. citat, dicentem gigantes ex Angelorum, & mulierum concubitu procreatos, vbi præclaram hanc ſententiam habet; caſtitas Angelos fecit; qui eam ſeruauit, Angelus eſt; qui eam perdidit diabolus eſt; quam illum opinionem à Philone, Iuſtino, & Lactantio antea cit. nec non à Clemente, Tertul. Method. & Euſebio 5 Præpar. Euang. deſumpſiſſe aſſerunt. At per Angelos vult Senenſis ab Ambroſio viros illuſtres intellectos fuiſſe: cui fauet D. Auguſt. q. 3. in Gen. Sed de his plura videri poſſunt apud Sallian. in Annalibus Eccleſiaſticis veteris teſtamenti ad annum mundi 1042. ante Chriſti ortum 3011. vbi præter eos quos citauimus, quoſdam alios affert, vt Albinum Flaccum q. 95. in Gen. Anaſtaſium Epiſcopum Nicænum q. 25. & quoſdam alios; vbi etiam præclarè defendit, & explicat veram ſententiam de filijs Seth, & Cain, & nonnulla ex Scaligeri Notis ad Euſebium refert; inter alia verò ad annum mundi 1170. fragmentum apocryphi libri Enoch refert, quod aduertit authorem libri Eſdræ ſapere: in quo præcipuè habes, multiplicatis filijs hominum, eorum filias ſpecioſas ab Egregoris ſeu vigilibus, aut Angelis adamatas eſſe, qui circa ipſas aberrarint; quorum princeps eſſet Semixas; erant autem 200. quorum poſt prædictum principes erant Atarcuph, Araciel, Ghababiel, Grammame, Ramiel, Sapſich, Zaciel, Balciel, Azalzel, qui deiceps Exaël vocatur, Pharmarus, Amariel, Anagemas, Thauſaël, *Samiel*, Sarinas, Eumiel, Tyriel, Iumiel, *Sariel*, qui anno mundi 1170. ſibi vxores acceperunt, & cæperunt contaminari vſque ad diluuium. Cætera vide apud Scalig. & nos cõtra iſta Angelorum nomina alibi. Poſt illud, *Cuius ſemen eſt manifeſtũ*, deleri vult omnia vſque ad finẽ problematis expurgatorius Index.

Qui fuerint Filij Dei, & gigãtes.

Plurima diſcutiuntur, quæ ad dæmones & Angelos pertinent.

Nomina fictitia Angelorum, vel Dæmonum.

PROBLEMA LV.

QVIS contriuit caput ſerpentis; & cuius calcaneo inſidiatus eſt ſerpens? Ex *falſa* traductione, qua habetur. Ipſa conteret caput tuum, Latini cõmuniter attribuunt hanc victoriam Reginæ cœlorum, quæ licet ſublimior ſit, quàm dici queat, dabimus tamen victori triumphum hunc, cui ex veritate literæ debetur, vbi habetur. Ipſum conteret caput tuum; ipſum videlicet ſemen mulieris, quod Chriſtus fuit. Ipſe enim non tamen pro ſe, ſed pro omnibus vicit, iuxta illud Apoſtoli. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Diabolus autem inſidiatus eſt Iudæ, qui, vt alibi dictum eſt, inter 12. pręcipuos myſtici corporis articulos calcaneũ referebat. In cuius locum (ne corpus remaneret diminutum) ſtatim ſuffectus eſt Mathias dictante Spirituſancto. Et hoc, vt impleretur Scriptura, dicens: Et epiſcopatum eius accipiat alter. Hinc Chriſtus, cùm de caſu Iudæ ageret, dixit. Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui, & nemo ex ijs perijt, niſi filius perditionis, vt Scriptura impleretur, hæc videlicet, & illa Pſalmographi nuper adducta.

c. 3. Gen. 1. Verſicul. 15. exponitur. 2. 1. ad Cor. 15. Act. 1. Pſal. 108. Ioan 17.

FATEOR in Hebræo haberi הוא hou, ipſum; at D. Hieronym. vt notat Steuchus hîc, legiſſe videtur היא, facilis eſt enim lapſus à י ad ו, nam Iod protractum facit Vau. 70. habent αὐτός ipſe, licet Steuchus legendum eſſe cenſeat αὐτὸν; attamen Vatablus contrarium ſentit: at quomodocúnque legatur parum refert; vulgata editio legit ipſa cum multis Patribus, Auguſt. Chryſoſt.

Defẽditur editio vulgata. הוא

Ambr. &c. imo Cornel. notat eſſe veram lectionem Hebraicam, quod in Biblijs Hebraïcis ſit Keri vketis, ideſt alia lectio, alia ſcriptio, quia in correctioribus exemplaribus habetur in margine היא hi, ideſt, ipſa; deinde, cùm eſt emphaſis, & aliquid virile fœminæ tribuitur, vt eſt contritio ſerpentis, ponitur hu, pro hi, vt patet ex verſ. 20. huius tertii capitis, c. 17. v. 14. & alibi. Nec obſtat, quòd verbum ישוף iaſouph ſit maſculinum, cùm ſit crebra enallage generis in Hebræo, vt maſculinum ponatur pro fœminino, & contra: maximè ſi myſterium aliquod adſit, vt nunc, cùm hi iaſuph, ponitur pro, hi taſuph, prout c. 2. Gen. verſ. 23. dicitur, icare iſſa, pro ticare iſſa. Nec eſt omittendum, quod notat Rupertus lib. 3. cap. 20. ſerpentis caput, licet vix gladijs, aut malleis ita contundi poſſit, vt totum corpus enecetur, totum planè interire, ſi mulieris planta nuda dentem eius præuenerit, & caput preſſerit: fuerunt autem hæretici qui ſerpentem colerent, quòd ſuggerendo pomum vetitum, principium cognitionis boni, & mali apertum fuerit Adæ, vnde ab ὄφις dicti ſunt Ophitæ, ideſt ſerpentini; quo autem ritu ei panem offerrent, Hæreſ. 37. deſcripſit Epiphanius. Ex hiis patet, quomodo hic locus de Virgine, de Chriſto, de Chriſtianis, de Eccleſia poſſit explicari, quæ perpetuas inimicitias contra dæmonem exercet: etenim Chriſtiani ſunt Euæ, Mariæ, Chriſti, & Eccleſiæ ſemen; rurſus caput ſerpentis eſt initium tentationis, calcaneus finis operis, inquit D. Gregor. 1. mor. c. 38. vel finis vitæ: cætera facilia ſunt. Delendum eſt Indicis iuſſu, *falſa*, cùm dicitur. Ex *falſa*, traductione.

ישוף

Opinio Rupertij.

PROBLEMA LVI.

QVæ ſententia in mulierem lata fuit? Nonne ipſa iuſtiſſima fuit? Nam illi, quæ delitias quærebat indebitas, dictum eſt primò. Multiplicabo ærumnas tuas. Secundò. Et conceptus tuos, vt habet communis editio: ſed *meliùs*, vt R. Salomon exponit. Et anguſtias, vel gemitus, quos habet mulier prægnãs antequam pariat. Tertiò. In dolore paries filios; Quia videlicet quærebas delitias carnales, vbi ſpiritualibus vacare debebas. Et hoc, proſequendo opinionem Triſmegiſti, qui ait, Homo à contemplatione patris ad ſphæram generationis collapſus eſt. Quando videlicet vetito modo quærebat delitias. Subnectitur autem quarta pars ſententiæ, accommodatiſſima illi, quæ virum traxerat in errorem. Sub viri poteſtate eris, vt habet vulgata editio. Sed veritas Hebraïca habet. Ad virum erit concupiſcentia tua, vel appetitus tuus. Quintò. Et ipſe dominabitur tibi. Quia videlicet nimis prona es ad malum; & quia cares portione, & moderamine illo, quo viget vir. Et hanc ſententiam Hebræi partiuntur in quinque maledictiones; ſicut & alias contra ſerpentem, & contra virum latas.

Gen 3. *Quinque maledictiones mulieris ex 16. verſiculo, qui exponitur.*

In Pimand.

PROBLEMA LVII.

QVæ ſententia in Adam lata fuit? Nonne & hæc (ſicut & aliæ) quincuplex fuit? Primò enim dictum ei fuit. Quia audiſti vocem vxoris tuæ (quam videlicet erudire, & non audire debueras) maledicta terra in opere tuo; ſit videlicet rebellis tibi, qui Deo rebellis fuiſti. Et hoc conſonat veritati literæ, dicentis. Maledicta terra in tranſgreſſione tua. 1. propter tranſgreſſionem, & rebellionem tuam. Secundò in dolore comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ, quia videlicet cum iniquo, & vetito oblectamento comedere voluiſti. Tertiò ſpinas, & tribulos germinabit tibi, poſtquam videlicet relictis rerum ſupernarum, & ſpiritualium oblectamentis, terræ adhæſiſti, comprobabis, quòd ibi non ſunt oblectamenta, ſed pungentes ſpinæ, & tribuli, iuxta dictum Saluatoris dicentis; quòd diuitiæ terrenæ ſpinæ ſunt. Et voluptas carnis quomodo pungat, declarat Socrates in Gorgia. Quartò, Herbam agri comedes, veluti beſtia videlicet, poſtquam noluiſti cognoſcere honorem, in quo eras, ſed aſſimilari voluiſti iumentis. Quintò, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, poſtquam videlicet contempſiſti ea, quæ præcipuo meo fauore, & influxu producuntur. Et hoc, donec reuertaris ad terram, ex qua ſumptus es, ſecundum hominem animalem videlicet, cui adhæſiſti.

Verſiculi 17. 18. & 19. exponuntur, & quinque maledictiones Adæ.

Luc. 8.

IN his 2. problematibus, vt ferè ſemper in alijs, textum Hebraicum partim, & partim Chaldaicam paraphraſim ſequitur. Vbi verò diſtinguit ærumnas à conceptibus; alij interpretes coniungunt, ærumnas conceptuum, vt ſit hendyadis frequens apud Hebræos. Illas autem ærumnas apud Ariſtotelem 7. de Hiſtoria animal. c. 4. deſcriptas legere potes. Notant autem aliqui his verbis, ſub poteſtate viri eris, viro datam fuiſſe poteſtatem vt vxorem coërceat, ac puniat. Vbi autem habemus, ſub poteſtate viri eris, Græcus habet πρὸς τὸν ἀνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου, ad virum tuum conuerſio tua. Hebraïcus textus habet, וְאֶל־אִישֵׁךְ תְּשׁוּקָתֵךְ veel eiſec teſucatec: & ad virum tuum

rum tuum deſiderium tuum: ex qua poteſtate natum eſſe Rupertus inſinuat, vt iuxta leges Romanas non licuerit vxori ſine poteſtate viri teſtamentum condere, vnde capite diminuta dicebatur; enimuero cùm domus bene regitur nihil ſine viri motu, quod ſit alicuius momenti, fieri debet, cùm ſit omnium totius familiæ bonorum dominus; membrorúmque caput. Et quidem teſucha à radice שוק, ſignificat concupiſcentiam, appetitum, & deſiderium. In problematis 57. fine, per hominem animalem, intelligendum eſt prauum deſiderium, cui præcepto Dei poſtpoſito adhæſit homo, dum pomum comedit. Ex 56. problem. pro *meliùs*, ſcribi iubet Index, *aliter*.

שוק

PROBLEMA LVIII.

FVIT-NE vnquam ſublata maledictio terræ, & quando? Nonne durauit maledictio terræ vſque ad ortum Noeh? Nam Deus nunquam voluit acceptare oblationem frugum terræ (vt in Chain patuit vſque ad ortum Noeh. Hinc pater eius Lamech, poſtquam nominauit ipſum Noeh, dixit: Iſte conſolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum noſtrarum in terra, cui maledixit Dominus. Exinde igitur ſuſcepit Deus gratioſè munera fructuum terræ.

Gen 4. *Verſiculus 29. capitis 5. exponitur.*

5.

SI de maledictione terræ, quam Deus in Adami pœna promulgauit, Venetus loquatur, certè non eſt ſublata, cùm eadem peccati originalis ratio remaneat; durabit autem vſque ad finem ſæculi: quæ in eo ſita eſſe videtur, vt paucos, imo nullos aliquando fructus multis licet præmiſſis laboribus ex terra percipiat agricola, ſed potius ſpinas, & tribulos, vnde iam abijt in prouerbium, terram reſpectu plantarum inutilium matris, at herbarum vtilium intuitu, nouercæ munia obire: quam verò ob cauſam minus iam, quàm olim terra fœcunda videatur, alibi quærendum erit. Cur autem Venetus oblationem frugum terræ non fuiſſe acceptam à Deo vſque ad Noë affirmet, neſcio; cùm certiſſimum eſſe videatur, & oblationem ex frugibus, & ex cæteris rebus ſemper accepiſſe, ſi tantæ maieſtati rectè facta fuerit; cur enim nõ accepiſſet Deus? Nec enim inferri debet ex eo quòd Deus oblationem Caini repudiarit, impoſterum etiam cæterorum oblationes ex frugibus compoſitas non acceptarum; nam ſublata cauſa, cùm tollatur effectus, ſi quis ei corde puro fruges obtulerit, eas dubio procul gratas habebit. Cauſam verò cur munera Cain Deo minus accepta fuerint ſuggerit paraphraſis Hieroſolymitana; ſed hęc ad 67. problema reſeruãda eſt. Noluit autem ſignificare Lamech ſe cum poſteris hanc à Deo conſolationem expectare, vt oblationes è frugibus acciperet, ſed quia diluuij aquis quieuerunt homines, vt D. Hieronym. inſinuat; vel vt R. Salomon & Caiet. quia artem colendi agros faciliorem tradidit; vel quia ob ſacrificium, & ſanctitatem Noë, poſt diluuium terræ benedixit Deus, vt habetur c. 8. vel quia plantauit vites, vinúmque inuenit, quod lætificat cor hominis; vel quia ei fuit conceſſus vſus carnium, quibus vita roboratur, vel denique Lamech de futuro Meſſia è Noë oriundo præſagiebat, qui ait, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quod ſi Noë נֹחַ Noach non à radice נוּחַ quieſcere, ſed à נָחַם veniat, quod non tantùm conſolationem accipere, verùm etiam pœnitere ſignificat, nouam rationem deprememus; quia lachrymis ſuis peccatorum veniam Noë poſtulabit, impetrabitque, ne totus mundus pereat, & remaneant, qui genus humanum propagare poſſint, & diuina iuſtitia quieſcat, cui miſericordia ſuccedens, in ſignum eluuionis vniuerſalis nunquam futuræ iridem pro ſigno ſtatuat.

נחם

Quam conſolationẽ ex Noë Lamech expectarit 8. opiniones.

PROBLEMA LIX.

I. EX *qua pelle fecit Deus tunicas primis parentibus? An fortè lanius fuit ipſe Deus occidens agnos? Sed cùm animalia fecerit bina, & bina, ſi duo vel quattuor occidit ad perficiendas tunicas, non creauit deinceps alia? Non quidem fuit lanio, ſiue ſarcinator; ſed hæc ſunt per allegoriam dicta. Nec enim ex alia pelle factæ fuerunt huiuſmodi tunicæ, quàm ex pelle illius agni, qui tulit peccata mundi. Quì quidem agnus (vt Ioannes ait) occiſus fuit ab origine mundi, & ipſius meritis omnia peccata teguntur, iuxta illud Prophetæ: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Vnde, & ſententiæ illius, Et veſtiuit eos, ſi Hebraicè ſcriptæ literæ vertantur, dicunt: Et Ieſu cor, ideſt, refugium eorum. Sic enim ſcribuntur verba illa* וילבשם *vajlbiſſam, ideſt, Et veſtiuit eos. Quæ literæ, ſi vertantur, dicunt* ישו לבם *Ieſu lebam 1. cor eorum.*

Gen. 3. *Verſicul. 22. cap. 3. exponitur.*

Apoc. 13. Pſal. 31.

ישו לבם

NON tantùm per allegoriam hæc dicta ſunt, prout Origenes volebat, qui per tunicas illas, carnalia, & mortalia corpora exponebat, quibus poſt peccatũ induti ſunt: licet homilia 6. in Leuit. pelliceas tunicas veras intelligat: ſed hæc verba literaliter intelligenda ſunt, vt docet S. Auguſt. 11. de Gen. ad lit. c. 39. nec inde rimere debuit Venetus, ne lanius, coriarius, pelliúmque ſutor eſſet Deus, cui Angelorum millia millium non deerant, quibus imperaret alicuius ani-

malis occiſionem, maximè cùm probabile ſit plura cuiuſlibet ſpeciei animalia initio producta fuiſſe: A quo verò animante pelles iſtæ detractæ ſint difficile eſt aſſignare, cùm etiam non deſint qui cortices arborum fuiſſe exiſtiment, quod tamen refellit Theodoretus q. 39. Scio quidem non eſſe neceſſe pelles iſtas fuiſſe ab animalibus detractas, cùm aliunde Deus illas transformare, aut efficere potuerit. Paraphraſis Chaldaica habet, veſtimenta honoris; vbi עור hor innuit pelles cum pilis, & villis, vt fortè poſſent hyeme circa corpus villas inuertere ad arcendum frigus; illæ enim veſtes datæ ſunt ad neceſſitatem, non ad ornatum; vbi præclarè aduertunt interpretes veſtes eſſe ſtigma, ac ſymbolum peccati, vt compedes furum. Nuſquam verò ſenſum allegoricum repudiamus, quin facimus plurimùm; erat enim Adam Chriſti typus, qui pellibus indutus eſt, dum in ſimilitudinem carnis peccati factus eſt, & habitu inuentus, vt homo. Verè autem Chriſtus nos ſua virtute induit, ſuis nos meritis, & ſanguine veſtiuit; nec caret ingenij acumine, quod de nomine Ieſu notauit, quem noſtrum cor appellare fas eſt, cùm ab eo vitæ principium duxerimus; de quo etiam canere licet, Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum; hunc dicendi modum, hánc que libertatem nobis Incarnatio contulit. Totum vult Index expungi. De nomine Ieſu.

PROBLEMA LX.

1. 2. 3. 4.

VR poſt eſum ligni ſcientiæ boni, & mali, Deus tam diligenter cauit, ne pariter primi parentes de vitæ ligno comederent? *An fortè, quia Deus inuidebat vitæ illorum?* An quia non erant digni viuere poſt errorem commiſſum, præcipuè ſtante comminatione iam facta? Quacunque hora comederis morte morieris? Sed cùm vixerit Adam nongẽtis triginta annis, quomodo mortuus eſt eadem hora, qua peccauit? An mortuus eſt deteriori morte, quàm corporea? De qua morte loquitur Iacobus dicẽs: Peccatum cùm conſummatum fuerit generat mortem. An (ſi de morte corporis intelligatur ſermo) inducias mortis obtinuerunt ex merito agni illius, ex cuius pelle factæ fuerunt eis tunicæ? Vnde etſi pœnitentiæ ſpatium impetrarunt, non tamen deuenerunt ad curriculum vitæ, mille videlicet annorum, eis ſtatutum, quod Hebræi vocant עלם holam. Pro quo editio vulgata habet, in æternum. Deus autem noluit, vt viuerent totum illud ſpatium cum peccato, quia tunc vita fuiſſet eis in detrimentum, & lignum vitæ nocuiſſet eis. Sicut (teſte Apoſtolo) panis vitæ nocet malè diſpoſitis. *Verſiculus 17. capitis 2. explicatur.* 1. Corinth. 11.

MINVS cautè, & contra Chriſtianorum morem loquitur Georgius dum inuidiam Deo tribuere videtur, cùm nulla in eum paſſio cadere poſſit: ſunt autem multæ rationes, ob quas eiecti ſunt è paradiſo; duas autem Scriptura appoſuit, ne fortè de ligno vitæ ſumerent, & vt Adamus operaretur terram, vt qui malè vixit, verè moriatur, ne ſi remaneret in paradiſo vitam ſuam eſu ligni vitæ perpetuaret. D. Aug. eiectum eſſe dicit à paradiſo, in quo eſſet Sacramentum viſibile ſapientiæ inuiſibilis, tanquam excommunicatum ab Eccleſia, qui à Sacramentorum participatione remouetur: multas alias poſſemus afferre rationes, ob quas primi parentes eiecti ſunt, quas vniuſcuiuſq; meditationi relinquo; plurima verò tropologicè deducta videri poſſunt apud Benedictum Fernandium. Eatenus verò mortui ſunt, quatenus per peccatum facti ſunt morti obnoxij; qui enim viximſſent in æternum, nequidem per mille annos viuere potuerunt. Poſt illud, *De vitæ ligno comederent?* dele vſque ad, *An quia non erant*, excluſiuè.

PROBLEMA LXI.

1. 2.

QVOMODO expulſi fuerunt parentes primi ab horto delitiarum? An è loco aliquo materiali fuerunt eiecti? An è loco ſupramundano, vbi ſunt veræ delitiæ? Quo intrauerant per intellectum depuratum; vir videlicet primò, & per virum mulier. Huius igitur loci introitus fuit eis, tanquam indignis inde prohibitus, quia adhæſerant aſtutiæ ſerpentinæ. Vnde nudati fuerunt veſtibus illis, cum quibus poterant coram Deo comparere. Quod magno myſterio innuit vocabulum עירם heron vel ערום harum, quod aſtutum, & nudum ſignificat. Vnde docemur, quòd qui adhæret aſtutiæ ſerpentinæ, & ſapientiæ mundanæ, nudatur ſapientia, & cognitione diuinorum; & è conuerſo. Hinc Apoſtolus ait. Perdam ſapientiam ſapientum. Et iterum. Non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei. Gen. 3. *Verſiculi 23. & 24. explicantur ad caput 3. pertinentes.* עירם 1. Cor. 1. 2. Cor. 1.

PRIMA ſolutio eſt vera & literalis, quæ verò ſequuntur, myſtica; nam quatenus à gratia doniſque ſupramundanis, ſeu ſupernaturalibus deciderunt, facti ſunt velut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus: at in illam regionem iuſtitiæ originalis ob ſui puritatem intellectus non eſt ingreſſus vir, aut mulier, ſed ob Dei bonitatem ſummoperè prædicandam. Cùm dicitur, *An è loco ſupramundano*; vult addi voculam, *etiam*; vt dicatur, *An etiam*, Index prædictus.

PROBLEMA

PROBLEMA LXII.

1. 2.

OSSET *ne quiſpiam; & quis introire in hortum voluptatis? An forſitan nullus, cùm poſiti ſint Cherubini ad cuſtodiendam viam ligni vitæ ibidem plantati? Sed quomodo intrarunt (vt fertur) Enoch & Elias? An cuſtodia adhibita fuit, ne intrarent indigni? Cùm non ſolùm illi duo (vt vulgò dicitur) ſed quamplures alij illuc intrauerint? ſi vera docent antiqui Theologi: Intrarunt enim Patriarchæ omnes; Moſes, qui ibi legem didicit: & Dauid, qui inde accepit, vnde Pſalmos caneret. Intrarunt & veri Prophetæ omnes, & Paulus, quibus datum fuit legere in libro vitæ, qui eſt in illa terra viuentium. Intrarunt, & quotquot vnctionem habent à ſancto (vt Ioannes ait) & norunt omnia. Et hi ſciunt imponere nomina rebus; prædicere futura, & cætera eiuſmodi facere.* Gen. 3. *Verſiculi 24. cap. 3. explicantur.* 1. Ioan. 2.

QVAM facilis ſit in paradiſum ingreſſus ijs, quos ſingulari priuilegio transfert in eum Deus, vt Henoch Eccleſ. 44. quem D. Paulus ad Hebr. 11. tranſlatum eſſe ait, ne videret mortem, quia viuebat bonus inter malos, inquit Sapiens cap. 4. & Eliam Eccleſ. 48. non eſt qui dubitet, ſic enim exaltabũtur, quos rex honorari voluerit; quapropter eos æternitatis candidatos, nondum tamen reſurrectione diſpunctos, quia nec morte functos vocat Tertul cap 58. de Reſurrect. carnis: & Iren. li. 5. cap. 5. coauſpicantes immortalitatem; quos Epiph. hær. 64. & D. Hieron. ad Pammach. ſine cibo viuere in terreſtri Paradiſo cenſuerunt; quos Catharinus tract. de gloria Chriſti beatos eſſe cenſet, quem Salmeron, & Barradius in id c. 21. Ioan. *Sic eum volo manere*; ſequuntur, quorum rationes Cornelius attulit, & diſſoluit; vbi tria ænigmata Theodoro S. Pachomij diſcipulo propoſita, & aperta refert: cùm enim Philoſophus eum rogaſſet, quis nõ natus mortuus eſſet: dixit, Adam. Quis natus eſt, nec tamen mortuus, Henoch. Quis mortuus eſt, nec tamen corruptus, Vxor Loth in ſalis conuerſa ſtatuam: eos autem in mundum redituros, vt aduerſus Antichriſtum dimicent Apoc. cap. 11. teſtatur: & quidem ſtupore dignum erit videre Noë atauum, omniúmque patrem cœlibem, qui cum nullo matrimonium contrahere poterit, quia ſecundum rectam lineam ab eo deſcendimus omnes; quis temperet à lachrymis, cùm tam ſanctum ſenem viderit, qui iam natus eſt annos 4950. hoc noſtræ ſalutis anno 1622. cùm raptus fuerit anno mundi 987. & iam mundi degamus annum 5572. tunc verò ſenior erit; quis inquam temperet à lachrymis, cùm tam amabilem patrem à filio Antichriſto trucidari, eiúſque corpus in plateas proijci conſpiciet? Nec prætereundum videtur, quod Aben Ezra dixerit Enoch fuiſſe mortuum, cùm tranſlatus eſt; cuius errorem arguit Delrio, & Caluinum, Muſculum, Marbachium, & Martinum Borrheium Lutheranum confutat, qui circa raptum Henoch multas chimæras fabricarunt; tres enim primi volunt Henoch noua morte peremptum, nempe corruptibili natura exuta, qualis fuiſſet tranſitus in ſtatu innocentiæ, & qualis eſt, inquiunt, futurus eorum, quos dies vltimus ſuperſtites inueniet, 1. Theſſal. 4. vltimus autem aſſerit mortuum eſſe, ſolam verò animã in cœlum tranſlatam; quos erroris conuictos apud Delrionem videre potes. Ænigmatatria explicãtur. De reditu Henoch in mũdum. Hæretici refelluntur.

Non eſt quòd ad hominum dignitatem recurramus, vt, quis in paradiſum ingredi valeat, aſſeueremus; cùm enim iuſtis à ſua iuſtitia nunquam recedentibus deſtinatus eſſet, admiſſo ſcelere originali nullum erat ius penes homines, vt in eum ingrederentur, ſed ingreſſus ille à diuina miſericordia dependet: nec tamen reperimus vllos, præter Henoch & Eliam, Paradiſum vnquam ingreſſos eſſe: ac proinde cauendum eſt, ne credamus cæteros, quos Georgius commemorat, in eum intraſſe: niſi id myſticè, & anagogicè intellexerimus; quatenus ij, quos Deus ſua gratia, cæteríſque donis tam gratum reddentibus, quàm gratuitis afficit, quales fuêre Moſes, ceteríque Prophetæ, ſunt iam beati in ſpe, atque adeò ius habent *ad gloriam* æternam: Nec tamen propterea *rebus* imponere nomina, aut etiam *futura* prædicere, aut alia præſtare valent: *in* quo multi hallucinantur, Magi præcipuè, qui (neſcio quibus commentitijs anagogijs, ac cœremonijs diabolicis, tametſi veras, ac legitimas, Deóque dicatas æmulantibus) imperitis, incautis, ac curioſis ſuadere conantur homines ad id ſcientiæ peruenire, vt omnia futura præfari; ad id potentiæ ſurgere poſſe, vt quæcunque voluerint, efficere valeant: ſed aliàs ſermo redibit de Moſe, cæteríſque prophetis, quos nulla caballiſtica arte, nullis characteribus, nulla aſtrologia, nullóque temperamento, ſed ſola Dei miſericordia, & poteſtate vſos eſſe oſtendemus, vt ea omnia, quæ vel prædixerunt, vel effecerunt, ad maiorem Dei gloriam, hominúmque conuerſionem efficerent. Indicis iuſſu problema iſtud delendum eſt. Carpuntur Magi.

PROBLEMA LXIII.

1.

QVI ſunt Cherubini poſiti ad illius horti cuſtodiam? Nonne ſunt ex illis, ad quorum ſimilitudinem iubetur in Exodo, vt ponantur duo Cherubini ſuper propitiatorio? Vnde remiſſionem conſequebantur errantes, non quidem virtute ipſorum Angelorum, ſed virtute geminæ naturæ illius, qui (vt Ioan. perhibet) factus eſt propitiatio pro peccatis. Cherub enim (vt R. Moſes Ægyptius docet) eſt pictura vel figura rerum diuinarum: vnde ſicut per Cherubinos obtinebatur propitiatio in tabernaculo, Exo. 25. *Verſ. 24. cap. 3. exponitur.* 1. Ioan. 2. & 4.

sic etiam obtinetur introitus in hortum voluptatis per Cherubinos, id est per virtutem Christi à pœnitentibus, & bene dispositis; loco cuius Christi, & quorum Cherubinorum introducti fuerunt Sacerdotes, habentes claues in manibus ad claudendum, & aperiendum. Quæ claues (vt opinor) designantur per gladium illum bicipitem, vel versatilem in manu Cherubinorum locatum. Gen.3.

HOc problema totum est allegoricum; Cherubini verò non μορφωτύπωα, aut ἀγάλματα fuêre (hic enim fuit error Theodori, Theodoreti, & quorumdam hæreticorum) sed Angeli veri ex suprema Hierarchia desumpti vt existimat D. Aug. 11. de Gen.ad lit. cap. 40. & D. Chrysostom. Hom. 18. in Gen. qui ibi positi sunt, vt & homines, & dæmones ab ingressu paradisi arcerent: sunt enim optimi vindices omniscientiæ Dei, quam ambierat Adam, cùm à scientia nomen suum habeant. Radix autem nominis כרב Cherub est רָכַב Racab, id est vehi, siue alis, siue curru, vnde cum senis alis in sanctuario pingebantur; quos R. Dauid Kimhi libro radicum sic dici existimat, quòd formam adolescentum præ se tulerint, Caph enim literam dicũt esse similitudinis notam, & רביא Rabia significare puerum, vnde dici potest Cherub, quasi puer. Est etiam genus ad quamcunque figuram inquit R. Abraham Aben Hezra: Rex etiam appellatur Cherub iuxta citatum R. Dauid, quòd in morem Kerub longè potestatis suæ alas extendat: At de Cherubinis aliàs, quos à Lapide ait c.25. Exo. non dici Cherub quasi puer, cùm non sit nomen Chaldæum, sed Hebræum: dici verò à multitudine roboris, gloriæ, scientiæ & sapientiæ iuxta D. Diony. c.7. cœlest. Hierarch. à radice נָבַר Nachar, sciuit, & רב, id est multum: vnde Besarion Abbas moriendo dicebat, Debet Monachus totus oculus esse, sicut Cherubin, & Seraphin, vel à Ke & Rab, sicut Rabbi, seu sapiens, potens, gloriosus, & honoratus, quo sensu de rege Tyri dictum est Ezech. 18. Tu Cherub extentus: præterea per metathesim alludit Cherub ad radicem כביר Cabir, id est multiplex, ob multas facies; & ad רכב rekeb, id est currus: stipabant enim currum gloriæ Dei, arcam nimirum; alludit etiam ad caphar, & capporeth, id est propitiatorium per mutationem literarum affinium ב & פ vtraque enim est labialis, eiusdémque propè soni. Denique Cornelius explicat quomodo Cherub alludat ad 4. animalia, leonem, vitulum, hominem, & aquilam, & ostendit Cherubim esse symbolum sapientiæ, vbi non solùm multas sapientiæ definitiones, verùm etiam plurima exempla affert, quibus præclarè sapientis officia declarat.

כרב

רביא Diuersæ ethymologiæ nominis Cherubim.

נבר

כביר רכב

At non obtinebatur remissio per Cherubinos, sed per Dei misericordiam, ac Christi merita quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, de quo cum D. Bern. Serm. 22. quilibet dicere potest, Factus est nobis sapientia in prædicatione; iustitia, in peccatorum absolutione; sanctificatio in conuersatione, redemptio in passione: Et quidem non est alius, in quo spem nostram collocare debeamus, vnde Paulus exclamabat; Mihi viuere Christus est, & mori lucrum; cæterum quòd per Cherubinos Christi virtutem explanat, allegoricè capiendum est. Pulchra sententia D. Bernardi.

PROBLEMA LXIV.

1. VID est gladius ille versatilis in manu Cherubinorum locatus? An
2. est gladius ferreus? Sed cur is in manu Angelorum? An igitur per gladium illum mysticè designatur progressus hominis, qui dum peccat, auertit se à Deo, & voluitur ad creaturam: dum autem resipiscit, & vera pœnitentia ducitur, auertens se à creatura ad Deum conuertitur? Vnde per primam auersionem expellitur homo ab innocentia, participatione sacrorum, & veris delitijs: per alteram verò versionem reuertitur homo ad illum fœlicem statum, à quo eiectus fuerat: quem statum Christus vocat regnum cœlorum. Et concinnissimè, vt norunt experti in antiqua Theologia: hinc præcursor dixit: Pœnitentiam agite, & appropinquabit vobis regnum cœlorum. Secũdam autem versionem ritè Theologi conuersionem vocant, quia quotiescumque homo vertit se ad Deum, Deus vertit faciem suam ad ipsum. Et ideo dicitur conuersio, quia ad inuicem vertuntur, iuxta illud, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Illo itaque gladio custoditur hortus, ne intrent indigni, & digni introducantur. *Idem quã suprà 24. versiculus exponitur.* Math.4. Ibid.3. Zach.1.

Quid sit gladius versatilis Cherubini sententia.

SENSVS ille tropologicus est; sed & alij variè gladium versatilem explicant: Conradus Pellicanus figuratam locutionem esse voluit, itaut omnis aditus homini nõ secus sit obseptus, quàm si plures Cherubim cum huiusmodi romphæa ante paradisum excubarent, quem tropum ab hæretico inductum arguit Delrio; alij seorsim accipiunt gladium, & flammam, contra quos idem
1. Martinus sentit; significatur enim romphæam
2. instar flammæ ignis apparere, itaut vibrata flammas vomere videatur. Alij, vt Tertul. in Apologetico, & D. Thom. 22. q. 165. art. vlt. de zona torrida explicant, quam ob æstum imperuiam, & inhabitabilem antiqui existimarunt, sed contrarium post celebres nostri sæculi nauigationes experientia docuit. Alij, vt Lyra, & Tostatus, volunt esse ignem, qui paradisum vndique ambiat, & quidem probabile est fuisse flammam ignis, quę formam gladij imitaretur, nisi potiùs dicat aliquis iuxta germanum literæ sensum, fuisse gladium instar 3. 4. 5.

6. instar ignis micantem; quem D. Ambros. in id Psalm. 118. Retribue seruo tuo: & Rupert. lib.3. ca. 32. de igne purgatorij per allegoriam explanãt, per quem animæ nondum omnino purgatæ transire debeant, quem etiam ante paradisum ponunt, vt omnes animæ per eum probentur, antequam in beatorum sedes aduocentur, iuxta id 1. ad Corint. ca.3. vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. An verò hunc ensem verset adhuc Cherubin, vel quando cessarit, quis conijcere potest?

PROBLEMA LXV.

CAPVT IIII.

1. VID significant Abel, & Chain? An duplicem hominem significant, animalem videlicet, & spiritualem, sicut Hesau, & Iahacob? Vtrobique autem primogenitus significat hominem animalem. Iuxta illud Apostoli: Prius quod animale, deinde quod spirituale. An duarum ciuitatum fabricatores denotãt, vt videtur sentire Augustinus? nam maior semper introducitur persequens
2. minorem, sed præ dominari debet minor, & in maiorem præualere, licet aliquando minor occidatur à maiori, quando videlicet homo cedit carni, & sanguini, adeout inducat mortem in animam. Gen 4. 1. Cor. 15 *Versic. 1. & secundus capitis quarti explicantur.* 1. de Ciu.

PROBLEMA LXVI.

1. CVR respexit Deus ad Habel, & ad munera eius? An quia bonus erat, & recta
2. intentione obtulerat? an quia obtulit de animalibus non maledictis, & de pin-
3. guedine eorum? An quia fortitus erat animam bonam, vt esset principium, & pa-
4. ter diuinæ familiæ? An quia obtulit primogenita animalium, Deo semper gra-
5. tissima? an (vt ad mysteria veniamus) quia Habel lugentem significat, cuius opera sunt Deo grata. Iuxta illud, Beati qui lugent. Gen.4. *Versiculus 4. explicatur.* Math. 5.

PROBLEMA 65. est tropologicum, idque bene, modò sensus verus literalis semper retineatur, iuxta quem certum est fuisse Chain fratricidam. In sequenti certum est magis à Deo spectari, quo proposito, quáue intentione quidpiam ei offeratur, quàm ipsa munera: in quo sanè mira eius bonitas elucet, qui cum bonorum nostrorum non egeat, ideo sibi quædam vult offerri, vt maiora tribuat; quod pura fieri iubet intentione, vt ad eum tanto propiùs accedamus, quo actiones nostræ à fœcibus creatis repurgatiores fuerint. An non ideo grata munera habuisse videtur, quòd de animalibus maledictis sumpta non essent, cùm tunc nullum præter serpentem animal maledictum fuisse legamus, nisi fortè iam ante Mosaïcam legem existimemus immunda animalia à mundis distincta fuisse, quod nonnulli à Seth admodum religioso factum autumãt, qui vt inepta sacrificio iam immunda repudiarit, vnde vocantur immunda Gen.7. quam ob causam bina duntaxat ingressa sunt in arcam, tametsi munda septena introducerentur, nempe 4. mascula & tria fœminea, vt par vnum ad speciei propagationem, aliud ad sacrificium, tertium ad esum post diluuium, septimus denique mas pro sacrificio post diluuium offerendus seruaretur, vt paret à Noë oblatum fuisse cap. 8. par autem vnicum immundorum ad solam speciei propagationem reseruari debuit. Deus ergo respexit Abelis munera, seu ἐπέρφθη, vt loquitur Symmachus, delectatus est in eis; vel iuxta Theodotionem ἐνεπύρισεν, inflammauit, quia igne de cœlo demisso oblationem eius absumpsit, vt loquitur Procop. D. Hieron. & Faustus Regiensis 2. de liber. arb. c.6. quicquid Caluinus, & Lutherus blatterent, atque hunc ignem Iudaicas fabellas appellent; & quidem id Deo consuetum Leuit. 9. vbi flamma sacrificium Aaronis. Iudic. 6. Gedeonis. 1. Paral. 21. Dauidis. 2. Paral. 7. Salomonis. 3. Reg. 18. Eliæ 2. Mach. 1. Nehemiæ absumit. Cur verò sibi complacuit in Abelis sacrificio? an quia maiori fide, quàm Cain obtulit; ad Hebr. 11. fide plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo, vt etiam D. Ambros. lib.2. de Cain & Abel cap. 7. notat. An quia maiori cordis simplicitate & metu Dei? vt loquitur Tertul. 2. contra Marcion. ca.22. An quia cum sincera in Deum, & proximum charitate? cùm malitiam Cain in corde aduersus fratrem foueret, vt Iren. lib. 4. cap. 34. aduertit? An quia præstantiora liberaliore animo? vt 1 Antiq. cap.3. Iosephus notarat: & D. Chrysost. Hom. 18. confirmat. An quia spiritu prophetico fidem suam de Agni immaculati oblatione, qui tollit peccata mundi, professus est? & ideo primogenita obtulit, quæ cùm viua essent, & ideo nobiliora, cur non Deo gratiora? Quod verò de Habelis significatione notat, ideo luctum significare Iosephus, & Eusebius censuerunt, quia per regulam commutatiuarum literarum ה אחר pro א positum esse existimabant: nunc autem scribitur per ה & ideo חבל Hebel, significat vanum, quo nomine primi capitis initio vtitur Eccles. Enimuero cùm tam facilè vitam amittamus, vt meritò canere possimus de humano genere hos Blanci versiculos:

Cur Deus Abelis munera acceperit. Prima ratio. 2. 3. 4. 5.

חבל

Vita hominum breuis est varijs obnoxia curis,
Mane viret, languet vespere, nocte cadit.

Cur non de Abele circa iuuentutis florem rapto illud Ecclesiastæ dicemus? Hauel haualim hacol hauel. הֶבֶל הֲבָלִים הַכֹּל הֶבֶל vanitas vanitatum, omnia vanitas, & alibi dicitur, vniuersa vanitas omnis homo viuens; Cauendum est autem, ne Deum accusemus, quòd Cain malam, Abel verò bonam animam dederit, ex quibus postea factum fuerit, vt vnius sacrificium gratum, alterius foret ingratum: nam quæcunque tribuit, aut facit Deus optimus, quomodo bonum non esset, maximè

cùm post opera singula, quæ producit, ea valdè bona esse iudicet: Ex dictis facilè colliges Abelem fuisse Christi, ac prædestinatorum, seu electorum figuram, vt Cain reproborum, & Antichristi, cùm tamen vnusquisque suæ sit malitiæ causa vnica.

PROBLEMA LXVII.

1. 2. 3. 4. 5.

QVR Deus non respexit ad Chain, nec ad munera eius? An quia obtulit de fructibus terrę iam maledictæ? An quia non recta intentione obtulit? An quia malus erat, & pater, atque principium diabolicæ, atque à Deo alienæ familiæ? an quia liuore plenus erat? Nam videns acceptum fuisse Deo sacrificium fratris, adeò ei inuidit, vt ipsum occiderit. Sed quomodo potuit Chain cognoscere sacrificium fratris fuisse Deo gratum? An (vt Hieron. cum Theodotione sentit) quia inflammauit Dominus sacrificium Habel? Solebat enim ignis è cœlo venire, & inflammare sacrificia. Quemadmodum factum fuit in Dedicatione Templi sub Salomone facta: & in sacrificio Eliæ in monte Charmelo. Sed hæc ratio videtur potiùs voluntariè adducta, quàm ex vi interpretandi, cùm nec ex verbis Hebraicis, nec ex Chaldaicis in Thargum elici possit; an igitur quia apertè fauebat Deus non solùm Habel, sed omnibus rebus eius?

Gen 4. *Versiculum quintus capitis quarti.* 2. Paral. 7. 3 Reg. 18

PROBLEMA LXVIII.

1. 2. 3.

QVID dixit Chain ad Habel? Nam in Hebræo non habetur, quid dixerit. Vnde illud egrediamur in agrum, additum est ab interprete. An fortè dixit verba contumeliosa, vt Hebræi, & Latini aliqui dixerunt? An potius (vt reor) locutus est ei familiariter, & blandè, vt tolleret ab eo suspicionem, quò faciliùs ipsum proderet? sic ut proditores facere consueuerunt.

Versiculus 8.

PRIMA ratio 67. problematis nulla est, cùm non ita maledicta terra fuerit, quin munera ex ea desumpta grata esse possint, si pietate debita offerantur: & ex dictis constat non ita voluntariè desumi rationem ab igne sacrificium Abelis absumente, quin suam probabilitatem retineat. Quod autem in 68. probl. notat Georgius, addita esse ab interprete, verba hæc; *egrediamur in agrum*, vt 70. habent, vel *foras*, vt vulgata editio, non caret difficultate; hîc autem Fagium, & Caluinum reprehendit Delrio, quòd ille mentiatur, illa verba à sciolo quodam adiecta, hic verò caluinet, cùm innuit ea à D. Hieron. inserta fuisse, cùm ea 70. legissent antea: quòd autem in Hebræo defuerint Origenis tempore patet ex eo, quòd illa non verterint Aquila, Symmachus, & Theodotion, nec Onkelos Thargumæus; non quòd illa superflua sint, vt existimauit Hierony. fortè ex aliorum sententia & ex apocryphis desumpta, vt vult Origen. sed à Mose scripta fuisse videntur, licet ineuriâ librariorum exciderint; idque ex eo probatur, quòd D. Hier. ea legerit in Pentateucho Samaritanorum, sicut 70. & Thargumæus Hierosol. ideóque pars Scripturæ sacræ censenda sunt. Hæc Delrio, qui ad Lindanum 1. de optimo genere interpret. cap. 5. remittit.

Vulgata editio à calumnia hæreticorũ vendicata.

PROBLEMA LXIX.

Vers. 9. & alij vsque ad 15. in hoc & sequentibus problematibus explicatur.

QVID dixit Deus Chain, videns ipsum iratum, & turbatum habere vultum? Nonne primò increpauit eum, eò quòd haberet vultum ad terram demissum? Comedebat enim (vt Zohar inquit) fructum manuum suarum. Nam rubor, & ignominia est fructus peccati, iuxta illud Apostoli. Quem fructum habetis, in quibus nunc erubescitis? Dixítque ei postea. Si bene feceris נשא Seèt, id est, eleuaberis, vel exaltaberis, iuxta illud Peripateticum. Honor est præmium virtutis.

Gen. 4. Rom. 6. Gen. 4. Ethic. 4.

SI verò malè feceris, peccatum tuum iacebit ad portam; Tribunalis videlicet supremi, (vt idem Zohar asserit) vbi peccata omnia dijudicantur. Nec excuses te, quòd appetitus te impulerit ad vindictam indebitam, quia iam tibi submisi appetitum tuum. Hinc dixit Deus; subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.

PROBLEMA

PROBLEMA LXX.

Versiculus 10. c. 4. exponitur.

VOMODO vox sanguinis Habel clamabat ad Deum de terra? Nonne quia anima animalis in sanguine residens (quam Hebræi Nephes vocant) clamabat in vindictam? Nam hoc proprium hominis animalis est, spiritualis autem nequaquam. Quod discere possumus à Christo, homine cœlesti, & spirituali, qui cùm tormentis maximis angeretur, non pro vindicta, sed pro venia clamauit, dicens: Pater dimitte illis. Hinc notanter dicit textus, clamat ad me de terra. Cùm terrenus sit homo clamans pro vindicta. Habel enim erat (secundum carnem) filius illius, de quo Apostolus ait: Primus homo de terra terrenus.

Gen. 4. Luc. 23. 1. Cor. 15

NON ita residet anima in sanguine, quin cæteris insit membris corporis; imò propriè loquendo non est in sanguine vt pote inanimi; cùm nullus ex 4. humoribus anima informetur; humores enim, sanguis præsertim, est propinquarum partium alimentum, nec est corpori continuus: scio quidem non esse nostrum vindictam sumere, cùm dixerit omnium vindex: Mihi vindicta, & ego retribuam, atque adeò non esse primis motibus obediendum, qui ad partem animalem referri debent, cùm tamen non omnis vindicta hominibus interdicatur; quis enim arguat iudices, quòd de impijs vindictam sumant? & sancti clamant in Apocalypsi, vindica sanguinem nostrum, qui effusus est: propriè verò reatus parricidij celerem in conspectu Dei vindictam expostulat: quomodo dicitur Math. 23. de homicidis: venient super vos sanguis iustus: & Hebr. 11. Abel defunctus adhuc loqui dicitur. Sic etiam merces operariorum detenta, Iacob. 5. & peccatum Sodomorum, Gen. 19. vindictam postulat, quam Deus Luc. 18. facturus esse dicitur.

Vindicta Deo relinquenda, aliquando tamẽ ab hominibus faciẽda.

PROBLEMA LXXI.

1. 2.

VÆ fuit maledictio Chain? Nonne cùm genitus fuerit ab eo patre, in cuius transgressione maledicta fuit terra, eandem pœnam meritò suscepit? Hinc ei dictum est. Maledictus eris super terram, quæ non dabit fructum conuenientem, cùm operatus fueris in ea. Vagus, & profugus, vel instabilis, & mobilis eris super terram. Quod proprium est peccantis, & relinquentis stabilem Deum, adhærentisque mobili creaturæ, iuxta illud Ieremię: Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est. Necesse est enim, (inquit Gregor.) vt qui rei mobili adhæret, cum ipsa labente labatur: an quia, cùm factum fuerit cor nostrum propter Deum, in creaturis quiescere non potest? Hinc Augustinus ait: fecisti Domine cor meum ad te, & inquietum est, donec quiescat in te.

Gen. 3. 4. *Versic. 11. cap. 4. explicatur.* Thre. 1. Sententia D. August.

PROBLEMA LXXII.

1. 2. 3.

VR Deus posuit signum in Cain ne occideretur? An positum fuit huiusmodi signum, ne homines eum occiderent? Sed cùm nullus homo tunc esset in terra, nisi pater eius, ad quid signum illud? An igitur positum fuit signum, ne bestiæ, vel mali spiritus ipsum occiderent? Sicuti positum fuit signum à filijs Israël supra postes eorum in Ægypto, ne occiderentur ab Angelo deuastante omne primogenitum Ægypti. Et hoc ne destrueretur principium generationis eorum, qui sunt à latere sinistro: quos Deus voluit stare contra eos, qui sunt è latere dextro. Nam iussit stare immundam familiam contra mundam, sicut sapiens innuit, dicens. Statuit malum contra bonum: sed si permisit Habel iustum occidi, & è latere dextro, cur vetuit occidi Chain fœdum, & è latere sinistro? An quia facilè poterat (quod & fecit) suscitare aliud semen bonum pro Habel? Sed non decebat, vt pollutum poneret ipse Deus: nec enim Chain à Deo, sed ab Heua matre, & mater à serpente fœditatem susceperat.

Gen. 4. *Versic. 15 exponitur.* Exo. 12. Eccl. 33.

NOTANT aliqui Gen. 4. vers. 11. esse hypallagen; ac si diceretur, terra, quam tu coles, erit maledicta, quia laboribus tuis parcissimè respondebit, vt habet Tertul. 26. c. de resur. carnis, & cap. 5. lib. aduersus Iudæos. In Hebraico textu legitur, *Maledictus tu de terra:* & quidem in eo maledictus, quòd non ex eius semine Messias ortus sit, sed è Sethi: Nunquid per terræ sterilitatem

rectè punitur, qui fratris sanguine terram polluit? adeout licet parceret frater, non tamen parcat terra inquit S. Ambros. Ex quibus manifestum est, quàm blasphemi fuerint Caini hæretici, qui apud Epiph. hom. 38. Cain, vt ex fortiori, cœlestique virtute prodeuntem colebant, sicut & Esau, Core, Iudam, & Sodomitas, quos suos esse cognatos affirmabant; Cain enim fuisse patrem Iudæ sentiebant, quem ideo venerabantur, quòd Christum tradidisset, præsciens eius morte homines redemptum iri; Abelem verò ex virtute debiliori natum esse dicebant.

Hæresis impia Cainorum.

In 72. problemate de signo in Cain posito fit mentio, quod Rabbini canem, qui eum in via prægcederet, fuisse dicunt; alij literam aliquam eius fronti impressam; alij vultum ferum, & truculentum: alij probabilius fuisse tremorem corporis, vultúsque consternationem, itaut timor, & tremor satis ostenderent eius peccatum, vt pote cui cœlestia pariter, & terrestria horrorem incuterent; nam præter fulgura, & coruscationes horrificas, videbat Cain Angelos igneis gladijs sibi mortem minitantes, inquit Procopius. Si oculos ad terram demittebat, serpentes veneno, leones vnguibus, cæterásque feras in se irruentes videbat. Numquid enim aduersus iniustos omnis creatura, si Deus permitteret, aut iuberet, armaretur? Quid autem intelligat Venetus per latus dextrum & sinistrum vix conijcio; nec enim existimandum est Cainum in Euæ sinistro latere, in dextro verò conceptum fuisse Abelem; sed numquid per latus sinistrum intelligit impietatem, & reprobationem vnius Caini, Abelis verò iustitiam, ac prædestinationem per dextrum; at neque hoc quadrat: hîc ergo loquendi modus non est probandus, neque quod in fine dicitur, tantùm de Caino verum est, quòd ab Eua fœditatem susceperit; quam enim fœditatem, nisi peccatum originale? quod æquè contraxit Abel ac Cain, cùm ambo per traducem ab Adamo, & Eua parentibus post admissum peccatum geniti fuerint. Nec ideo videtur Deus mortem Abelis potiùs, quàm Caini permisisse, quòd pro illo semen aliud suscitare posset; numquid enim pro Caino aliud etiam supplere potuisset?

quodnã fuerit signum in Cain positum 4 opiniones.

PROBLEMA LXXIII.

1. Capvt V. VR generatis Seth, & Enoch, statim dictum est, hic est liber generationis Adam? Nonne magnum est hîc Sacramentum, & altius, quàm præ se ferat litera? Nam tunc cœpit Moses retexere genealogiam humanam, quando familia Dei pullulare cœpit in Seth, & Enoch, propter quam familiam præcipuè fabricata fuit hæc mundi machina, quæ propter iustos, & propter fœdus cum iustis initum creata est, vt in Ieremia (secundum veritatem Hebraicam) habetur, vbi dicitur: nisi esset pactum meum (cum iustis videlicet) statuta cœli, & terræ non posuissem. Mali verò admissi sunt, vt per ipsos (teste Augustino) boni exerceantur. Sed cur dicit textus, in die qua creauit Deus hominem? An quia Adam tunc habuit filios istos in horto voluptatis, vt ridiculosè dicunt aliqui, nulla ratione, vel authoritate suffulti? an hîc recensetur genealogia hominis à principio creati, quæ tunc disposita fuit in cœlo, pro tempore in terra exhibenda? sicut agnus (teste Iohanne) fuit occisus (in cœlo videlicet) ab origine mundi:
2. mortis autem ipsius executio facta fuit in mundo, tempore suo. Genito itaque Seth, qui loco
3. Habel positus fuit à Domino, & pullulante in familiam, retexitur genealogia hominum iustorum, propter quos (vt dictum est) & mundus creatus fuit.

Gen. 5. Versiculus 1. cap. quintiexplicatur. Iere. 33. Aug. in Psal. 54. Quòd mundus propter iustos creatus sit. Apo. 13.

EVIDENTISSIMVM esse videtur, cur rectè post genitos Seth, & Enoch liber generationis Adam ponatur; quid enim aptius, ac diuinæ bonitati congruentius, quàm vt illorum incipiat generatio à viris iustis, & sanctis, à quibus omnis iustitiæ parens Iesus Christus originem sumere debet; propterea Caini progenies, vtpote peruersi, silentio inuoluitur, nec ab Abele potuit generatio hominum incipere, cùm nullos habuisse filios probabile sit, adeout virgo remanserit. Et quidem fuisse prærogatiua insigni donatum Sethum, & cæteris Adæ filijs prælatum existimo, fortè quia sanctior omnibus esset, vnde veluti Deus habebatur. Huc verò facit, quod Procopius edisserit; Non enim sciri expetit Deus vitam impiorum, quibus in extremo die dicetur, nescio vos, non noui vos: at tanta cura fouet iustos, vt etiam eorum capillos in numerato habeat.

Quod autem ex Ieremia affert, Galatinus lib. 7. de arcanis cap. 2. annotauit ex R. Haccados: qui præterea secundum Rabbinorum literales commutationes notat pactum idem esse, ac Iesu, & Maria, quia ברית eundem numerum, ac ישו ומרים efficit, cùm ex vtrisque seorsim sumptis numerus 612. exurgat; quapropter verba Ieremiæ sic explicat nisi amore mei Iesu, & Mariæ pactum inijssem, diem & noctem leges cœlo, & terræ non posuissem, seu mundum non creassem, vnde fertur illud inter Caballistas; iustus est fundamentum legis, & mundi. Cuius rationem assignant Adæ peccatum, à quo totus orbis corruptus est; quo præuiso pater mundum creare nolebat, nisi filius se ad mala per peccatum inducta, reparanda per suam mortem obtulisset. Vnde R. Onkelos in paraphrasi Chaldaica Genesis initio habet: Propter sapientiam Deus creauit cœlum, & terram: cætera apud Galatin. videantur.

ברית eundem numerũ efficere ac ישו ומרים nempe 612.

Iustus fundamentum legis, & mundi.

PROBLEMA

SECTIO SECVNDA DE NOEH, ET DILVVIO CONTINENS XXXIII. PROBLEMATA.

PROBLEMA LXXIV.

1. 2. 3. Capvt VI. VI sunt filij Dei, qui (vt in Genesi dicitur) accesserunt ad filias hominum? An fuerunt filij Set: qui (*vt nonnulli satis leuiter opinati sunt*) accesserunt ad filias Chain? An (vt alij *magis* ridiculosè dixerunt) fuerunt religiosi & clerici, cùm huiusmodi tunc nullus esset? An per filios Elohim intelliguntur dæmones, aut spiritus Satanici, idest nobis aduersantes, aut suadentes malum non tantùm verbis, sed etiam operibus, vt postea nos accusent coram Deo, & ipso iubente torqueant? Quorum genus nostri incubos appellant, eos videlicet, qui mulierum concubitu oblectantur: cuiusmodi erant illi filij Elohim, inter quos (vt in Iob dicitur) astabat Satan. Et sub nomine Elohim filiorum continentur non solùm incubi, sed omnes, qui sunt è latere sinistro, *cui loco prædominatur Deus.*

Gen. 6. Versic. 2. cap. 6. Iob. 1.

PROBLEMA LXXV.

VINAM ab his progeniti fuerunt? Nonne habemus in textu, quòd geniti ab his fuerunt potentes à seculo viri famosi? Qua verò potentia vrgerent, paulò ante innuitur, dum dicitur: Gigantes autem erant in terra. Nec enim aliunde genitos fuisse constat Gigantes, quamuis nonnulli aliter sentiant, dicentes quòd tempore Mosis erant gigantes in Hebron, filij Henach, ab hominibus geniti, vt in libro Numer. legimus. Similiter in 1. volum. Reg. habemus de filijs Haraphah, quorum vnum, Goliat videlicet occidit Dauid: de alijs verò habetur in 2. Regum volumine. Verùm ibi probatur tunc fuisse gigantes in terra; *Quòd autem fuerint ex humano concubitu nati nusquam habetur. Nec consentaneum est, quòd tam ingentia monstra via naturali, & ordine debito progenita sint.*

Gen. 6. Versiculus 4. Num. 13. 1. Reg. 17 2. Reg. 21.

QVID est quod Venetus leuem opinionem esse existimet eorum, qui filios Dei, Seth filios asserunt? eámne sententiam leuem appellas, quam Theodoretus quæst. 47. in Genes. Cassianus collat. 8. cap. 21. D. August. cap. 23. lib. 15. de Ciuit. Cyril. lib. 3. in Genes. & 9. contra Iulian. Rupert. lib. 4. cap. 12. cum multis alijs, ipséque D. Thom. 1. p. qu. 51. art. 3. ad 6. cum multis recentioribus amplectuntur; gigantum verò generationem potuerunt dæmones adiuuare, si fortiter imaginationem commouerint, vt abundantius semen, ac calidius eliceretur. Tantum igitur abest, vt hæc aliqui opinati sint; quin potiùs vera sententia, & literalis esse videtur; ecquid mirum si posteris Seth nomen filiorum Dei adhæsit, cùm eis reseruaretur benedicti seminis promissio, & virtutum omnium imago in illis splendesceret? Cainitæ autem filij hominum, vt pote rebus terrenis nimio plus inhærentes dicerentur. Adde quod sententia illa de Angelis sese cum fœminis commiscẽtibus à Philastrio hæreses inter annumerata sit, quam D. Chrys. hom. 22. in Gen. & Cyril. l. 3. impugnant. Negare nolim, sed nec iam discutere, an dæmones succubi generare possint, id enim in proprijs quæstionibus agitandum erit; interea tamen Delrio lib. 2. disquisit. cap. 15. videri potest. Quid verò per latus sinistrum intelligat, iam me nescire professus sum; cùm nec malum, nec aquilonem significare videatur, quomodo enim Deus malo, potius quàm bono dominaretur, nisi dixerimus eum minimè negare, quòd Deus lateri dextro, ac iustis dominetur, in quibus longè dominatur ampliùs, quàm in impijs, sed quòd significet etiam improbis dominari, quorum peccatis licet delectari nequeat, nec ea facere possit, ea tamen ordinat, & sæpius plurimos improborum conatus coercet, aut alio, quò nollent, diuertit: Quomodo si latus sinistrum acceperimus, sub eo non solùm sceleratos homines, verùm etiam dæmones tam incubos, quàm succubos comprehendemus. Index vult deleri parenthesim, quæ sequitur hæc verba, *Filij Seth*, vsque ad, *Accesserunt ad filias*, exclusiuè, & voculam *magis*, quæ est ante *ridiculosè*; reliquum verò problema post verba hæc, *è latere sinistro.*

Quatenus in iustis regnat per gratiam.

Circa 75. problema de gigantibus pauca notanda; Et quidem absonum minimè fuerit, si statim ab initio mundi gigantes fuisse putemus, cùm Iosue cap. 14. de maximo Adamo inter Enacim in Hebron sepulto meminerit: Cùm tamen Iosue locus non de Adamo, sed de Arba, vt probat Serrarius ibidem, intelligi debeat. Quò spectat illud Barcephæ, quòd primi parentes Oceanum vadum à paradiso eiecti transierint, & Methodij, qui Sethum gigantem appellat; quid enim aliud vocamus gigantes, quàm Heroës prælongos, quos D. Aug. cap. 23. lib. 15. de Ciuit. staturosos. Theodoretus qu. 48. in Genes. παμμεγέθους vocat; In Numerorum libro, vbi dicuntur proceri statura; Hebræus textus habet viros mensurarum: 70. ὑπερμήκεις, supra modum longos: Dicuntur etiam נפלים Nephilim. quòd in alios cum impetu ruant, vel, vt ait Aben-Ezra, quòd ij, qui eis occurrerent, vastitaté

De diuersis gigantum nominibus, & vnde varia nomina fortiti sunt.

נפלים

corporis, ac formidine correpti ruerent: Symmachus vetit βιάιυς violentos: Aquila ἐπιπίπτοντας, & ἀνιάτους inſanabiles: Arias, terrore conſternantes; ſunt etiam dicti θεομάχοι: & hi ſunt quos Scriptura vocat viros famoſos, & potentes à ſæculo ἰσχυρὸς τὸ σῶμα, inquit, Damaſc. 70. Prouerb. 9. vocarunt eos γηγενεῖς terrigenas, vbi Aquila & Symmachus nomen Hebræum Raphaim retinuerunt: hîc autem vocant eos γίγαντες, qui ſunt ἄνθρωποι ὀνομαστοί, viri nominis: quos è terra genitos antiqui fabulabantur. R. Salomon dici cadentes autumat, quòd ex 2. Angelorum genere ſint, Aza & Azael, qui de cœlo ceciderint, quod eſt ridiculum, cùm Angeli ſiue boni, ſiue mali ſint corporis expertes. Itaque

Emim. ſtatuendum eſt gigantes illos, ſiue ſint Emim, aſpectu terribiles, dicti ab אימא teſte Hieron. in qu. Hebr. quod terrorem ſignificat, vel ab אמא ſecundum Oleaſtrum, quod cubitum ſignificat; ſiue

Raphaim. dicantur Raphaim, à primo parente, cuius fit mentio 1. Paralip. 20. רפא Rapha, quod diſſoluere ſignificat, quia ſtatura immani ſpectantium oculos diſſoluebant, aut à חוים Heuæis, qui à ſerpentibus ſuum nomen ſortiti ſunt, quod horum inſtar in cauernis latitarent; adeout Raphaim, & inferi idem ſint. Iſa. 26. ſiue deuum Enakim eos appel- Enakim. lemus, ſeu poſteros Enac gigantis, qui ab eo traxêre nomen, quia ענק hanac torquem repræſentat, ipſique torquati incedebant; ſiue quocúmque alio nomine celebrentur, non ex Angelis, aut cacodæmonibus, ſed ex hominibus nati ſunt; nec enim vlla eſt in Angelica natura generandi vis, nec ſi quando per incubos aliqui geniti ſint, hi dæmonum filij, ſed eius hominis à quo deciſum eſt ſemen, & à dæmone ſubitò in matricem ſuccubæ tranſlatum, cenſendi ſunt. Quòd gigantes non ſint filij dæmonum. Nihil verò obſtare video, quominus iſti gigantes via naturali progeniti ſint, cur enim non eſt conſentaneum? vt ea ratione terrarum orbis omni varietate decorus, pulchrior euadat.

Poſt illud, *fuiſſe gigantes in terra*, Index totum vſque ad finem problematis deleri iubet.

PROBLEMA LXXVI.

PROPTER quod peccatum inundauit diluuium? An propter luxuriam, vt Contra Iouin.
1. omnes ferè dicunt? cui opinioni cōſentire videtur Hieronymus dicens, quòd
opera carnis Deus diluuio condemnauit. Sed cur beſtiæ ſimul cum homini-
bus conſumptæ fuerunt? An quia, vt nonnulli dixerunt, earum abutebantur Verſic. 7.
concubitu? An (vt benè animaduerterunt ſapientes) deletus fuit ille populus
2. vniuerſaliter propter crimen læſæ maieſtatis, quod eſt idololatria, vel omni-
3. moda auerſio à Deo? Hinc notanter dictum eſt: Et cuncta cogitatio hominis intenta erat Gen. 6.
ad malum omni tempore, nulla penitus temporis parte Deo relicta.

PROBLEMA LXXVII.

CVR dixit Deus finis vniuerſæ carnis venit coram me? An quia vene- Ibid.
rat in mentem diuinam finire, conſumere, & diſperdere vniuerſam Ibid. 7.
1. carnem? Sed cùm ex omni animantiū genere fuerint bina, vel ſeptena Verſic. 15.
iuſſu Dei ſeruata in arca, & ex humano genere 8. animæ, quomodo de
hoc fine intelligi poteſt? An igitur (vt ait R. Simeon in Zohar) finis 1. Petr. 3.
omnis carnis, eſt ſerpens antiquus, prædominans carni, & ſanguini, qui
2. mediante carne, & ſanguine ſemper in malum nos trahere nititur? vt
inde (ſicut ſupradictum eſt) nos accuſet coram Deo. Hinc poſtquam omnem hominem
(illa paruula familia Noeh excepta) abduxerat à Deo in ſeruitutem carnis, & ſanguinis, ac-
cuſauit ipſos coram Deo, vt inde videret hominum vindictam, qua ſemper gaudet.

POTISSIMA diluuij cauſa gigantum ſcelera fuêre, vt Sap. 14. ſatis inſinuatur, quos omni peccatorum ſpurcitia fœdatos crediderim, cùm cuncta eorum cogitatio intenta eſſet ad malum; hinc Cyclopum, & Titanum apud Gentiles origo: in Hebræo habetur כָּל־יֵצֶר מַחְשְׁבֹת col iether macſceuot, omne figmentum cogitationum; vbi perperam Illyricus ait, originale peccatum eſſe ſubſtantiam, & Caluinus ex eo quod intenti eſſent ad malum, רק rac, ideſt, tantummodo, concluſit omnia opera noſtra quantumuis ſancta occulto concupiſcentiæ peccato inquinari, imo & eſſe tota ſordida, vt notauit Cornelius, & improbauit; Illyricus & Caluinus arguũtur. licet enim in tantum impietatis gigantes illi, cæteríque illius primæ ętatis homines prorupiſſent, vt nihil penitus boni feciſſent; bona tamen agere pro innata animi libertate eos potuiſſe quis non videt? adde quòd ſaltem Noeh tunc iuſtus eſſet coram Domino, quam iuſtitiam, & cæteri amplexi eſſent, ſi voluiſſent, cùm ex parte Dei ſtet numquam, quin iuſti, ac ſancti reddamur, imo Dei voluntas eſt noſtra ſanctificatio, Apoſtolo teſte. Gigantũ profunda iniquitas Tantorum verò criminum obnoxios fuiſſe gigantes exiſtimo, vt non ampliùs in occulto, ſed palam ſcelera ſua patrarent, nec eis curæ eſſet diuina maieſtas, impius enim cùm in profundum venerit, contemnit. Non eſt autem inſolitum beſtias licet ſceleris incapaces, cùm impijs hominibus deperire, vt diuinæ iuſtitiæ rigor magis appareat, ac inde nouum conuerſionis motiuum impijs ſuggeratur

ſuggeratur, Deíque timor efficaciùs incutiatur.

In problemate 77. minus bene ſerpens pro fine carnis ſumitur; tametſi enim noſtris ſenſibus, ac humoribus vtatur, vt menti noſtræ inſidietur, non eſt tamen eius finis caro, nec ipſe carnis finis eſt ſiue phyſicus, ſiue moralis. Nec eſt quòd ad ſerpentem recurramus, vt verum iſtius loci ſenſum indagemus, quandoquidem ſatis conſtat Deum illis verbis ſignificare velle breui mundum, ſeu homines conſumptos iri; Nec obſtat, quòd vniuerſa caro ponatur, pauci enim arca ſaluati nihil ferè ſunt reſpectu cæterorum, qui periêre.

PROBLEMA LXXVIII.

QVOMODO Deum Omnipotentem, & omnia præuidentem pœnituit? Gen. 6.
1. quod hominis non bene præuidentis eſt. An (vt aiunt) Deus habuit ſe Verſiculus ſextus
per modum pœnitentis? Sed cur ſubinfertur. Et tactus dolore cordis in- cap. ſexti.
trinſecus? An ibi pœnitere non ſignificat pœnam tenere, ſicut apud Lati-
2. nos videtur ſignificare vocabulum? Nam in Hebræo ſcribitur נחם Nacham, נחם
quod pœnitere, & conſolari ſignificat. Et hoc quia dum Deus deſtruit
opus, vt illud melius erigat, conſolatur in renouatione ipſius, dolens ta-
men de deſtructione: ſed præponderat opus inſtaurandum operi deprauato. Quæ omnia
in effectu, non in affectu (dum de Deo loquimur) intelligenda ſunt.

PROBLEMA LXXIX.

CVR dixit Deus, Non permanebit ſpiritus meus in homine in æter-
num? Nunquid ſpiritus Dei eſt in homine? Vtique. Nam ſcriptum eſt: Ibid.
1. Et inſufflauit Dominus in nares hominis ſpiraculum vitarum, nec enim Verſic. 3. cap. 6.
aliunde habemus, vt viuamus Deo, & intelligamus diuina (ſicut Plo- Plotin.
tinus docet) quàm à ſpiritu Dei. Hinc Paulus de mente Arati dixit,
Deus eſt, in quo viuimus, mouemur, & ſumus. Eſt enim ſpiritus vitæ
in nobis, nos viuificans, & Spiritus-ſanctus bonos ſanctificans. Et hîc Act. 17.
veluti gladius in vagina. Idcirco in veritate Hebraica habetur. Non inuaginabitur. Vbi
vulgata editio habet, non permanebit. Sed cur dixit in æternum? An quia tunc homines in
2. ęternum viuebant? An (vt alibi diximus) עלם, non ęternum, id eſt, durationem ſine tem-
3. pore ſignificat, ſed curriculum vitę homini à principio ſtatutum, mille videlicet annorum?
Ad quem terminum nullus vnquam peruenit: licet multi appropinquauerint, vt in Geneſi Gen. 5.
legimus. Et hoc propter multa, quę ſolent homines contra moderatè viuendi normam
committere. Vnde poſſunt vitam abbreuiare, protrahere verò nequaquam. Abbreuiari au-
tem iuſſit Deus vitam hominis, ne compleret totum illud vitę curriculum in malitia, vt ſu-
pra quoque tactum eſt.

NON eſt Deus hominis inſtar, vt mutari poſſit; cuius cùm aliquam veluti paſſionem amoris, triſtitiæ, iracundiæ & pœnitentiæ in Scripturis legimus, cauendum eſt, ne Deum paſſionibus obnoxium exiſtimemus, nec enim apud eum eſt vllius viciſſitudinis obumbratio, vt ipſe ait. Ego Deus, & non mutor. quomodo loquamur de Deo ac ſi nobis ſimilis eſſet. Verumtamen vt Scriptores ſacri ſeſe noſtris concipiendi modis accommodent, id, quod naturæ intellectuali, hominis præſertim conuenit, in Deum ſæpiſſimè κατ' ἀνθρωποπάθειαν transferunt: hîc autem pro pœnituit Symmachus habet, auerſatus eſt. ἀπέστρεψεν. Aquila μετεμελήθη. 70. ἐνεθυμήθη, & recogitauit, ac ſi diceret, apud ſe Deus hominis peccatum reſpiciens, eccur feci hominem? ita ſiquidem nati ſumus, vt vnicum Dei actum, quo omnia facit, quæcúnque facit, in diuerſas conſiderationes partiamur, & Deo loquamur antropopathῶs. quomodo pœniteat Deum. Eſt ergo retinenda prima Veneti reſolutio, & quod in fine habet. Vide Tertullianum lib. 2. aduerſus Marcionem ferè per totum, quomodo Deum pœniteat, & alios actus exercere dicatur, præcipuè cap. 24. & ſequentibus.

Quando verò dicitur, *Non permanebit ſpiritus meus in homine*, communiter intelligunt Interpretes de anima hominis, quæ eſt in corpore, vt in vagina; nam ידון Iadon aliqui deducunt à נָדָן Neden, ידון vagina; alij deducunt à don, ideſt iudicauit: editio autem Chaldaica habet, *Non ſubſiſtet generatio iſta peſſima coram me*: alij hunc afferunt ſenſum, non patiar vltra naſci homines, quia, inquit Aben Ezra, ſpiritus dominatur corpori; vel, vt alij, *Non regium locum impoſterum ratio tenebit*: vel denique, vt Hieron. in quæſt. Hebr. & R. Salomon inſinuat, *Non diſceptabit, nec iudicabit ſpiritus meus*, cum homine iuxta ſceleris magnitudinem, quia fragilitati illius compatior.

PROBLEMA LXXX.

1. QVR iussit Deus ad saluandum humanum genus fieri arcam ligneam? Nonne poterat Deus congregare animantia saluanda in aliquem montem, vel in hortum delitiarum, *Si est in terra, vt aiunt?* An hoc fuit in figura veræ salu- Gen.6. Versiculus 14. 1.Cor.10
2. tis à Christo per lignum crucis dandæ, cùm per lignum venerit perditio? Nam omnia (teste Apostolo) patribus in figuram contingebant. An per arcam hanc ligneam denotatur illa dignissima virga, & planta egressa è radice Iesse in salutem
3. gentium, vt totus progressus & ruinæ, & reparationis humanæ describeretur sub metaphora ligni? ligni, inquam, in quo omnia continentur, sicut Deus dedit homini virtutem continendi omnia, vt Sapiens ait. Sap. 10.

PROBLEMA LXXXI.

1. QVR iussit Deus fieri arcam tripartitam, siue tricameratam? Nonne cùm Deus voluerit per hanc arcam figurari illam veram arcam, siue arborem humanã diuinitate plenam, iussit & in partitione, & in mensura hanc figuratiuam fieri conformem illi veræ arcæ corporis humani, quod tripartitum est? Eius enim pars superior est à vertice vsque ad collum, vbi residet virtus rationalis, & sensus ipsi seruientes. Secunda pars est à collo vsque ad diaphragma, vbi locatum est cor, pulmo, hepar, & huiusmodi, quæ sunt sedes virium animalium. Tertia verò à diaphragmate vsque ad vasa expurgatoria, in quam partem transmittuntur excrementa cibi, & potus. Pari modo in suprema arcæ parte residebant homines rationis capaces; in secunda animalia, in tertia viliora quæque.

Gen.6. Versiculus 16. Tres partes arcæ respondentes tribus partibus humani corporis

PROBLEMA LXXXII.

1. QVÆ fuit mensura arcæ? Nonne longitudo ipsius fuit trecentorum cubitorum, latitudo verò quinquaginta; altitudo autem triginta? Et hoc, vt proportio longitudinis ad latitudinem esset sescupla; ad altitudinem verò decupla; latitudinis autem ad altitudinem superbipartiens tertias; qualis est proportio præcisa corporis humani, vt optimè norunt in re huiusmodi periti: cuius arcæ mensuræ atque numeri cum ipso corpore humano conueniunt, si bene perpendantur ea, quæ de hexampedis, & minutissimis mensuris ipsius corporis tractant descriptores humanæ fabricæ, vt etiam August. sentit. Ibid. Versiculus 15. Leo Baptist. Aug. super Gen.

CERTVM est Deum, si voluisset, congregare, ac saluare potuisse animalia in aliquo monte; sed cùm illius iussu summos montes aquæ transcenderint, non est mirum, si occubuerint. Sensus allegorici, qui sequuntur in 80. probl. grati sunt, veri, & vtiles, quibus alij multi tam allegorici, quàm tropologici addi valeant. Diuisio autem humani corporis, quam habet probl. 81. ea est, qua Anatomici corpus in tres ventres distribuunt, quorum primus cranio contentus spiritus animales, ac neruos, tam sensitiuos, quàm motiuos contineat, nec non organa, quibus ratio, & intellectus in suis actibus vtuntur, velut
1. instrumentis, sine quibus ante separationem à corpore anima rationalis nec intelligere, nec ratiocinari potest. Secundus continet cor, à quo
2. spiritus vitales, & arteriæ ducunt originem. Tertius denique habet hepar sanguinis, ac spiritus naturalis, venarúmque officinam, ac principium; per primum Angelis, & mundo cœlesti; per secundum cœlis, soli, & animalibus; per tertium plantis homo comparari potest. Vt autem problema 82. faciliùs intelligatur, quædam ab ipso Veneto ex toni sexti Cantico primo Harmoniæ cap. 3. & seq. repetemus. Diuidunt aliqui corpus in 6. pedes, qui paulo deficiunt à maioribus, itaut vnam mensuram ex ijs pedibus hexapedam vocent, quam partiuntur in gradus 10. vt ex 6. hexapedis 60. gradus resultent. Gradum præterea quemlibet in 10. vel melius in 5. diuidunt minuta, vt omnes gradus simul 300. minuta efficiant; quæ inquit Venetus, Moses cubitos vocat. Quod non de com-

Tres vẽtres in homine referentes triplicem mũdum. 3. Magnitudo & capacitas arcæ cubica 45000. cubitorum.

de communi cubito, pedem & dimidium, aut 2. spithamas, seu palmos 6. habente, sed de cubito geometrico 6. cubitos cõmunes capiente intelligi vult cum Origene, & Augustino: itimet enim, ne si de communi cubito loquamur, minor, quàm par sit, ad tot animalia, tótque cibos capiendos arca euadat; cùm tamen amplissima futura sit, si eius capacitas interior sit cubitorum solidorum 450. millium; nam si longitudinem arcæ per eius latitudinem, nempe 300. per 50. multiplices, resultant quindecim millia quadratorum cubitorum; quos si per 30. cubitos altitudinis multiplicaris, resultant 45000. cubiti.

Mensura corporis humani arcæ correspondens discutitur.

Ad instar arcæ corpus hominis in longitudine 300. minutorum, in latitudine 50. in altitudine 30. faciunt, cuius si proportiones etiam minutarum partium videre cupis, habes Albertum Durerum, qui 4. libris vsque ad tædium de proportionibus corporis humani disseruit. Vt autem arcæ longitudo decupla erat ad eius altitudinem, & profunditatem, quia 300. continent decies 30. ita longitudo corporis humani bene formati, à vertice vsque ad pedes decupla est ad eius profunditatem, quæ sumitur à pectore vsque ad dorsum recta linea penetrando; & longitudo ad latitudinem, quæ sumitur à latere dextro in sinistrum, eundo per medium pectus est sextupla, sicut 300. arcæ longitudo sextupla est ad eius latitudinem, nempe ad 50. vt notat D. August. cap. 26. lib. 15. de Ciuit. & Ambros. cap. 6. de arca, qui toto libro multa de arca per allegoriam affert. Denique latitudo corporis humani cum eius altitudine est in proportione superbipartienti tertias, quæ reperitur inter 50. & 30. nam 50. in se 30. complectitur, & præterea duas numeri tricenarij partes, quæ sunt duæ decades. Ex problemate 80. iussit Index post illud, *Vel in hortum delitiarum*, deleri vsque ad, *An hoc fuit*, exclusiuè.

PROBLEMA LXXXIII.

1. QVR fenestra tam ingentis machinæ cõclusa fuit cubito, & quomodo in ipsam animalia tam magna intrare potuerunt? An fuit hæc mensura (vt Origenes & August. conueniunt) secundum cubitos geometricos, qui 6. communes capiunt? communis enim cubitus 6. palmis concluditur, pede videlicet cum dimidio. Geometricus autem 9. pedum, vel 36. palmorum est; vnde satis ampla, & patens erat fenestra pro introitu cuiuslibet animalis. Si verò persistere libet in mystico sensu, & typo corporis humani, nonne satis conueniens est illa mensura cubitalis pro ore, vel gutture, alíisque mensuris ipsius corporis vtique bene proportionatis correspondens? Gen.6. Orig. in Homil. Versiculus 16. Aug. super Genes.

PROBLEMA LXXXIV.

CAPVT VII. QVO pessulo clausa fuit arca, & à quo? Nonne à Domino (vt in textu habetur) clausum fuit ostium de foris? In veritate autem literæ habetur. Et clausit Dominus pro ipso S. Noeh: vnde innuitur, quod nec ipse Noeh, nec creatura aliqua potuisset tutari arcam à tanta clade, & tot & tam seueris diuinæ iustitiæ executoribus, nisi Dominus apposuisset manum, iuxta illud Prophetæ, nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Pessulus autem fuit signum, seu character quidam, quem Angeli nocitores reuerentur, vt patet de signatis in Ezechiele, & Apocalypsi. Gen.7. Versiculus 16. capitis septimi explicatur. Psal. 126 Ezech. 9 Apoc. 7.

Qualis fuerit cubitus arcæ.

QVALIS fuerit ille cubitus, an communis, an geometricus, vix ac ne vix quidem definiri potest: Delrio sequitur Venetum cũ Isidoro Clario & Origene, qui cubitũ de geometrico intelligunt, quod & lib. 1. quæst. in Genes. habet D. Augustin. quod fortasse confirmari potest ex eo, quòd centum annos in arca fabricanda Noë cum sua familia, & multis operarijs ad id conductis, teste Origene contra Celsum lib. 40. transegerit: quo posito, iam plures cubitos communes, quàm antea assignabimus arcæ, quæ in longitudine 1080. in latitudine 300. in altitudine 180. cubitos habebit; at quicquid dixerimus, saltem illos cubitos, licet communes nostris longè maiores fuisse censeo pro analogia membrorum tunc longè maiorum, adeout fortè ad cubiti geometrici magnitudinem accederent; qua ratione faciliùs tot animalia in arcę capacitate cõtinerentur. Nec mireris, si in vna naui cuncta animalia degerint; nam hybridibus ex putredine nascẽtibus, piscibus, amphibijs cæterísque id genus sublatis, non plures quàm 30. reptilium species, quadrupedum centum triginta, auium 150. reperies apud Gesnerum de quadrupedibus, Vlyssem Aldrouandum in Ornithographia; Bustamentium de sacræ Scripturæ animalibus, cęterósque rerum naturaliũ authores, adeout licet aues & quadrupedia sine munditiei discretione septena in arcam ingressa fuissent, numerum tantummodo 1960. exæquassent; quibus si reptilia 2. de qualibet specie iunxeris omnia animalia nũmero 2020. respondebunt. Adde quòd paucæ aues oloribus maiores, paucáque quadrupedia equo maiora sunt, ac proinde mansiunculas suas in arca habere potuerunt. Facessant ergo Apelles Marcionita, & Porphyrius, qui Moysi velut fabulosæ Deucalionis arcæ narratori calumniantur. Quot sunt animalium species, tam auiũ quã quadrup. Carpitur Porphyrius

Vt autem cum humano corpore contulerat arcam, sic eius fenestram ori comparat; nam sicut per fenestram columba munda, immundúsque coruus exiêre, ita procedunt ab ore tam mali, quàm boni sermones, vt ipse in harmonia notat loco priùs allato.

An autem Deus ipse, vel Angeli clauserint deforis arcam parum refert, nam qui per alium facit, per se ipsum facere censetur, imo nihil Angelus facere, nisi Deo simul faciente potest. Chaldæus autem habet, *Et protexit eum Dominus verbo suo,* quo magis & arca, & Noë protegebantur, quàm vllo pessulo; sed nec pessulus alio modo fuit character, quàm serra; nec tamen vllum imminebat periculum, ne cacodæmones eam aperirent, id enim impediebat Omnipotens. Quare non probo eam applicationem, qua Venetus vtitur Ezechielis, & Apocalypsis locis, licet multa concedi possint in sensu mystico, dummodò non destruant literalem sensum, nec fidei, aut rationi vllo modo repugnent.

PROBLEMA LXXXV.

1. CVR bestiæ immundæ seruatæ fuerunt in arca tantummodo binæ, & binæ? An quia numerus binarius materiæ tribuitur, à qua omnis malitia, & immunditiis in rebus corporeis? An vt immundæ seruarentur paruo numero, prout prolis
2. multiplicandæ necessitas duntaxat exigebat? An quia immundæ erant, ipso numero binario, qui infaustus est (vt etiam Hieronymus asserit) distributæ fuerunt? An vt indicaretur bifarius fons omnium immunditiarum, qui est irascibilis, & concupiscibilis, vt
3. bene sentit Origenes? Ab hoc enim duplici fonte, quicquid immunditiæ, in homine repe-
4. riri potest, emanat.

Gen. 7. Versiculus secundus capitis septimi

PROBLEMA LXXXVI.

1. CVR aues, & animalia munda septena, & septena in arcam introducta fuerunt? An quia in maiori numero munda seruata fuerant, vt ex ijs haberet Noëh, quæ de arca egrediens offerre posset in sacrificium, vt in Genesi legimus, & quæ propagandæ speciei sufficere possent, eóque faciliùs, & citiùs multiplicarent, quò plura essent? Sed cur septena præcisè? An quia licet ani-
2. malia sequantur numerum quaternarium, elementarem, & fundamentalem, de ternario tamen superiori, & diuino participant, vt munda sint? An quia mundities à septenario pro-
3. uenit? Hinc non sine causa dixit Elisæus Nahaman purificando, vade, & lauare septies in Iordane; nam omnis purificatio, & remissio fit per septenarium, de quo alibi.

Versiculus tertius. Gen. 8.

4. Reg. 5.

PROBLEMA LXXXVII.

1. CVR Deus pluere iussit 40. diebus, & 40. noctibus? Nonne quia quadragenarius numerus habet nescio quid latentis in se mysterij? Hinc numerus iste obseruatus fuit in ieiunio à Mose, Elia, & Christo, & nouissimè ab Ecclesia. Sed cur hoc? nonne, quia (vt in Zohar habetur (denarius correspondens denario supramundano in punitione Ægyptiorum
2. reperto, multiplicatus in 4. mundi partes quadragenarium constituit? Secundum quem data fuit è cœlo pluuia vniuersalis in punitionem totius generis humani. Sed cur ieiunium peculiare celebratum fuit hoc numero? secundum
3. quem & plagæ dabantur in punitionem transgressorum (iuxta Deuteronomicum præceptum) quas ideo, quamuis vna minus (quia ciuis Romanus erat) suscepit Apostolus. Nonne quia in subiecto particulari denarius multiplicatur per quaternarium elementorum, vnde potissimè error & culpa?

Gen. 7. Exo. 34. 3. Reg. 19 Math 4. Versiculus 11.

Deut. 25 2. ad Cor. 11.

QVÆ de binario 85. problemate attulit, habet fusiùs Cantic. 1. tono 6. ca. 16. adeout illud tam delectabile verbum omiserit Deus in 2. creationis die, *Et vidit Deus quod esset bonum*, propter binarij malitiam, vt Diuus Hieronym. lib. primo in Iouinian. insinuat, quia ab vnione diuidit, & præfigurat fœdera nuptiarum: licet Rabbi Salomonis expositionem Lyra prætulerit, nempe illa verba die 2. fuisse omissa, quia aquarum opificium nondum erat perfectum, ac proinde nondum bina appellatione dignum, quod Burgensis refellit. Hieronymum secutus est Rabanus, qui binarium esse numerum infamem, & immundum propter corruptionis causam, quæ primùm ab ipso progreditur, asseruit. Vnde & alij hunc numerũ seditionis, & discordiæ originẽ, imperfectissimum, & infœlicissimũ dixerunt, quòd fortè à Pythagora duxit originẽ, qui diadalitẽ, & audaciam appellabat,

Quid de binario nonnulli senserint

Binariũ non esse immundum.

appellabat, vt triada, iustitiam, & vnitatem Apollinem. Quàm verò ea ridicula sint & fictitia quis non videt? quid enim binarius immunditiæ magis habet, quàm ternarius? An quia cùm recedit ab vnitate, designat materiam à diuinitate, & à forma recedentem? An quia denotat multitudinem? Sed nunquid magis eam ternarius ostendit? siquidem ab vnitate distat ampliùs; cur ergo non est litis, & discordiæ numerus ternarius? cur non quaternarius, & deinceps qui sequuntur numeri? qui iure potiori multitudinem, materiam, discordiam & infortunium portendere deberent, quò magis vnitati aduersantur. An quia ternarius denotat tres personas Trinitatis, ideo præ dualitate celebratur? Nugæ: quid enim obstat quòminus binariũ vero Dei filio, generationi diuinæ, duabus Christi naturis, cœlo & terræ, soli & lunæ, intellectui & voluntati, cæterísq; totius mundi rebus optimis attribuamus? Quandoquidem illæ numerorum applicationes à libertate nostra, atque cordis figmento pendent; nec certè res vllæ siue diuinæ sint, aut humanæ vllam à numeris excellentiam, aut commendationem, sed potius à rerum nobilitate numeri suas laudes, suáque encomia repetunt? quomodo enim rebus quidpiam conferrent, qui nihil in se verum, & reale habent, præter res ipsas, quas per discretionem ab extrinseco denominant? Facessant ergo Pythagoræi, corúmque sequaces numeris plus nimio tribuentes, quos si quando patres, authorésque Catholici sequuntur, verbo tenus id eos præstare crediderò, qui supponentes quod apud Philosophos Pythagoricos vigebat, his velut Ægypti spolijs vtuntur, vt cum rege nostro Christo in Idumæam calceamentum extendant, & ad veritatis lucem, si fieri potest, hostes fidei adducant. His etiam numeris vtuntur, non vt in eis virtutem aliquam inesse ostendant, sed vt quoddam ab eis ornamentum, atque decus rerum, quas pertractant, nobilitas excipere videatur: nisi fortè aliquis eorum Pythagoricis, Platonicísque opinionibus imbutus, numeris plus ęquo concessisset; sed nil est quòd patres tanta laude numeros quosdam efferentes demiremur, cùm ad illud fuerint iuducti ob materiæ prestantiam, quam se numquam, vt par erat, laudare censuerunt, nisi quicquid poterat congeri, simul afferrent. Adde quòd nunquam illam quæstionem ex professo agitauerint, an quidpiam in se virtutis, & nobilitatis numeri præ se ferrent; atque adeo ne sententiam eorum esse putes, cùm statim quaternarium, mox septenarium efferunt: binarium verò, & quosdam alios numeros deprimunt; nos autem ex professo (si Deus aliquando dederit) preclaram de hac materia quæstionem dabimus. Itaque Venetum si alio modo intelligas, quam ex Platonicorum sententia loquentem, velísque eum ex propria sententia disserere, pro veritate standum, atque contendendum est: nec enim vlla malitia à binario procedit, vt est binarius. Imo si quid numeri perfectionis habeant, ausim asserere binarium vnitate esse præstantiorem, hanc enim, & præterea seipsum continet. Vix autem satis antiquos demirari possum, qui cùm iudicio pollere viderentur, tantùm numeris tribuerint, vt omnia ex ijs composita non solùm elementaria, sed & cœlestia, & animas, beatásque mentes compositas esse, imo & ideas diuinas numeris formalibus constare crederent, nisi fortè aliud in ore, aliud in mente habuerint: nec enim diffiteor viro non tantùm Philosopho licitum esse, vt per numeros suas scientias explicet, ac doceat, verùm etiam viro catholico, vt ea ratione fidei mysteria faciliùs concipiat, vel explicet.

Nullam excellẽtiam maiorẽ esse in ternario, quã in binario.

Numeri nihil rebus tribuunt.

Numeros ex se nullam vim habere.

Qua ratione numeris vti possim'.

Eapropter cùm dualitas sit initium diuisionis, diuersitatis, inæqualitatis, casúsque primus ab vno, rectè congruit distributioni rerum inter se oppositarum, & à Catholicis vsurpatur cùm multis Scripturæ locis, tum Eccle. 33. Contra bonum, malum est, & contra vitam, mors; & in omnibus operibus Altissimi per mirabilem antithesim, duo contra duo, vnum contra vnum, vt ex diuersis operibus, velut ex discrepantibus sonis in vnum confluentibus pulcherrima totius orbis Harmonia proficiscatur. Multa Scripturæ loca per binarium explicata videri possunt apud Bongum, sed quæ nullatenus nos à constituta sententia dimouere debeant; nec enim est vllus numerus, nec ipsa vnitas, cui non possimus mala plurima attribuere per aliquam analogiam.

Eccleiiast. 33.

Quod addit appetitum irascibilem, & concupiscibilem malorum omnium fontes esse, si verum est in hominibus, in quibus residet, nusquam tamen in Angelis, quorum malitia non ab istis, sed à sola peruersa voluntate sumpsit originem: imo tametsi careret homo duobus istis, non ideo tamen ab omni vitio immunis esset, cùm nullius peccati causæ sint illi appetitus nobis, brutísque communes, sed vnica voluntas, dum à ratione, atque lege deflectit.

In problemate 86. idem de numero septenario obseruandum est, à quo non minor, aut maior mũdities, quàm ab alio numero procedit: nec obstat quòd multa mysteria in hoc numero collocata sint, & Spiritussancti dona numero septenario concludantur, & 7. oculis in lapide Zachariæ 3. c. 7. columnis Prouer. 9. lucernis 7. num. 8. multísque alijs in locis, quæ Bongus vsque ad nauseam refert, septenarij laudes celebrari videantur: quippe quæ numeris solummodo pòst, non antè peracta, atque nota mysteria tribuuntur. Ecquid obsecro munda animalia à ternario diuino participant ampliùs, quàm immunda? nisi quòd (vt lapides, & plantæ,) huius sint, non illius speciei, quod omnibus, tam inanimis, quàm viuentibus commune est: Nec ergo peccatorum remissionem vi septenarij, nec alterius numeri, sed sola virtute diuina, cuius operibus hos, aut illos numeros pro diuersis effectibus applicamus, obtineri posse credas.

De septenario.

Pari modo per quadragenarium multa Patres explicant, perque denarium quater repetitum: sed qua ratione denarius noster, siue hominum, siue rerum aliarum denario supramundano correspondeat, nisi quatenus nullæ res, siue denæ, siue binæ, siue quaternæ fuerint, vllatenus effici possunt, nisi Deus mẽte sua res huiuscemodi & quoad substantiam, & quantum ad numerum præconceperit nescio: siquidem penitus nihil esse potest, cui nõ respondeat, ac veluti præsit mentis ęternę idea, quæ perfectissimo modo quęcunque sunt aliquando producenda repræsentet. Pendet verò ex diuino arbitrio, vt ieiunium, vel quidpiam aliud, siue pœna, siue supplicium fuerit, numero quadragenario, vel quouis alio transigatur; nec enim minus est conueniens, aut magis, quòd Deus 40. aut 45. dies, vel etiam 50. 60. 100. aut alium pro libito dierum numerum ieiunarit. Nusquam autem reperio D. Paulum ideo quadragenas quinquies,

De numero quadragenario.

vna minùs accepisse plagas, quòd ciuis Romanus esset; sed quia hæc erat apud Iudæos consuetudo, vt vnam ex plagis à Deo decretis, siue vnum flagellorum ictum demerent, ne fortè gemens sub ictibus frater occumberet, vel ne constitutum numerum transilirent, Deuter. 25. Ecquis autem est in quolibet subiecto particulari denarius, qui tot errores, & culpas producat, si per quaternarium elementorum multiplicetur? numquid figmenta Veneti, & Platonica? Sed ad alia pergamus; sæpius enim huiusmodi recurrent.

PROBLEMA LXXXVIII.

1. QVI sunt fontes abyssi magnæ, de quibus in Genesi fit mentio? Nonne abyssus magna est lacus subterraneus, ex quo solent ebullire balnea aquarum calidarum? Nam per hiatus terræ apertæ scaturierunt aquæ bullientes (vt Zohar perhibet) in punitionem, & consumptionem malorum. In qua punitione non solùm aqua, sed ignis quoque interfuit: sicut & in punitione Gomorræorum. Ab vtroque enim fit punitio, sicut ad ipsam concurrit filius, qui est aqua, & Spiritussanctus igneus. Hinc de punitis extrema sententia scriptum est. Ad nimium calorem transibunt ab aquis niuium.

Gen. 7. — Gen. 19. — Iob. 24.

Versiculi. 11. cap. 7. hisce 2. problem. explicatur.

PROBLEMA LXXXIX.

1. QVÆ cataractæ cœlorum, siue fenestræ apertæ sunt, vt in Genesi dicitur? An sunt nubes, vt aliqui per cœlos aërem intelligentes interpretantur? Vnde secundum eos sensus est, Et nubes aëris apertæ sunt. Sed si probaretur, quòd à nubibus præcipuè procederent pluuiæ, posset aliquatenus eorum opinio fulciri. Verùm cùm videamus nunc nubes attractas, nunc expansas, nunc penitus dissolutas, videntur potiùs huiusmodi nubes esse instrumenta ad demittendam pluuiam, quàm potissima ipsius pluuiæ causa. Igitur aliunde quærenda est pluuiæ causa. An itaque à syderibus deducuntur
2. nubes cum pluuia inde emanante? Et id secundum virtutem intelligentiarum, & virtutes magni nominis syderibus, & signis (vt alibi dictum est) præsidentis. Hinc in Deuter. dicitur: Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cœlum, vt tribuat pluuiam tempore suo. Et iterum. Sit cœlum, quod super te est, æneum, & terra, quam calcas, ferrea. Cùm igitur ex diuinis ærarijs veniant pluuiæ, & venti, ipsorum fenestræ apertæ fuêre ad demittendam pluuiam illam, præter naturæ ordinem. Quæ quidem fenestræ sunt Dei statuta, nunc continentia, nunc demittentia pluuias, & huiusmodi pro rerum exigentia.

Gen. 7. — Deut. 18. — Quę sint cataractæ cœli iuxta Venetum.

PER fontes abyssi vorago illa subterranea intelligitur, quæ est matrix omnium fluminum, & fontium, siue eadem sit cum mari, siue diuersa; adeout omnes scaturigines in aliqua primaria voragine, quasi matrice conuenire videantur, ex qua erumpentes aquæ instar marium terram operuerint, & flumina, ipsáque maria suos omnes limites, & aggeres, quibus antea velut carceribus concludebantur, ruperint, & per latera vndequáque eruperint, vt simul mistis dulcibus & salsis aquis tota tellus obruta inundaretur. De hoc Barathro meminit Plato in Phædone, quod & Poëtæ Tartarum vocant, inquit Valesius c. 63. sacræ Philosophiæ. Illud autem ad miraculum accedit, vnica communi matrice suppositа, quomodo in vno loco aquæ calidæ, & bullientes, in alio etiam propinquo frigidæ scaturiant.

Barathrum Poëtarum.

Zohar autem cuius toties Georgius mentionem facit, est liber splendoris mysticè legem, Pentateuchum explicans, cuius author est R. Simeon Ben Iochai, vt post Genebrar. 2. l. chronol. refert Duretus pag. 54. historiæ linguarum; quem ait in componendo prædicto libro 24. annos in vasta, & obscura cauerna remansisse, cui & librum Habair, candoris, seu elucidarium tribuunt. Vbi etiam obseruat R. Rambam, & R. Ramban per, n, in fine differre in hoc, quod primus sit R. Moses Ben Nehemani, qui de secretis legis scripsit, dicitúrque Gerundensis; secundus verò sit R. Moses Ben Maimon, seu Moses Ægyptius; librum autem sub Razielis nomine circumlatum rectè Salomonis esse negat, cum magicus totus esse videatur; & postquam multorum Rabbinorum excellentium tractatus retulit, cæteros inter R. Iosephum Ben Abraham Cicatilia effert, qui libros Ghinat Egos, nucis hortum dictos scripsit in Cabbala, inquit, cæteris præstantiores.

Quis sit Zohar, & quid scripserit; hunc in nostra bibliotheca Parisiensi bis habemus.

Quomodo differant Rambam, & Ramban

Non solùm autem Filius, & Spiritussanctus ad impiorum concurrunt punitionem, sed etiam pater, cùm sit opus ad extra; rectè verò Filius aquæ comparatur, qui suo sanguine nos ab omnibus peccatis abluit, estque fons aquæ salutaris, ac puteus aquarum viuentium, ad quas Samaritanam prouocabat; sicut Spiritussanctus, cui tribuitur amor igneus, ignis dicitur, de quo Christus: ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? quo faxit Deus, vt nostræ voluntates ardeant, & consumantur.

In 89. problemate perperam negat Georgius pluuiam à nubibus descendere: siquidem omnes Philosophi post Aristotelem in meteoris ea ratione pluuiam generari concedunt, vt prius aliqui de terra vapores in sublime radiorum solarium beneficio tollantur, qui dũ frigidiorem aëris partem obuiam

obuiam habent in vnum coguntur, ac pro varia densitate, leuitate & dispositione nubes diuersas, & alia meteora generant, adeout nubes guttatim stillantes illud terræ restituant, quod ab ea veluti precariò desumpserant, quod pluuiam appellamus; nec refert si non semper in pluuiam quaslibet nubes dissolui percipiamus, cùm huc illuc discurrant, nec semper in ijs locis versemur, in quibus pluit: adde quòd fortè dum raræ admodum fuerint, in ventos, & aliquid vaporibus simile dissipari possint. Cataractæ verò dicuntur à καταρήγνυμι, dirumpo, ac deorsum ruo; sic enim Nili descensus ad locum, qui Caradupe dicitur, ob ingentem aquæ fragorem, quo incolæ, teste Heliodoro, solent obsurdescere, cataractarum nomen habet, quarum etiam Strabo l. 16. meminit, vt Steuchus annotat, qui existimat diluuij tempore supercœlestes aquas supra firmamentum positas per quædam cœli foramina maximo impetu, atque fragore delapsas esse, ac proinde cœlum chrystallinum horribiliter erumpens, & in imbres conuersum breui totum orbem inundasse; quod dixit, ac si non tantùm 40. dierum, sed nequidem annorum 40. spatio solis imbribus diluuium effici potuisset.

Quid sint cataractæ cœli.

καταρήγνυμι.

Errant autem quicúnque dixerint cum Alliaco quæst. in Genesim, lib. de sectis, & legibus, & lib. de Astronomiæ, & Theologiæ concordia, & alijs, Noë diluuium futurum per quasdam cœlestes constellationes præuidisse, quas cœli cataractas esse asseruit; quas Guilel. Parisien. prima parte operis sui de vniuerso pro cataractis partes cœli inundationum generatiuas astruit, qualia sunt signa aquatica, Cancer, Pisces, Pleiades, Hyades, Orion, Mars, Venus, & Luna; quæ omnia nutu suo Creator diluuij tempore laxauerit. Guilielmo Henricus Meclinius Alberti magni discipulus cõsentit commentarijs in Albumasaris coniunctiones, vbi ait ante diluuium ♃, & ♄, in fine Cancri è regione Argolicæ nauis coniunctos fuisse, quibus arca Noë significaretur, & aquarum inundatio; quod publicis thesibus defendit Tiberius Calaber, vt Senensis affirmat l. 5. annot. 81. Sed eius sententiam Hieronymus Armellinus Dominicanus confutauit, ac tanquam hæreticam damnauit. De his fabellis paulò plura cum Picò lib. 5. aduers. Astrol. in nostris quæstionibus dici poterunt. Nihil ergo aliud per cœli cataractas intelligi debet præter ingentem pluuiam, quæ tanto defluereт impetu, vt præter pluuiam nihil videretur, donec ex aquis vndequáque scaturientibus ex abysso, seu terræ sinu, & ex imbribus assiduis ab aqua 15. cubitos montes superarentur: quæ omnia non impediunt, quominus præcipua diluuij causa diuinæ voluntatis decretum statui debeat, cuius omnes creaturæ sunt velut instrumenta.

Equidem videre mihi videor in horrendo tantæ eluuionis spectaculo viuam futuri per ignem iudicij imaginem. Nam Math. 24. sicut in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Quis Deus bone sensim crescentes aquas, circuncursantes per domos tremulas matres cum paruulis, nescientes quò pergerent siccis oculis aspicere potuisset; è cubili sponsum, & sponsam surgentes huc illuc fugere, vt salientem euaderent vndam, vidisses; alios verò summa tecti culmina, excelsarúmque arborum ramos conscendere, ad montium iuga conuolare; sed frustrà, cùm nemo euadere posset. Quot gemitus, quot eiulatus! noluerant Noëmo credere, sed quàm vellent nunc arcam ingredilat serò sapiunt Phryges; nos insensati, & dementes, quid nobis tot vitæ transactæ lenocinia proficiunt? vtinam illorum exemplo sapiamus, & ad extremi iudicij cogitationem omnia peccata fugiamus.

De cõparatione diluuij & iudicij extremi.

PROBLEMA XC.

1. QVR Noeh dicitur ingressus arcam à facie diluuij? An vt supernataret aquis diluuij? An vt fugeret à facie Angeli percutientis? Ipse enim (vt
2. Zoar perhibet) habita puniendi malos, licentia quoscúnque reperit, siue bonos, siue malos percutit; ideo nil melius ipsa fuga. Hinc iussit Deus Noeh, vt intraret in arcam, & ipse clausit, & muniuit fenestram, vt nuper dictum est. Pari modo volens Sodomæos punire, iussit vt Lot, quem seruare decreuerat aufugeret. Similiter cùm primogenita Ægyptiorum percutere decreuisset, iussit Hebræos abscondi in domibus, munitis postibus sanguine sacramentalis agni. Quo sensu (teste Zoar) in quit sapiens: Astutus, vel prudens, videns malum abscondit se, simplices autem, & fatui siue paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia.

Versiculus 7. & 33.

Gen. 7. — Gen. 2. — Exod. 12. — Prouer. 27.

HANC versionem ex Hebræo traxit de verbo adverbum, nam vbi versiculo 7. c. 7. Genesis habemus propter aquas diluuij, textus Hebraicus est, מִפְּנֵי מֵי הַמַּבּוּל. Quòd autem asserit de Angelo, quem Deus mittere potuit, vt omnes occideret, vt illud Deo possibile fuit, ita non est, quod factum fuisse credamus, cùm ad hoc asserendum nullo valido fundamento innitamur; textus autem clarus est, dum exprimit modum, quo Noë cum filijs arcam ingressus est, adeout octo duntaxat animæ saluæ factæ sint, vt pote Noë cum vxore, quam Berosus Annij Tyræam, Gnostici apud Epiphan. Hær. 26. Noriam; Epiphanius ipse Barthenon; primus Sibyllarum liber Sibyllam Babyloniam vocauerunt; deinde tres filij Noë, & vxores, quas Berosus Pandoram, Noëllam, & Noëglam appellat.

Miphne hammaboul.

Varia nomina vxoris Noë, & nomina filiarum eius.

PROBLEMA XCI.

I. CAPVT VIII. *Verſiculus 7. hiſce duobus problematibus diſcutitur.*

QVR Noë emiſit primò coruum? Nonne (quia cognouerat tribunal iuſtitiæ diuinæ efferbuiſſe in ſceleſtos illos, qui in nocte peccatorum erant immerſi) voluit emittere coruum, auem quippe rapacem, ac furem, inde prouenientem, vnde & diuina iuſtitia, & cùm ipſa ſymbolum habentem? Hinc ſcriptum eſt, quòd ipſe coruus egrediebatur, & reuertebatur (vt habet veritas Hebraica) exultans in eo feruore iuſtitiæ, cum qua habebat ſymbolum, & gaudens illo veſpere ſeueritatis, vt & nomen vtriuſque conueniens indicat. Iiſdem enim literis apud Hebræos ſcribitur coruus, quibus veſper. Nam coruus ערב horeb dicitur: veſper autem ערב hereb, mutatis tantummodo punctaturis. Vnde cùm adhuc Noë videret iuſtitiam Dei ſæuientem ſuper terram, exire nequaquam voluit. Gen. 8. Ibid. ערב

PROBLEMA XCII.

I.

QVR coruus ibat & reuertebatur, quouſque exſiccarentur aquæ? Nonne (præter ea quæ nuper dicta ſunt) quia etſi ex latere ſiniſtro, & diuinæ iuſtitiæ erat, fidus tamen miniſter mittenti eſſe voluit, & non infidus, vt iret, & non reuerteretur (vt habet *mendoſa* editio) quærens cibum à cadaueribus animantium, ſicuti vulgares dicunt? Reuertebatur autem, quaſi referens rerum ſucceſſum. Vnde minimè ſpernendus eſt coruus, de quo ſcriptum eſt: Qui præparat coruo eſcam. Et alibi; Qui dat eſcam pullis coruorum inuocantibus eum. Qui & (iubente Deo) Eliam pauit. Cui etiam in canticis aſſimilantur comę dilecti; dum dicitur: Comę eius ſicut elatę palmarum, nigrę quaſi coruus. Iob.38. Pſal.146. 3 Reg.17 Cantic.5

NON mihi bene ſapit, quod eandem diuinæ iuſtitiæ, ac corui faciat originem; aliud enim eſt eſſe crudelem, aliud iuſtum, ac proinde licet iuſtitiæ Dei immenſitatem conſiderare nolimus, nullam adhuc analogiam percipio coruum inter, & diuinam iuſtitiam. Pierius quidem in fine l. 25. hieroglyph. coruum ait eſſe hieroglyphicum eius, qui filios exhæredat, pluuias portendere, diſcordiam militarem ſignificare, & alia quædam, ſed non iuſtitiam diuinam; in qua non potuit exultare, cùm omnis iuſtitiæ ſit incapax; tantùm verò abeſſe videtur, vt in illo veſpere ſeueritatis, ſeu actu iuſtitiæ vindicatiuæ Dei gauderet, quin potiùs magnopere (ſi poſſet fieri) contriſtaretur. Pari modo diſplicet quod ex latere ſiniſtro, & iuſtitiæ diuinæ coruum ponat; ſi quod enim inter coruum, iuſtitiam diuinam, ſiniſtrúmque latus myſterium agnouiſſet, aut aliquam analogiam probabilem, clariùs explicare debuit. De editione mendoſa, cuius meminit, accipe quæ ſequuntur: à noſtris codicibus ſubſtrahendam eſſe negationem, ſicut & à Græcis aſſerit Senenſis, vel potiùs Auguſtinus Chiſamenſis ab eo citatus lib. 5. Bibliothecæ ſanctæ annot. 83. vel id eſſe intelligendum de vltimo corui exitu, adeout cùm ſæpiùs exijſſet, ſemper redierit, donec terræ ſuperficiem exſiccatam conſpexiſſet, vt Aloyſius Veronenſis Epiſcopus in catena notat, cui fauet Hebræus textus יצוא ושוב Iatſo, Vaſſob, egrediendo, & redeundo: alij dicunt tantùm ad culmen arcæ redijſſe, vt ibi quieſceret, nam clauſuræ in arca pertæſus, auidúſque libertatis, in arcam regredi noluit, quem proinde cùm non ampliùs videret Noë, poſtea columbam emiſit, vt apud Cornelium Lucas annot. 3. in Geneſim aduertit. Cornelius verò vult שוב ſignificare reditum non ad arcam, ſed ad priſtinam libertatem, & conſuetudinem, itaut recedere, & redire hîc pro eodem ſumantur, & Hieronym. tradit. Hebr. in Geneſ. ait eſſe in Hebræo, Egreſſus eſt exiens, & non reuertens, quia ad ſuam libertatem reuertebatur, & proinde ad arcam non reuertebatur. Vnde iam in Prouerbium abijt, coruus nuntius, dum aliquem ſignificamus, qui miſſus eſt, nec tamen redit. Pierius. Coruus eſt hieroglyphicum. Latus dextrũ, & ſiniſtrũ Veneti reprehenditur. Chiſamenſis. De egreſſu corui & reditu ad arcã. Lipomanus. שוב Hieron. Prouerbium corui.

Porro Canus cum alijs vult textum Hebraicum eſſe mendoſum, & ex noſtra editione corrigendum, addita negatione; cui Delrio non aſſentitur, cùm nec Chaldæus paraphraſtes, nec Ioſephus 1. antiq. c. 4. habeat negationem, qui 70. ſequitur. Quod autem D. Hieronym. negationem retinuerit, exiſtimat ad ſenſum reſpexiſſe, non ad apices literarum. Alij verò, vt Ælius Nebriſſen. & Antòn. Honcala volunt Græca, & Latina exemplaria corrigi: Sed potiùs in ea ſententia ſtandum eſſe videtur, vt in eundem ſenſum lectiones Hebraicam, Græcam, Latinámque componamus, eo quo ſupra diximus modo. Aduertas autem velim noſtram editionem nõ eſſe ſemper textui Hebraico, qui nunc circunfertur conformandam, cùm multis in locis textus ille corruptus fuerit, vt alibi dicemus. Ergo non eſt mendoſa noſtra verſio, vt Venetus minus cautè loquitur, ſed non ita diligenter locum hunc diſcuſſerat, non ergo reuertebatur coruus ad Noë. Impius Caluinus hîc perperam D. Auguſt. & Chryſoſt. irridet, quòd exiſtiment coruum in depaſcendis cadaueribus immoratum fuiſſe, quod tamen admodum probabile eſt. Cum in 92. dicitur (*vt habet mendoſa editio*, delendum eſt, *mendoſa*, ſcribendum verò, *vulgata*. Canus. Ioſephus. Nebriſſenſis. Honcala. Arguitur Caluinus.

PROBLEMA

PROBLEMA XCIII.

I.

QVR emiſſa ſecundò columba reuerſa eſt cum ramo oliuæ? Nonne cognoſcens pater ille ſapientiſſimus ſæuientem adhuc iuſtitiæ diuinæ ſeueritatem per reuerſionem corui, emiſit columbam pacis, & clementiæ nuntiam, vt exploraret, an eſſet adhuc terris reſtituta pax? Sed quia pax nondum erat reddita, ſed currebat tempus medium inter bellum, & pacem, hinc dicitur quòd non inueniebat locum, vbi requieſceret planta pedis eius, & ideo reuerſa eſt in arcam. Propterea Noch arcanorum peritiſſimus expectatis adhuc 7. diebus, numero quidem remiſſionis, & placationis, iterum emiſit ipſam columbam. Quæ cognoſcens remiſſum, & placatum eſſe furorem diuinum, in ignum redditæ pacis tulit ramum oliuæ virentibus foliis. Quo facto, expectauit nihilominus Pater ille prudentiſſimus adhuc 7. alios dies, vt alio ſubſequente ſeptenarij curriculo pleniùs ſubſequeretur, & firmaretur pax. *Verſiculus 8.* De columbæ emiſſione.

PROBLEMA XCIV.

I. 2. 3. 4.

QVR columba tanti habita eſt, vt aliquando Spiritum Sanctum deſignauerit? An quia pacem & remiſſionem, effectum quippe Spirituſſancti, nuntiauit? An quia eſt animal ſimpliciſſimum, carens omni fraude & dolo? iuxta illud Saluatoris. Eſtote ſimplices ſicut columbæ. Hinc & in Canticis dicitur. Oculi tui columbarum. An quia rectè volat ſicut Spirituſſanctus, qui ad nos demiſſus præbet, vt eodem tramite conuolemus ad ſuperos? Hinc Propheta canit. Quis mihi dabit pennas vt columbæ, & volabo? An quia hæc ſola inter aues habet pennatos pedes, in hoc ſignificans Spiritum ſanctum, qui tanquam interpres Patris, & Filij, volat ad nos affectu, & amore per pedes denotato? Sicut de Mercurio dicitur, quem interpretem dicunt eſſe Deorum. Eſt enim Spirituſſanctus, veluti interpres, docens & illuminans, & Prophetas, & amicos Dei conſtituens, vt Sapiens ait. Math.10 Canti. 1. Pſal.54. Sap.7.

IAM ſuprà refutatum eſt, quod ait coruum ad Noë redijſſe. Vocat autem bellum iram Dei ſæuientem per diluuium in genus humanum, & pacem eiuſdem cum homine reconciliationem. Quæ verò myſteria ſeptenario numero comprehendantur, & an numeri vim aliquam habeant, alibi fusè dicemus. Attamen non exiſtimo Noë vllum myſterium in hac poſt 7. dies emiſſione intelligere voluiſſe, ſed tantùm, quòd dierum 7. ſpatio remitti potuiſſent aquæ, ſeu minui, adeout terra videri poſſet: vt autem certum eſt multorum Dei arcanorum Noë fuiſſe conſcium, ita & aſſerendum eſt nullam in numeris virtutem poſuiſſe, cùm nullam prorſus habeant, ſed tantummodo res numeratæ. Impropriè verò dicitur columba furorem Dei placatum intellexiſſe, quæ huiuſce cognitionis non eſt capax, ſed potiùs hanc Noëmo cognitionem deferendo ramum attulit. Decolumba.

Quilibet columbæ proprietates videre poteſt apud Geſnerum, Aldrouandum, & alios, eáſque applicare Spiritui ſancto; non ita tamen rectè volare, & pennatos habere pedes cenſeo, ſeu potius crura pennis inuoluta, quin aliæ ſint aues, quibus id conueniat, ſimiles enim gallinas, & alias aues ſæpè ſatis, ni fallor, aſpexi.

PROBLEMA XCV.

I. CAPVT IX. *Verſiculus 13. capitis 9.*

QVR datum fuit ſignum fœderis Noeh in arca cœleſti? Nonne quia ſicuti poſt diluuium data fuere noua præcepta, ſeptem videlicet, ita dari oportuit nouum fœdus, aut renouari antiquum, ſicut renouatum fuerat genus humanum? Vnde fœdus datum Adæ in arbore, in medio paradiſi exiſtente, datum fuit in Noeh in medio nubium, Abrahæ in medio crurium, Moſi in medio caſtrorum, nouiſſimè verò nobis à Chriſto mediatore in medio mundi: nam vnum, & idem fuit pactum, ſub quinquplici tamen forma. Pactum enim hoc valde ſacramentale eſt, indicans ſub diuerſis formis Chriſtum à mortalibus omnibus fore adorandum. Sicut & Angelis mandatum fuerat, vt Paulus meminit dicens: Et cum introduceret primogenitum in orbem terræ, dixit. Et adorent eũ omnes Angeli Dei. Nam Adæ iuſſum fuit, ne deuoraret, neque offenderet arborem ſcientiæ boni, & mali, de qua ſupra ſatis diximus. Noeh verò præceptum fuit, vt con- Gen. 9. Que fœdera in medio data. Sub omnibus antiquis fœderibus an Chriſtus adorandus proponatur.

fideret in arcu composito ex colore subroceo (qui partem dextram, & pietatem significat) & colore sanguineo, partem sinistram & seueram iustitiam denotante, & medio viridi, inde Christum significante, qui venit non solùm in aqua cærulea, sed etiam in sanguine, vt Ioannes ait. Abrahæ autem nouo homini indictum est, vt præcideret ex membro genitali carnem, & sanguinem homini cœlesti Christo penitus contrarium. Mosi quoque data fuit lex in fœdus. Quæ quidem lex, vt alibi diximus, in verbo humanando sculpta erat, nouissimè Christus præcepit nobis, vt lauaremur aqua, illa videlicet, quæ Dei verbum, & sapientia est. Ad Heb. 1. 1. Ioh. 5. Gen. 17.

PROBLEMA XCVI.

1. Versiculus 13. capitis 7. 2.

QVÆ fuit familia Noch ingressa, & egressa arcam? Nonne fuit ipse cum tribus filijs suis Sem, Cham & Iaphet, cum vxore sua Tethy magna, & nuribus suis, Noëla, Noëgla, atque Pandora, vt Berosus ait? Sed quinam fuerunt Sem, Cham & Iaphet? nonne (si altiùs speculari voluerimus) isti tres filij fuerunt progenitores renouatæ familiæ, mundanæ, & diuinæ? Sicut tres filij Adæ fuerunt primi patres ipsius bifariæ familiæ à principio institutæ. Et sicut Set cum Abel vnum censetur (nam pro eo positus fuit.) Ita Sem, & Iaphet eiusdem familiæ patres fuerunt. Hinc non ab re dixit Noeh. Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem. Berosus in depl. Chal. & Scy. Gen. 9.

IN problemate 95. præclarè omnia, si tantùm aduertamus Adæ non fuisse prohibitum occursum arboris; id saltem non exprimit textus noster. Superiùs verò tetigi ea, quæ ad illam arborem attinent, sed hîc aduertendum est hæc Venetina inuenta partim allegorico sensu constare, partim etiam tropologico, secũdum quem lauatur animus noster aqua sapientiæ salutaris, quę torrente voluptatis potabit nos in patria, si de torrente passionis in via biberimus. Sumit autem sanguinem pro hominibus peccato deditis, prout Ioh. c. 1. dicitur; qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. In probl. 96. per familiam diuinam intelligit (puto) iustorum, ac virtute præditorum hominum societatem, qui ciuitatem Dei construunt, sicut per mundanam impiorum consortium, qui ciuitati cacodæmonum destinantur. Ioh. 1. De problem. 96.

PROBLEMA XCVII.

1. 2.

QVR in Noeh octo animæ tantummodò, in Christo verò innumeræ saluantur? An quia figura semper valde differt à figurato: sicut pictura hominis ab homine vero? An id cum mysterio factum est, vt videlicet saluati per Noeh concluderentur octonario numero, qui iustitiæ numerus censetur, eò quòd semper æqualiter diuidatur vsque ad vnitatem, vt innuatur, quòd soli iusti saluantur? Hinc non sine mysterio scriptum est, quod Noeh fuit vir iustus in generationibus suis. De numero octonario.

PROBLEMA XCVIII.

1. 2. 3. Versiculus 20. capitis 9.

QVOD sacrificium obtulit Noeh egrediens ex arca, & cur? An vt gratias ageret Deo pro se, & pro omnibus animantibus saluatis? An propter victoriam Dei fauore contra hostem humani generis habitam Noeh obtulit hostiam, quæ est propriè sacrificium contra hostem oblatum? An obtulit holocaustum, quod Hebræi עלה holah vel עלת vocant? Quod propriè ascendens dicere possumus; & quia ascendit, hinc dictum est. Odoratus est Dominus odorem suauitatis. Ascendebat autem ignitum cœlesti igne coram Deo, vt non tantùm odoraretur sacrificium, sed in signum pacis oscularetur offerentem, sicut longo, & mysterioso sermone Zohar disserit. Gen. 8. עלה Ibid.

PROBLEMA XCIX.

1. Versiculus 2.

QVOMODO aues, & feræ in ingressu, mora, & exitu ab arca stabant quietæ sub imperio Noeh? Nonne, ordine quodam naturæ à Deo indito? Sicut scriptum est: Dominamini piscibus maris, volucribus cœli, & bestijs terræ. Et hoc propter Pachad, vel terrorem à Deo in hominibus positũ, quem bestię summopere verentur, ac timent, vt perhibuit, Gen. 1.

vt perhibuit etiam Apollonius, dum cum Damo socio eius indiuiduo transiret Caucasum montem super Elephante à Pharaote Bactrianorum Rege concesso, sicut Philostratus refert, quod in textu innuitur, dum dicitur, Terror, ac tremor vester sit super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis quæ mouentur in terra. Tantò magis autem quiescebant sub imperio ipsius Noeh, quantò ipse iustior erat, & pulchriorem Dei ferebat imaginem. Hinc (vt vlterius progrediamur) denotatur, quemadmodum omnes passiones animales stant sub imperio iusti ab agitatione vitiorum vacantis, sicut nomen ipsius Noeh indicat, vnde Poëta descripsit, quòd omnes vires ventorum, idest passiones animales stabant sub imperio Æoli. Gen. 9. 2.

PROBLEMA C.

1. 2. Versiculus 11.

QVAM vineam plantauit Noeh? An de communi vinea est sermo, sicut videtur innuere litera? An de vinea intelligitur, quæ producit vinum, idest sapientiam rerum inferiorum? vt R. Simehon in Zohar innuit: hac enim intendebat stabilire semen suum, & filios. Hinc (quia humanitùs procurabat, quod diuinitùs quærere debebat) tanquam præuaricator perpessus est ignominiam, & illusionem à filio suo Cham. Vnde per Isaiam inquit Dominus: Væ filij desertores, qui facitis consilium, & non ex me, & ordimini telam, & non per Spiritum meum. Gen. 9. Zohar. Isa. 30.

Quædam in Veneti dicta adducuntur.

DE numero octonario apud citatum Bongum habes, cuius par est ratio ac de prædictis numeris, in quibus non est aliud mysterium, præter illud, quod ex rebus ad numeros transferimus; nec ita bene dixit animas in Noeh, quàm si dixisset cum Noeh saluari. An verò eius holocaustum, quod ex septimo quoque animali impari antea reseruato fiebat, igne cœlesti, vel naturali, communique via inflammatum fuerit incerti sumus, nec vllum est in alterutro absurdum; sed frustrà, gratisque Venetus cum R. Simeone asserit Deum non tantùm holocausta Noë odoratum, sed etiam osculatum fuisse; quod verò de odoratu, dicitur antropopathῶς de Dei acceptatione dicitur, qui etiam dum nobis veniam peccatorum impertit, nos osculatur, & veluti amplectitur.

De holocaustis. ὅλον καυστὸν.

Holocaustum verò non tantùm Hebræis hola, sed & כליל Calil dicitur; ὅλον καυστὸν totum combustum, nam Calil significat totum, vel consummatum; dicitur & ὁλοκάρπωμα, quòd totum in Dei fructum, seu gloriam cedat, cùm Deo offeratur purè in honorem supremæ maiestatis, & amorem summæ bonitatis eiusdem, licet ab ea gratiæ nihil expectaremus. At hoc 98. problem. non ita probo, quod in prima ratione habetur, nempe Noëmum holocausta ob victoriam ab hoste humani generis reportatam obtulisse; quæ enim est illa victoria? Nisi fortè putemus dæmonem, quà potuit insidiatum fuisse, vt arcam submergeret, & omnes homines perirent, & Messias ad destruendam eius tyrannidem non veniret.

De subiectione animaliũ post Noëmum.

An verò bestiæ Noëmo, eiúsque posteris, vt Adamo subditæ fuerint ante quàm à iustitia originali decideret, vt innuit Venetus proble. 99. aliquis dubitare posset, cùm terrorem, & timorem Deut. c. 9. ver. 2. incutere videatur omnibus animantibus, vt homines timeant; & quidem de Noëmo cùm iustus esset, maior est dubitãdi ratio; siquidem eximijs quibusdam anachoretis, alijsque Sanctis, tam in vitis Patrum, quàm Sanctorum belluas quasdam morem gessisse legimus.

Verumtamen sicut id sua liberalitate Deus Noëmo conferre potuit, ita non est quòd nos ad illud asserendum cogat; cùm ad Scripturam intelligendam dominium aliquod, non ampliùs perfectum, sed aliquale veluti semiplenum sufficiat; quod hîc Deus confirmare videtur; hinc enim videmus adhuc feras hominum conspectũ fugere, non in eum sæuire, nisi fame vrgeantur, aut prouocentur, aut rabie corripiantur; & quod mirum est, omniũ maximæ belluæ elephanti teste Plinio l. 8. c. 4. hominum vestigia reformidant; sed numquid stupore dignũ, quod infantuli tot boum greges, tot equos, oues, &c. bacillo, imo & sola voce regere possint; nec vlla sunt animalia, quæ non edomare possit homo. An verò quispiam de nouo creatus in originali iustitia dominium penitus simile habiturum esset, quod Adamus, non est mihi dubium, adeoût nec examine illud indigere censeam, si & gratiam, & diuinam protectionem instar Adami habeat. Aduerte autem hîc non fuisse datum hominibus dominium in belluas, vt priùs Gen. c. 1. cùm dictum est *Dominamini*; iam enim excusserunt iugum hominis, vt ipse Dei; nec iam, nisi inuitæ seruiunt iuxta id, *Terror vester, ac tremor*. Scio quidem homini subdita esse animalia, id enim naturale est, vt aduertit D. Tho. 1. Par. q. 96. a. 1. at quòd ei obediant, supernaturale est, ac proinde nõ est mirum, quòd iam minimè nobis obediant, cùm gratia non reddat obedientes, quod natura subijcit, vt antea: paucis licet id Deus concesserit, vt Dauidi, qui cum leonibus, & vrsis, ac cum agnis ludebat Eccl. 47. quod etiam Danieli, & Elisæo tributum est. De eleophante. Plinius. Quale fuerit in belluas hominis dominium.

Quod 100. problemate ait de vinea producẽte sapientiam rerum inferiorum, vt non est ad literam, ita neq; mihi sensus allegoricus, aut tropologicus, arridet, qui nisi bene, & clarè applicentur, non sunt vsurpandi, vt potè ridiculi; sed non est mirum, cum R. Simeonem in eo sensu sequatur. De 100. problemate.

Retinendus est ergo verus, & germanus literæ sensus de vera vite, quam plantauit, & in vineta distribuere cœpit, cùm ante diluuium non ita fuisset exculta, tunc enim eos solis agrestibus vuis vsos esse probabile est.

In problema 101. Sixtus Senensis l. 5. annot. 86. aduertit Venetum destruere sensum literalem, quod potest quiliber iudicare ex ipsis Georgij verbis, quæ iuxta problematum ordinem sequuntur: Probl. 101.

PROBLEMA CI.

1. 2. 3. *Versiculus 21.*

QVOMODO Noeh inebriatus est? An ex vino vitis, quam plantauerat, vt textus indicare videtur? *Sed quomodo ex pura ebrietate vini tot mala secuta sunt?* An *igitur* ebrius fuit nimia suorum affectione? An ex sapientia terrenarum rerum, plerisque in locis per vinum designata? Hanc enim prosequentes, adeò abeunt à Deo, vt diuina illis multoties in scandalum cedant. Sicuti contigit Bilahan, Achitopheli, Salomoni, Ægyptiis, & Pharahoni. Hinc Isaias ait: Stulti principes Thaneos, sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens. Et iterum: Sulti facti sunt principes Thaneos, emarcuerunt principes Mampheos, deceperunt Ægyptum. Et de omnibus eiusmodi sapientibus alibi dicit: Conuertit Dominus sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam facit. Cui adstipulatur Apostolus, dicens: Nonne stultam fecit Dominus sapientiam huius mundi? Vnde ad Ierusalem hæc prosequentem inquit idem Isaias, Audi paupercula, & ebria, non à vino.

Gen. 9. Isai. 19. Ibid. 44. 1. Cor. 1. Isai. 51.

PROBLEMA CII.

1. 2. *Versiculus 22.*

VA irrisione Noeh fuit irrisus à filio suo Cham? An fuit solummodo risus, & cachinnus? An (vt Berosus asserit) ipse Cham ligauit patrem arte magica, ne posset amplius generare? Magus enim erat, & discipulus Aglaës in magia peritissimæ. Vnde nonnulli dicunt ipsum fuisse Zoroastrem, non illũ Oromasi filium Bactrianorum regem, sed inuentorem artis magicæ. Et hoc fecit (vt Zohar innuit) vt præferret filium suum Chanahan. Hinc eius peculiaris pater dictus est, quamuis tres alios filios haberet.

Gen. 9. & 10.

PROBLEMA CIII.

1. *Versiculus 25.*

VR Noeh cognoscens se irrisum fuisse à Cham, maledixit Chanahan & non Cham? Nonne (vt nuper dictum est) quia non tantùm hoc veneficio, quo patrem ligauit, sed & alijs facinoribus contra duos fratres intendebat præferre ipsum Chanahan omnibus? Hinc pater Noeh maledixit Chanahan, cuius gratia Cham id fecerat, & constituit ipsum, seruum fratrum suorum: quem ipse Cham illis indebitè præferre voluerat.

Ibid.

PROBLEMA CIIII.

1. 2. *In omnibus versiculis capit. 10.*

VR non obstante ebrietate Noeh, tam diligenter eius progenies recensetur? An quia (vt Isaias ait) Deus est facilis, & multus ad ignoscendum errorem? Hinc de seipso perhibet Apostolus: Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. An quia pater fuit vtriúsque familiæ, mundanæ videlicet & diuinæ, vt supradictum est? Qua ratione describitur quoque genealogia Adæ, qui in maiorem culpam ceciderat, quàm Noeh.

Gen. 10. Isai. 55. 1. ad Tim. 1. Gen. 5.

Noë factus est ebrius an sine peccato.

CIRCA 101. problema est aduertendum Noë verè fuisse inebriatum, idque vitis liquore priùs epoto; vt enim hîc ait D. Thomas, ignorabat vini fortitudinem, respectu cuius caput debile ei aderat, vinum enim faciliùs nocet homini insueto & inexperto; quibus docemur sanctis viris plerúmque humana, & infirma contingere; adde quòd talia contingere possint absque peccato, tanquam non subiecta prouidentiæ nostræ, & potiùs acta in nobis, quàm facta à nobis. Quam ebrietatem, Christi nimia suæ vineæ, seu Ecclesiæ charitate inebriati figuram esse ait idem S. Doctor.

Ex hoc problemate non tantùm Senensis suprà, verùm etiam Index librorum prohibitorum, vult auferri, (*igitur*) & deleri, quod habetur à (*videtur*,) vsque ad (*An igitur.*) Verumtamen si deleatur illud, non video cur cætera retineri debeant, cùm sit ad interrogationem responsio, ac sensum literalem destruere videatur; at retento vero sensu, licet iudicare mala, quæ ex nimia in creaturas propensione, & affectu nascuntur; quem affectum aliquo modo ebrietatẽ dicere licet, cùm affectus ille, nimiúsque rerum terrenarũ amor bono rationis vsu spoliet, adeout equorũ fiamus instar, quibus nõ est intellectus; qualis enim est insania tã facilè gratiam Dei per peccata à nobis amouere? quæ dementia, gloriam æternã contemnere? quis furor, à Deo sese auertere? quæ cæcitas, præ luce tenebras eligere? Sed hæc aliàs. Rectè quidẽ terrena sapiẽtia ebrij dicuntur Philosophi, qui dũ sese sapientes existimarent, vt & Rabbini, cæterique fidei hostes, stulti facti sunt. Imo quosdam videas, qui cùm se omnia scire

Affectus peccandi est quędam ebrietas atque demẽtia.

Peccatoris dementia.

scire existiment, adeout etiam Dei mysteria, eiúsque potentiam, atque maiestatem suo ingenio comprehendere velint, ebrij facti in atheismum deueniant. Perperam verò rationem hanc Venetus Noë accommodat, quem scimus non fuisse suorum amore nimio ebrium, cùm esset vir iustus, ac propter eum 8. animæ saluæ fuisse videantur, ideóque non tantùm, quod Index Hispanus aduertit, sed totum problema à 2. ratione vsque ad finem delendum esset.

Causa Atheismi.

De 102. problemate.

In 102. problemate non alia ratione Noëmum irrisum fuisse à Cham existimo, quàm ea, qua nunc videmus quosdam ridere, dum alicuius nuditatem intuentur, quod sicut à viris sapientibus nusquam efficitur, qui suos oculos ab omni vanitate, ac turpitudine auertunt, ita sæpè nimis in viris effœminatis ratione minus bene vtentibus contingit, quos etiam ætatis tempore ad flumina pergere videas, vt visis corporibus sese lauantium nudis fœda voluptate oblectentur. Fuit ergo irrisus Noë à Cham filio suo, vel vt alij volunt à Chanaan nepote, Chami filio, qui nuditatem visam patri Cham, & cæteris ad irrisionem retulit, his aut similibus verbis; venite quæso, vt lætum spectaculum cernere possitis. O progeniem improbam! Aduertit autem hîc Tostatus esse fabulosum, quòd aliqui vineã, statim atque plantata fuit à Noë, vuas produxisse aiunt; licet enim quædam herbæ paruo tempore nasci possint, vbi semen iactum est, vt ipse de Petroselino post seminis emissionem inter duarum horarum spatium exorto narrat, id tamen de vinea dici nequit, ac proinde longo post diluuium tempore id contigisse certum est. Narrat insuper cum Lyrano nos ex hac historia colligere nondum Noëmi tempore femoralia inuenta esse, alioquin sublata licet Noëmi veste, inguen patris Cham percipere non potuisset; additque Lyra primùm à Semiramide inuenta; sed ea est leuis admodum coniectura, fieri enim potuit, vt dum in tabernaculis suis, tanquam in ædibus priuatis, & domesticis antiqui versarentur, veste sola contenti femoralibus non vterentur, vt etiamnum à quibusdam fieri solet, qui non vtuntur, nisi cum foras pergunt, aut eis labor aliquis paulò difficilior subeundus est, ne quid incommodi his in partibus accipiant. Liberum tamen vnicuique facio, vt quod in hac parte voluerit sentiat. Vtrum verò sine femoralibus ambulare liceat prædictis periculis, aut huiuscemodi absentibus, cui dubium esse potest? Berosi fabellam omitto: quid enim nobis cum fabulis? Quis autem magiæ inuentor fuerit an Chamus, an quiuis alius, non ita constat, cùm tempore Enos idololatriam ortam fuisse quidam existimẽt paraphrasi Chaldaicæ Onkelos innixi, quæ tamen iuxta Complutensem editionem textui Hebraico respondet. Vbi enim habemus cap. 4. Genes. versu vltimo; *cœpit inuocare nomen Domini*, paraphrasis Chaldaica legit, *inceperunt filij hominum, vt non orarent in nomine Domini.* Vnde quidam Hebræi volunt Enos ita fuisse vocatum, quòd tunc calamitosum, & miserum esset sæculum. Degenerantibus scilicet hominibus à vero Dei cultu ad idololatriam, quod in nomine Enos innui putant, quod non simpliciter hominem, sed afflictum, deploratum, & calamitosum significat. Hęc autem explicatio paraphrasis nata esse videtur ex eo, quod הוחל hucal, non solùm incipere, sed violari, ac prophanari significet, vt loco prædicto legatur. *Tunc prophanata est inuocatio nominis diuini*; at Complutensis editio habet in paraphrasi. *Tunc inceperunt filij hominum orare in nomine Domini.* Quod omnino sequendum est, quicquid Rabbini dixerint; adeout Thomas Valdensis à Bellar. citatus lib. 2. de monach. cap. 5. existimet Enos tunc instituisse sublimiorem religionis cultum, quàm esset religio vulgi; & veluti præludium vitæ religiosæ, & monasticæ. 70. Interpretes vertunt ὅτος ἤλπισεν ὀνομάζεσθαι τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ, hic speraui inuocare nomen Domini; quod existimo factum esse, quia הוחל significat etiam sperare, à radice יחל, Iachel; spes autem est causa inuocationis: quod si Rabbini velint etiam à חול descendere, quod prophanare significat, dicendum est non hîc à chol, sed à חלל descendere, quod in hiphil חכיל hechel habet, idest cœpit, in hophal autem huchal, significat, cœptum est. Vnde nec bene Cyrillus, Theodoretus, & Suidas verterunt; *Iste cœpit vocari nomine Domini*, vt aduertit Cornelius, qui idololatriam iamdudum viguisse censet; & quidem id non fuit impossibile, vt tunc Idololatræ fuerint, licet id in Scriptura non legamus, vt notat Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Iulian. & lib. 3. versus finem, vbi ait Arbelum in terra Assyriorum primum à subditis deitatis nomen accepisse. Vbi quidam Belum legere malunt. D. Petrus in recognitionibus Clementis lib. 1. generatione decima quarta censet idololatriã cœpisse, quam Epiphanius initio Panarij ad tempus Sarug proaui Abrahæ reuocat; & Tertullian. cap. 4. de idololatria, hanc ab Enochò prædictam fuisse ait, qui septimus fuit ab Adamo; vnde sequitur tempore Enos, qui fuit tertius ab Adam, nondum inuentam fuisse. Lactantius verò cap. 23. de falsa relig. ad Belum Saturno æqualem reuocat. Cassianus tamen collat. 8. cap. 21. post communicata filiorum Sethi cum Chami filiabus coniugia magicas artes incepisse putat. Quicquid sit, omnes ferè tam prophani, quàm sacri scriptores in Zoroastrem magicas artes reijciunt, vt Epiphanius *initio* lib. contra hæres. Plinius li. 30. c. 1. De Chamo autem Cassianus supra hæc sentit; eum nempe scelestas & impias artes diuersorum metallorum laminis & durissimis lapidibus insculpsisse, quibus post diluuium perquisitis & reperris, sacrilegiorum seminarium ad posteros transmiserit.

Tostatus. Fabula.

Petroselini crementũ.

Femoraliũ inuentio.

An liceat sine femoralibus incedere.

Quando nã idololatria cœperit latè discutitur.

Gen. 4.

quid significet Enos.

quid significet.

Vnde deriuetur.

יחל

חול

חלל

Quando idololatria cœperit.

Cyrillus Alexandr.

Diuersæ sententiæ referuntur.

Clemens Roman.

Epiphan.

Tertull.

Lactantius.

Cassianus.

Multa de Zoroastre.

Epiphan.

Plinius.

Cæterum Zoroastrem Bactrianorum regem circa annum 48. Nini vixisse testatur Eusebius in Chronico, si non Græco, saltem ea à D. Hieronymo addita sunt, quod aliqui referunt in annum primum Abrahæ. Diodorus vocat Zoroastrem Oxyartem; quem fuisse Persam Clemens Alexandrinus ex Pythagora refert. Eum Gregorius Turonensis 1. Histor. Francor. cap. 5. Chus Chami fuisse primogenitum ait, qui à Persis Zoroastres, idest viuens stella dictus fuerit, vnde Chronicon Alexandrinum anno mundi 2044. n. 6. testatur Zoroastrem inuocato Orione à flamma cœlesti depastum fuisse, vt qui ignem, & stellas è cœlo vocarat, & ignis adorationem docuerat, igne demisso de cœlo consumeretur. Epiphanius verò, & Galatinus lib. 4. cap. 20. Zoroastrem fuisse Nembrod existimarunt; at cùm Zoroaster aduersus Ninum decertarit, quî potuit esse Chus, Ninii auus Æthiopúmque parens? nec fuit Nembrod, qui Nini pater fuit, ac Belus nuncupatus est; nec probabile est Ninum contra patrem decertasse, qui iam tum, cùm aduersus Zo-

Quo tẽpore Zoroaster vixerit.

Eusebius.

Diodorus.

Clemens Alexandr.

Gregorius Turonẽsis.

Mors Zoroastri.

Epiphanius

Galatinus.

Zoroaster.

roaſtrem pugnauit, defunctus erat 48. annis antea. Tres autem Zoroaſtres enumerat, quorum tamen ille Bactrianus ſit antiquior, niſi fortè Cham nomine Zoroaſtri, vocandum eſſe cenſeas, vt ſit ille Chan Zoroaſtrorum omnium primus; ſed illum tametſi magum, magiæque parentem aſſeramus, ſine fundamento dicitur Noëmum ab eo ligatum eſſe arte magica, ne poſſet vlteriùs generare; quam filij peruerſi in iuſtum patrem impietatem à Deo permiſſam fuiſſe non ita facilè credidero: nec tamen deſunt Hebræi, teſte R. Leui, qui velint à Chamo Noëmi virilia exciſa fuiſſe, ne ampliùs generaret. Aliàs fuſiùs de idololatria peragemus.

Problema 103. diſcutitur. Cur Chanaan & non Cham Noë maledixit.

In problemate centeſimo tertio in eadem ratione perſiſtit, quæ non meliori nititur, quàm ſuprà, fundamento; at non deſunt cauſæ, cur Chanaan, & non Cham maledixit, non tantùm quia dicunt Hebræi Chanaan priùs vidiſſe patris nuditatem, quam poſtea cæteris propalauit, ſed etiam ne ſi Cham maledixiſſet, toti illius poſteritati Chus, Meſraim, &c. maledixiſſe videretur; cùm tamen Chanaan ſolùm, vt paternæ impietatis hæredem maledicere vellet; adde quòd noluerit ei maledicere, cui Deus poſt arcæ exitum benedixerat; ſed & Spiritu prophetico Noëmus videre potuit Chananæos maledicendos, Hebræiſque mancipandos; nec tamen ideo caruiſſe ſupplicio Chamus exiſtimandus eſt, cùm in filij punitione, quàm in propria, patres grauiùs torqueri ſoleant.

In problemate centeſimo quarto ſupponit Venetus aliquod à Noëmo peccatum commiſſum fuiſſe, cùm tamen contrarium probabilius eſſe videatur; vnde Caluinus, & Lutherus cùm eam ebrietatem ignorationi, atque inexperientiæ tribuere debuiſſent, ad eius intemperantiam reuocarunt. Cùm enim aquæ per totam vitam aſſuefactus eſſet, vino mero pari fortè menſura, ac antea biberat aquam, epoto, facillimum fuit, vt inebriaretur, deficiente calore ſatis valido, qui vinum, eiúſque vapores concoqueret; ac proinde non fuit, cur eius genealogia non ſcriberetur. Fabulantur autem aliqui Noëmum viti, & vino 4. animalium ſimiæ, leonis, porci, & agni ſanguinem immiſcuiſſe, quod inde ortum cœpiſſe videtur, quia ex ebrijs alij ſimiarum inſtar morriones, vel ad modum leonum crudeles, atque pugnaces; alij verò quemadmodum porci, lubrici, & fœdi, vel vt agni mites, atque blandi euadunt iuxta varium vniuſcuiúſque temperamentum. Profuerit hîc legere Cornelium, qui omnes ferè præclaros viros abſtinentiæ virtutem coluiſſe refert. Fabula quã Noëmo impingunt.

PROBLEMA CV.

Caput X. totum explicatur.

QVOMODO à tribus filijs Noeh diſſeminatum eſt totum genus humanum, vt in Geneſi dicitur? Nonne diligenti ſerie in 10. c. libri Geneſeos deſcribuntur 72. idiomatum origines, vt bene animaduertit Hieronym. & pro maiori parte, (quantum adinuenire potuit) accuratè retexuit? Primò enim à filijs Iaphet incipiens, dicit quòd à Gomer eius primogenito deſcenderunt Galatæ. Secundò à Magog, Scythæ. Tertiò à Madai, Medi. Quartò à Iauan, Iones. Quintò à Tubal, Iberi, vel Hiſpani Celtiberi. Sextò à Meſſech, Cappadoces. Septimò à Tiram, Thraces. Octauò ab Aſchenan, Græci Regini. 9. à Riphar, Paphlagones. 10. à Togormah, Phryges. 11. ab Eliſah, Æolides. 12. à Tarſis, Cilices. 13. à Dodanim, Cyprij. Et hi omnes ex Iaphet deſcenderunt. A Cham autem quartuſdecimus populus originem traxit. Vnde à Chus, Æthiopes. 15. à Miſraim Ægyptij. 16. à Phut Libyces. 17. à Chanahan, Chananæi. 18. à Saba, Sabæi. 19. ab Hauila, Getuli. 20. à Sabatha, Sabathani, vel Aſtareni. 21. à Dedan, Dedanites, qui incolunt Æthiopiæ partem. 22. à Nimrod, Chaldæi. 23. ab Aſſur, Aſſyrij. 24. à Sidon, Sidonij. 25. à Iebuſi, Iebuſæi. 26. ab Amori, Amorrhæi. 27. à Gargaſi, Gargaſæi. Sexdecim autem omiſſis, (quorum ſignificata Latinis neſciuit reſerare, vt ipſemet fatetur) deuenit ad 44. ſcilicet, Elam à quo (vt reor) Elamitæ, ſeu Perſæ venerunt. 45. ab Aſſur Aſſyrij, inferiorem Aſſyriam habitantes, quam Ptolemæus concauam Syriæ vocat. 46. à Lud, Lydi. 47. ab Aram, Aramæi. 48. ab Hus, Traconitides. 49. à Hul, Armeni. 50. à Geter, Hircani, ſiue Carij. 51. à Mas, Mæones. Reliquos autem cùm Hieronymus fateatur non adinueniſſe, nec nos vlteriùs progrediemur.

Gen. 10. De diſſeminatione generis humani. Ptolemæus

QVÆDAM hîc ad maiorem textus intelligentiam addenda ſunt, vt qua ratione genus humanum propagatum fuerit intelligamus; quæ ſi pluſcula videantur, ſupplebũt quod in noſtris hunc in locum problematibus, aut quæſtionibus dicendum veniret. Igitur pro tribus Noëmi filijs ſtatuendæ ſunt tres familiæ à quibus omnes homines profecti ſunt, ita tamen vt à Iapheto ducamus exordium, à quo & Moſes incepit.

De Iapheti filijs.

Iaphet. genealogia Iapheti.

IAPHET ergo familia minima fuiſſe videtur numero linguarum, & principũ, à qua Moſes ideo cœpit, quia ex ea maior pars electorum colligenda erat, quantumuis Sem primogenitus eſſet. Iaphet ergo 7. filios habuit iuxta phraſim Hebraicam, & Chaldaicam, quibus Ioſephus, & D. Hieronym. adſtipulantur, ſed Eliſam Auguſtin. & Euſeb. poſt Latinos, Græcóſq; codices addiderunt. Gomer eſt primus filius, à quo Galatæ, ſeu Gomarenſes, Gomeritæ, apud Ezec. c. 38. dicti Aquilonares; cùm tamen alij Cappadocũ, Cimmeriorum, ſeu Comarorum, aut Cimbrorum, alij Gomerum patrem faciãt. Gomer primus eius filius. Ezech. 38.

Secundus filius eſt Magog Magogarum, ſeu Scytharum parens, qui ſunt vel Europæi, vel Aſiatici per Tanaidis, Mæotidíſque paludes ſeiuncti. Magog 2.

Tertius eſt Madai, à quo Medi prognati ſunt; à quo etiam Britannos Chronicon Alexandrinum deducit Madai 3.

deducit videatur Salianus, anno mundi 1931. diluuij autem 275.

Iauan 4. Quartus eſt Iauan à quo Græci, ſeu Iones, ac proinde Athenienſes, licet ſe αὐτόχθονας, ſeu primos hominum gloriarentur.

Thubal 5. Quintus eſt Thubal, à quo Hiſpani, ſeu Iberi. Vnde Celtiberi.

Moſoch 6. Sextus eſt Moſoch, ſiue Meſcec, à quo Cappadoces, licet in aliam ſententiam Beroaldus abierit. Genebrardus autem Moſchouiam ab eo habitatam eſſe exiſtimat.

Thiras 7. Septimus filius eſt Thiras Tracum princeps, quos aliquis à τραχὺς, ideſt aſperum, quòd ſint feroces, dictos eſſe volunt.

Inter Iapheti filios 2. fuêre, qui etiam filios aliarum prouinciarum duces procrearunt, ſiquidem Gomer trium populorum, Iauan verò 4. propagator fuit. Gomeri primus filius eſt Aſchenes. 2. Riphath. 3. Thogorma. A primo Gothicæ gentes oriundæ ſunt, vnde & Iudæi, teſte Merula; Alemannos vocant Aſcenazim, quos Arias in Phaleg vocatos eſſe Aſcanios edocet. Gomeri filij 3. trium gentium principes. Arias. Gẽtes ortæ ab Aſchenes 1. filio Gomeri.

Secundus Gomeri filius fuit Riphath populorum Riphæorum pater, quos ad fontem Fluminis Tanais Ptolomæus in 8. Europæ tabula collocat; cùm tamen Sauromatarum, ſeu Sarmatum, hodie Polonorum parentem fuiſſe in Chronic. Euſebius ſentiat. Riphath 2. filius & gẽs orta ab eo. Ptolemæus Euſebius.

Tertius Thogorma, Phrygum autor fuit, qui ſunt vicini Paphlagonibus; vel Turcarum, quorum Imperatorem Thogar, & Turciam Togorma vocant, vt apud Poſtellum, & Vatablum videre eſt, licet paraphraſtes Chaldæus in 27. Ezechiel. & Villap. de Germania id explicent. Thogorma tertius & ab eo deducendi. 27. Ezech.

Elisa 1. filius Iauan. Iauani filius primus Eliſa dedit Æolibus originem, hinc & Boeotij dicti ſunt, hinc etiam Eliſæ inſulæ, quas Italiæ Paraphraſtes tribuit, ex eo autem Eliſij campi dicti eſſe videntur.

Tharſis filius 2. Secundus filius eſt Tharſis Tharſenſium parens, in Cilicia verò Tarſus eſt vrbs celeberrima, licet Arias Carthaginem malit contra cæterorum ſententiam. Tharſis autem quia littoralis eſt, & à portis Syriæ vſque ad Pamphyliam prætenditur mari Mediterraneo, ſæpè pro toto Mediterraneo mari, imo & Oceano ſumitur vt cap. 2. Iſai. & 23. & Pſalm. 47. Cùm autem 70. & Paraphraſtes vertunt Carthaginem & Africam, inde factum eſſe videtur, vt in mari Mediterraneo Carthago Africæ, maríſque domina maximè emineret. Mare verò Mediterraneum Tharſis apud Hebræos dicebatur, illuc etiam Cilices, & Tyrij eis contermini nauigabant. 2. & 23. Iſai.

Chettim filius 3. Tertius filius Chettim Chettæorum, vel Cypriorum pater: Cyprus autem in Mediterraneo Ciliciæ obuertitur; ſed & Cyprus pro multis alijs inſulis, vt pro Rhodijs apud Epiphan. pro inſulis Italiæ à D. Hier. in 27. Ezec. qui Daniel. 11. vertit Romanos accipitur. Macedonia vocatur etiam Chetthim, vel quia mari, quaſi inſula ab ortu, & occaſu alluitur, vel quia Cyprij, & Rhodij in Macedonia habitarunt, inquit Epiphan. hæreſ. 30. Eadem ratione Italia pro inſula reputatur ab Hebræis, & Chittim vocatur, vnde Euſeb. l. 1. chronol. Latinos à Cethim profectos ait. Euſebius.

Dodanim 4. filius. 1. Paral. 17. Quartus filius fuit Dodanim, quos D. Hieronym. Rhodios explicat, & 70. lib. 1. Paral. c. 17. Vnde & veriſimile eſt legendum eſſe in Hebræo Rodanim, quia facillimè potuit in nomine Hebræo ר pro ד vſurpari ob magnam literæ Daleth, & Res ſimilitudinem; ex quibus patet, præſertim D. Hieronym. inſinuante in quæſtion. Hebraic. à filijs Iauan totam propemodum Europam habitatam eſſe. De Iapheth hactenus.

De Chami filijs, & locis ab illis priùs inhabitatis.

PRIMVS filius Chami fuit Chus; quem primo anno diluuij natum aiunt, qui dedit Æthiopibus, ſeu Chuſæis originem; eſt autem Æthiopia duplex, Meridionalis, de qua c. 8. & 13. Eſther cùm Aſſuerus 127. prouinciarum Dominus ab India vſque ad Æthiopiam dicitur; alia fuit Arabica Ge. 2. priùs autem Chuſæi eam incoluêre, quæ eſt inter Ægyptum, & Syriam, & Arabiam Petræam, & Deſertam amplectitur, in qua Cedareni, Madianitæ & Amalechitæ fuerunt; licet autem iſti iam nigri ſint, id non à Chuſo patre, vt pote cum cæteris fratribus albo, ſed ab ardore ſolis, quo loca aduruntur, quæ poſtea incoluerunt, adeout ſemen eorum velut vſtum ſit. Antequam verò de tribus alijs præcipuis Chami filijs Meſraim, Chanaan, & Phuth agamus, paucula de filijs Chuſi dicenda ſunt. Chus primus Chami filius. Duplex Æthiopia. 8. & 13. Eſther. Gen. 2.

Chuſi ergo primus filius eſt Saba, qui per ס Samech ſcribitur; cæteri verò Saba nomine dicti per ש ſcribuntur, vnde Pſal. 71. Reges Arabum, & Saba, Hebraicè habetur Saba, & Saba, prius tamen per ש, poſterius per ס ſcribitur. Saba primus Chuſi filius. ס ש

Secundus Chuſi filius dicitur Heuila Heuilæorum author, ſeu Getulorum, inquit Ioſephus; cùm tamen Heuilæorum fines ad Iſmaëlitas pertinuiſſe multis terrarum ſpatijs à Getulis diſſitos Salianus poſt Beroaldum, Merulam, Pererium, & Tornelium aſſerit: ab Heuila verò Ichthiophagos deſcendiſſe Chronicon Alexandr. ait. Heuila 2.

Tertius filius eſt Sabatha, à quo Sabathæi, vel Aſtabarrhi qui nobis ignoti ſunt, niſi fortè in inſula Meroë propè fluuium Aſtaboram poſiti ſint; huc tamen Ptolomæi Saubatham Arabię fœlicis metropolim referendam eſſe voluit Merula, quæ num fuerit Sabatia Plinij Sabæorum ciuitas, in rubro littore vnà cum Marane, Marma, & Coralia, diuinet qui poterit. Sabatha 3.

Quartus Chuſi filius eſt Regma, ſeu Reema Ezechiel. 27. cuius filij ſimiliter Arabiæ fœlicis incolæ fuerunt, vnde Regama, ſeu Regma ciuitas in Arabia fœlice ſita eſt iuxta ſinum Ichthiophagorum. Delrio ſequutus Montanum Carmaniorum meminit. Regma filius 4. Arabia fœlix.

Quintus fuit Sabatacha, cuius poſteri incogniti fuiſſe videntur, quòd in extremas oras Arabiæ fœlicis ſe receperint; Huius verò 2. filios Scriptura ſubiungit שaba, (qui סabæ præcedentis nepos eſt) & Dadan, à quo Dedanæi populi prope Idumæam, quorum meminit Ezechiel. c. 25. & 27. quos etiam inter Arabiæ incolas Ieremias c. 4. enumerat. Sabatacha 5. & 2. filij huius. Dedanæi. Ezech. 25. & 27.

Vltimus & ordine ſextus Chuſi filius nominis, ſi non generationis nomine, & celebritate facilè omnium primus fuit Nemrod, qui homines ſibi primus ſubiecit, quem cum Belo regni Babyloniorum authore, eundem faciunt, vt Euſeb. habet in chronico, & 65. annos regnaſſe aſſerunt, quémque Saturnum Deum Aſſyrij dixerunt; Qui verò Ninum Beli ſucceſſorem primum Aſſyriorum regem autumant, ita ad concordiam redu- Nemrod 6.

cuntur, vt Belus regnum inchoarit Babyloniorum, illudque in Monarchiam Assyriorum Ninus perfecerit: Notandum est hîc Assur, quem Moses egressum de terra Sennaar docet, non hîc propriè sumi; qua ratione sumitur, dum ponitur Semi filius, sed appellatiuè pro gente, vel principe Assyriorum, qui non alius fuit, quàm Ninus: qua ratione rectè loquitur Epiph. dum ait Assur fuisse filium Nemrod; sæpiùs autem in scriptura pro
4.Reg.15. Assyrijs Assur vsurpatur, vt 4.Reg.15.1.Par.5.& alibi. Væ Assur, Virga Assur, &c. Vrbs autem Ninive, quæ ab Assur filio Sem condi cæperat, à Nino, à quo desumpsit nomen, perfecta est.

Secundus Chami filius Mesraim. Herodotus confutatur, eiúsque fabulosa chronologia. Mesraim qui fuit 2. Chami filius Ægyptum incoluit, vnde Ægyptus Misraim vocari solet, à nepote Noëmi Mesraim, ex quo patet, quàm sit fictitia Ægyptiorum antiquitas, quam in Euterpe narrat Herodotus, nempe à primo Rege ad Vulcani Sacerdotem Sethon progenies trecentas quadraginta & vnam fuisse, totidémque Pontifices, & Reges, adeout ex illis resultent anni 11340. cùm tres virorum progenies 100. annos conficiant, ipsúmque solem quater in hoc tempore præter consuetudinem ortum fuisse, bis vbi nunc occidit, & bis vbi oritur, asserebant. Alibi verò ad suas Dynastias constituendas ab Hercule suo ad Amasim regem 17000. annos enumerant; quod omnino falsum esse constat ex historia sacra, nam Mesraim non priùs in Ægyptum descendit, quàm linguæ confusæ essent, quod accidit circa annum à diluuio 275. & à rerum conditu 1931. Facessant ergo Africani, Manethónísque fabellæ, qui 15. Dynastias expletas esse volunt ante diluuium 3317. annorum, cum 74. annis 36. Dynastiæ; alioqui Dynastiarum ortus præcessisset ortum Adami 1735. annis.

Africani & Manethonis fabella. Mesraim habuit octo filios, quorum 1. Ludim, vnde Lydij Ierem.46. 2 Ananim. Plinius. Ammanientes. Numidæ. Octaua fuêre Mesraim filij, qui populos octo propagarunt, de quibus ordine paucula subiungo.

Primus Mesraim filius est Ludim, de quo Ierem. 46. qui Lydiorum, non Asiæ minoris, sed Africæ, parens dicendus est, qui & Ludæi dici possunt.

Secundus Ananim, qui, vt vult Delrio, parens fuit Ammanientium, de quibus Plin. lib. 5. cap. 5. vel potiùs Numidarum, vnde trahunt Anubim, vt alij nomen suum potiùs ab arena ἄμμος, sicut & Iupiter Ammonius, repetant.

3. Laabim. Tertius Filius Laabim, à quo Libyi, qui sunt versus occidentem Ægyptijs contermini.

4. Nephtuim. Phryges. 5 Phetrusim. Arabes Petræi. Quartus Nephtuim 70. Νεφθαλεὶν à quo Neptunus, & cùm in Numidia sint illius aræ, illum Numidarum, Phrygum alij parentem faciunt.

Quintus Phetrusim, à quo Petræi Arabes, qui dicuntur à Ptolem. Icthyophagi inter sinum Arabicum, & orientales Ægypti montes siti.

6. Chasluim Philistæi. Cappadoces. Ierem. 47. Sextus Chasluim, à quo Philistæi, seu Palæstini, & Caphtoræi, seu Cappadoces egressi sunt; vel postquam Chananæi, & Heuæi littora hæc occupassent, à Cappadocibus debellati sunt, & deleti. Vnde apud Ierem. cap. 47. dicuntur reliquiæ insulæ Cappadociæ, non quæ in Asia minore sita sit, nam ad Iapheti posteros attinet; sed quæ sit Africana Palæstinæ vicina 7. & 8.

7. Philistijm. 8. Caphtorim. Philistijm, & Caphtorim, quos ab alijs egressos fuisse aiunt.

Quartus Chami filius Chanaan Phut. Chanaan tertius est Chami filius, vel potius 4. nam Phut erat tertius, sed relinquitur, quòd diuersos in populos minimè fuerit multiplicatus, qui tamen fuit Libycarum gentium princeps: Libyæ & Lydiæ terrarum fœderis meminit Ezechiel 30. c. vbi pro Libya scribitur Phut Hebraicè.

Chananæi. Phœnices dicti. Daniel.13. Vndecim filios habuit Chanaan. Chanaan igitur erit quartæ Chami familiæ dux, atque princeps: cuius semen, quia maledictum fuit à Noë; in contumeliam vsurpatur à Daniele c.13. Dedit autem Chananæis originem, qui & Phœnices dicti sunt, vnde mulier Chananæa, dicta est etiam Syrophœnissa. Chanaan verò filij vndecim enumerantur.

1. Sidon. Primus est Sidon, qui Sidonijs Phœnicum populo nomen dedit, Sidone ciuitate ibidem cõdita, quæ habet insignem portum, & Cyprum sibi vicinam, & obiectam; ab ortu Libanum habet, à quo 3. fluuij Adonius, Eleutherus, & Leontes fluũt, & latè circumpositã regionem irrigant. Boucherius in suo Itinerario 4. refert. A Septentrione nobiles vrbes Berythum, Byblum, & Tripolim. A meridie Sareptam, Tyrum, & Prolemaïdem, vbi plurima est arena vitri in Belo fluuio, testé Plinio lib. 5. c. 19. Plinius.

2. Heth. Secundus filius Heth, à quo Hethæi, qui de 7. gentibus Iudice Deo internecioni datis, fuit Deut. 17. Illi ciuitatem Heth fecerunt ex qua Vrias Hethæus, à quibus Abraham Gen. 23. sepulturæ locum emit; ibi Hebron, & filij Enachim de genere gigantæo, quos primùm Caleb subegit Ios. 15. Iosue 15.

3. Iebus. Tertius fuit Iebus, à quo Iebusæi, vnde & Iebus dicta est ciuitas Hierosolymorum, nec illos vnquam ita delere potuerunt Israëlitæ, & Iudæi, quin simul cum eis remanserint, vt constat 2. Reg. 5. 1. Paral. 11. 2. Paral. 8. Esdr. 1. c. 9. 2. Reg. 5.

4. Amor. Quartus fuit Amor, vnde Amorrhæi, quorum nomine aliquando gentes 7. intelligi reperies, vt Gen. 15. quia fortè omnium deterrimi erant, vnde pro magna contumelia sumitur Ezech. 16. Pater tuus Amorrhæus est. Ezech.16.

5. Gergam. Math. 8. Quintus est Gergam Gergesæorum, seu Gerasenorum parens, de quibus Math. 8. & Marci 5.

6. Heueus. Sextus fuit Heuæus vnus de 7. populis anathemati diuino subiectis, qui montem Hermon in terra Maspha prope Antilibanum incoluit.

7. Aracæus. Septimus Aracæus, qui vrbem in Libano sitam Arcen nomine condidit, inquit Iosephus.

8. Sinæus. Octauus Sinæus ciuitatis Sim conditor, quæ dimidio milliario distat à præcedentij; ille fortè monti Sinai nomen dedit.

9. Aradius. Nonus Aradius, qui possedit Aradum insulam propè Phœnices littus.

10. Samaræus. Decimus Samaræus, qui ciuitatem Semeron ædificauit, cuius regem Iosue debellauit. Ibi verò ciuitatẽ Somer Amri pater Achab construxit, quę postea regni Israëlitarum caput fuit, licet per anticipationem, vel etiam nomine appellatiuo illius Scriptura meminerit.

5. Amathæus. 4. Reg. 23. Vndecimus, ac vltimus Chanaan filius est Amathæus, cuius regio Emath prope Libanum in finibus regionis Damasci sita fuit, vbi & Reblata 4. Reg. 23. Pherezæi autem populis Chananæorum aggregandi sunt.

De Semi filijs.

5. Filij & 22. nepotes habuit Sem. LICET 5. fuerint Semi filij, & 22. nepotes, tamen 2. filiorum posteritas sola describitur.

1. Filius Ælam. Primus ergo filius Sem dicitur Ælam, cùm vbíq; primus numeretur, dictus Elymus, à quo Elamytæ principes Perfidis, cuius metropolis fuit Susa Daniel. 11.

2. Assur. Secundus est Assur, qui Assyriam possedit.

3. Arphaxad. Tertius Arphaxad, ex quo sacra chronologia ad Abrahamum, Iudam, Dauidem, imò & vsque ad Christum deducitur.

Quartus

4. Aram, qui filios 4. genuit; inter quos 1. Hus Hussitis dedit originẽ, hinc Ioborũdus 1 Paral 7. Secundus filius Aram VI. Quartus Semi filius fuit Aram, vnde Aramæi vel Syri, quorum Damascus Metropolis fuit. Hic autem filius 4. filios genuit, vt etiam habetur 1. Paralip. 17. quorum primus fuit Vs Hussitarum dux, à quibus vir sanctus Iob: vnde constat hunc inter Chami filios suam sedem fixisse.

3. Gether. Secundus filius Aram est VI, cui sicut fratri præcedenti tribuunt Armeniam vt potè sufficientem ambobus, est enim maior & minor Armenia.

Montanus. Tertius est Gether Bactrianorum parens, non Acarnaniorum, siue Cariorum, vt Hieronymus, vel Ætoliorum vt Montanus in Phaleg censuit, Cariam siquidem Ioniæ vicinam cum tota minore Asia filij Iaphet sibi vendicant.

4. Mes. Quartus filius est Mes, siue Mosoch à quo Mesanæi apud Iosephum, Mæones Hieronymo, Misi verò Montano, sunt oriundi, quos tamen Iapheto tribuit Salianus.

Arphaxad tertius Semi filij habuit filium Cainam: at de Cainam nos suo loco fusè dicemus. Euseb. Arphaxad verò (qui suprà tertius Semi filius dictus est) Cainam filium habuit, à quo Gasphenos ortos scribit Euseb. lib. 1. Chronic. & Epiph. in Ancorato, qui fortè Cainam Indiæ fluuium incoluit, qui se in Gangem exonerat. Quædam de Heber filio Salæ, à quo Hebræi dicti sunt, & de Phaleg à quo fortè Philistæi, siue Palæstini Salianus addidit. Cùm autem peculiare nihil de filijs Iectan fratris Phaleg habeamus, nisi quod Scriptura docet habitationem eorum factam fuisse de Messa pergentibus vsque Sephar montem Orientalem, quem Arias omnium montium longissimum asserit, qui dicatur Andes, videri potest Iosephus à Costa lib. 1. cap. 13. nec à vero abhorrere
Iosephus à Costa. videtur, vt hi non tantùm ad Arachosiam, Indum, & Gangem, sed & ad Sinas, ac Iapones, & Americam per fretum Anianum peruenerint, eóque colonias cum animalibus tulerint, quod etiam hoc tempore solitum est, vt ex vna prouincia deferatur, quod in alia deest.

Primus Iectani filius dicitur Elmodad. Saleph. Saba. Pineda. Primus autem Iectani filius vocatur Elmodad, à quo Theomatas oriundos censet Arias, alij verò Selebios, seu Sempsios à Saleph, sicut à Saba filio Iectan Sabæos, & Arabes. De Ophir regione, quam in India Orientali sitam esse concludit Pineda lib. 8. in Salomone cap. 2. An verò peruenerit in Italiam Noë, in qua Ianus dictus fuerit, aliqui dubitant, ex eo quòd Euseb. in Chronic. Ianum regnasse dicat annis circiter 150. antequam regnaret Æneas, idest 685. annis ab ortu Abrahæ, & 510. post eius mortem, ac post obitum Noë 718. & ab anno diuisionis linguarum 773. De his omnibus Torniellus anno mundi 2006. nu. 2. Lucidius Torniellus. Lucidus. Merula. lib. 2. cap. 2. Merula lib. 3. cap. 14. qui non malè notat à Iauan Iani nomen esse desumptum, itaut ei tribuerint vini inuentionem, quod tamen auus inuenerat; vnde Hebræis vinum dicitur Iain יין Græcis οἶνος.

Quàm sic difficilè assignare à quo Noë filio quis descẽderit. At certè, verum vt fatear, hæc omnia mirum est, quàm inuoluta sint, vt vix, ac ne vix quidem, paucas veritates elicere valeamus præter eas, quas Scriptura sacra declarat; nam adeò longa tempora memoriam sustulêre, nec ampliùs scire possumus, an qui dictus est Ozyges, Ianus, Oenotrius, Proteus, Vertumnus, Vadimon, Cœlum, Sol, Chaos, Semen mundi & Pater omnium, Noë à Poëtis, & Historicis intelligatur, vt narrat Berosus Berosus. 2. antiq. in cuius scriptis licet aliquid verosimile appareat, nullum tamen fundamentum habere videtur, imo nec vllum habet in ijs, quæ Scripturæ repugnant; in cæteris verò de quibus nihil cæteri, fides sit penes authorem, qui lib. 3. ait Noam cum familia de monte Gordido descendisse in planitiem, in qua cùm tot cadauera videret, Miriada, seu hominum euisceratorum dicta sit; congressos verò reliquos cum coniugibus perpetuò geminos edidisse marem, & fœminam, vt breui genus humanum adaugeretur: Inter quos cum Noë maximè senex eos doceret tam ritus sacros, quàm astrorum scientiam, eum diuinæ naturæ participem existimarunt, ac Olibama & Arsa, idest cœlum & solem cognominarunt. Sicut Titheam eius vxorem dixerunt Aretiam, idest terram, & post mortem Hestam, idest ignem, quod puellas sempiternum ignem inextinctum seruare docuisset. Præterea lib. 2. præter filios 3. Noë, de quibus supra, vult eum genuisse 30. filios, quorum 17. Titanes à matre Tithea dicti sunt. Hęc autem in præsenti sufficiant, nam ad cap. 10. & 11. de ijsdem sermo recurret.

PROBLEMA CVI.

I. CAPVT XI.

VR Nemrod, & socij tentarunt erigere turrim illam excelsam? An vt in cœlum conscenderent, vt textus innuere videtur? Hinc Poëtæ finxerunt Gigantes montes montibus imposuisse, vt tandem per ipsos in cælum conscenderent, quod valdè ridiculum est. *Nam stultum fuisset ædificium illud Chaldæorum, nisi debito sensu intelligeretur, cùm impossibile sit ædificare turrim, quæ ad cœlum vsque pertingat. Nec, vt opinor verificari potest litera, in qua habetur, Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec* Genes. 11. Versiculus 3. & 4.

2. *eas opere compleant.* An *igitur* (vt veri Sapientes asserunt) tentarunt erigere turrim vsque ad aërem inalterabilem, vt semoti ab alterante impedimento liberiùs & efficaciùs speculationi vacarent? Vnde propter nimiam temeritatem confusionem linguarum passi sunt, ne possent cooperari, nec conferre inuicem. Genes. 11.

Cuius latitudinis & altitudinis. VARIÆ causæ possunt afferri, cur turrim ædificare voluerint, inter quas aliqui eam assignant, quod per eam diluuium vitare desiderarent, si quando recurreret, quam propterea latam admodum & altam eleuarant; dicunt enim in latitudine ab angulo ad angulum 16. milliaria habuisse, & in quadro in Babylone positam fuisse; ita refert D. Hieron. lib. 5. Commentariorum in Esaiam; in altitudine verò 4. milliaria: quod tamen non vsq; adeo verum est, cùm ibidem Noë cum filijs adesset, qui de non ampliùs futuro diluuio certus erat, adde quod diluuij aquæ pertigerint vsque ad

fuerit Babylonica turris. D. Hieron.

5. milliaria, ad quæ non poſſe induſtriam humanam in turri conſtruenda accedere Pererius arbitratur. Initium autem iſtius ædificationis ad an-
Quo anno mundi ædificata fuit turris.
num mundi 1909. Diluuij 253. Noë 853. Sem351. Arphaxad 251. Cainam 216. Salæ 186. Heber 156. Phaleg 122. Rehu 92. Sarug. 60. Nachor30. & Tharæ primum annum Chronologi referunt ob Epiphanium, qui Panarij initio cultum Idolorum per Saruch inductum Thare roboratum, & auctum induſtria aſſerit, qui in turris ædificatione genitus fuerat: quapropter ſi linguarum confuſio rectè collocetur anno Diluuij 275. apparatus & ædificatio turris 20. circiter annos durare debuit. Senſus autem iſtius textus, quem verificari non poſſe Venetus ait, eſt, quòd vel non deſiſtent donec ad altitudinem præconceptam turrim perduxerint, vel etiam illa turri conſtructa, non deſiſtent alia quæ illis in mentem venerint peragere. Ni profanos eorum conatus Omnipotens impediat: enimuero non ita à veritate alienum eſſe arbitror, vt hanc turrim perfecerint, aut ſaltem ad miram altitudinem perduxerint, vbi enim habe-
נבו
mus, *ædificabant*, Hebraicè eſt נבו Nabu, pro quo 70. veterunt ὠκοδόμησαν ædificarunt; quod etiam verſio Complutenſis paraphraſis Chaldaicæ habet, licet Fagius verterit *ædificabant*: ad quod facit
Chryſoſt.
D. Chryſoſt. qui 30. Homil. in Geneſ. ait ἀφῆκεν πληρῶσαι αὐτοὺς τὰ βουληθέντα, ideſt permiſit eos implere, quæ voluerant. Authores verò turris huius non ſolùm Nembrod, ſed & 72. principes à tribus
Epiphan.
Noë filijs oriundos Epiphanius aſſerit.

Illam verò cauſam, cur huius ſæculi homines turrim ædificarent reijcit Abulenſis, & Caluinus, quibus Salianus ſuffragatur, quòd adhuc Noë viueret 8. iam ſæculorum canitie venerandus, qui
Prima cauſa cur turrim ædificarint.
eos de Diluuio numquam futuro certiſſimos redderet; at certè ſicut id ſine reprehenſione dici poteſt, ita licet arbitrari poſteros Noë non eius ſermonibus tantam fidem adhibuiſſe, vt ab omni re ſtatim abſtinerent, & omnem errorem abijcerent, à quo ipſe deterrebat; nec ſatisfacit, quòd exiſtimet Pererius non eſſe in hominum poteſtate, vt turrim vſque ad 5. paſſuum millia erigere poſſint,
Quomodo turris 5. milliaria in altum ſublata erigi potuit.
nec enim id repugnare videtur, dummodo perampla baſis fuerit, altitudini proportione debita correſpondens, nam ſi turris per ducentos paſſus tam facilè iam ædificari poſſit, cur non quinquies altior, vt ad milliare pertingat, cuius baſis ſi in latitudine centum paſſus habeat, dubio procul, vt ad 5. milliaria conſcendat pro fundamenti latitudine ſoli 500. paſſus ad ſummum neceſſarij videbuntur; At fortè impedientur architecti, cæteríque artifices à mediæ aëris regione, quæ frigore ſuo necabit illos; ſed frigus illud per multos ignes depelli poſſe credidero, nec adhuc conſtat, an illa regio ad 5. 50. aut quotnam milliaria diſtet à nobis.

Secunda cauſa eſſe potuit, quòd timerent ne fu- 2. Cauſa.
turo ignis incendio cremarentur. Tertia vt me- 3.
liùs dominari poſſet præcipuus illius author Nembrodius. Quarta vt diſperſi poſſent illuc redire 4.
pro libito. Quinta vt nomen ſuum celebre face- 5.
rent, idque prodeſſet ad nominis immortalitatem, vt Scriptura inſinuat; & quidem omnes illæ cauſæ concurrere potuerunt. Hanc verò turrim ſuo tempore duraſſe ait, qui circa annum mundi, & reditum Xerxis è Græcia, viuebat Herodotus, Herodotus lib. 1.
quam deſcribit craſſitudine ſimul, & altitudine ſtadij, cui 7. aliæ turres impoſitæ ſint, in quarum vltima ſacellum eſt, in ſacello lectus, & menſa aurea. An verò potuerint in id præſumptionis deuenire, vt turrim vſque in cœlum eueherent, modò diſputare nolim; ſcio quidem nos in impoſſibile nuſquam ferri ſub ea formali ratione, qua fieri nequit, at quoties illud iudicamus eſſe non modò poſſibile, verùm etiam facile, nil vetat quominus feramur, licet reuera illud nõ poſſimus. De linguarum confuſione dicendũ eſt alibi. Bene verò Index expurgatorius monet aliquid eſſe delendum ex hoc problemate, illud præcipuè quod ait, non poſſe verificari textũ Geneſis ibidem citatum.

SECTIO TERTIA DE PATRIARCHIS, CONTINENS PROBLEMATA CLIV.

PROBLEMA CVII.

CVR Deus iuſſit Abrahæ, vt exiret è terra, & cognatione ſua? An quia pro- Geneſ. 12.
1. pinqui omnes, & conciues idololatræ erant? Hinc voluit Deus, vt ipſe quem
CAPVT XII. in patrem fidei, & renouãdæ familiæ elegerat, inde exiret, & ab omni idolo-
latria ſepararetur. An vt poſteris documentum præberet, ijs maximè, qui bo- Pſalm 44.
2. narum ſunt mentium? quibus dicitur; audi filia; & obliuiſcere populum
tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum. An vt exiret de externo, & Verſiculus 2.
3. mundano tumultu? Quod indicant verba *veri* textus, quibus dicitur. Vade tibi, ideſt, reduc
te ad cor, vbi Deum & veritatem inuenies; hinc de Petro, & Ioanne nondum ad intelli- Ioan. 20.
gendam Scripturam, quam ignorabant, illuminatis, dicitur, Abierunt ergo diſcipuli ad ſemetipſos.

CVM in vero textu iuxta vulgatam editionem habeamus, *Egredere*, rectè monet Hiſpanus Index delendam eſſe particulam hanc (*veri*) nec enim textũ, aut verſionem vllam pro vera recipimus, præterquam Latinam vulgatam, licet textibus tum Hebraicis, tum Græcis libenter vtamur, vt textus noſter meliùs intelligatur; attamen non eſt tantus Veneti error hac in parte, cùm לך לך, quod
לך לך
hîc ponitur ſignificet etiam, *vade tibi*, ſic enim vertit Pagninus, & Oleaſter, quod R. Salomon ſic in- Pagninus.
terpretatur, *Vade ad tuam vtilitatem, & ad profectum tuum*; quam explicationem reprehendit Olea- Oleaſter.
ſter, cùm phraſis illa ſæpiùs in Scriptura habeatur, tametſi de vtilitate non agatur, vt cùm Dominus Abrahæ

Abrahæ filij præcepit immolationem, *Vade tibi*, & ipſe Moſes ſeruis dixit, *Manete vobis hic*, quid enim vtilitatis eis accedere poterat ex eo, quòd il-
לך הלך quid ſignificet.
lic Dominum ſuum expectarent. לך lec verò manat à radice הלך halac, quod ſignificat ambulare, ire, venire, dare operam, vacare; vel à ילך eiuſdem prorſus ſignificationis: Gerundenſis autem mo-
Gerundenſis
dum illum loquendi phraſim Scripturæ commu-
Vocatio Abrahę exẽplar vocationis religioſorum.
nem eſſe aſſerit. Delrio ſic explicat; *Cùm tuis omnibus exi non rediturus*. Nondum quemquam è patria ſua vocatum à Deo legeramus, vnde hanc Abrahami ex Vr Chaldæorum vocationem typum omnium vocationum dicere poſſumus, quibus homines ad fidem & gratiam, atque ſalutem vo-
Lutherus refellitur.
cantur. Vbi non eſt prætereundus Lutherus, qui fingit Abrahàm non à Deo, vel Angelo, ſed à Sem, ſeu Melchiſedech vocatum eſſe: quod non tan-
Actuum 7.
tùm huic capiti, ſed & ſeptimo Actorum Apoſtolicorum capitulo repugnat; hunc autem errorem
Paphnutius.
iamdiu Paphnutius apud Caſſian. initio collat. 3.
Paterna domus perfectioni religioſæ inimica.
refutarat. Quid autem impedimenti perfectioni afferat paterna domus, patria, & conſanguinei aduiuum locus hic depingit. Vnde quos Dominus erudire vult, ſegregat ab huiuſmodi, inquit Olea-
Oſee 2.
ſter, vt patet Oſee 2. *Ecce ego ſeducam eam, & ire faciam eam in deſertum, & loquar ad cor eius*. Vbi in vulgata editione ſcribitur verſiculo 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem*. Sed pro, *ducam*, habetur מְפַתֶּיהָ, in quo rectè notat Vatablus, loco ה radicalis literæ poni, radix enim eſt
פתה quid ſignificet.
פָּתָה patha, quod ſignificat declinare cor ad ea quæ ſunt præter rationem, & veritatem, ſuadere, inclinare facere, ſeducere, quod 70. ſecuti ſunt dicentes, *ſeducam eam, & ponam illam quaſi deſertam*. At eadem radix ſignificat etiã lactare, quapropter noſtra verſio minimè reprehendenda eſt. Adde quòd lacto, cùm eſt frequentatiuum àb antiquo verbo lacio, decipere ſignificet. Græcus autem interpres habet πλανῶ, id eſt ſeduco. Quod au-
Ioan. 20.
tem habetur apud Ioan. cap. 20. verſu 10. *ad ſemetipſos*, Syriaca verſio habet, ad locum ſuum, à quo nempe venerant. Hæc autem Abrahami vocatio Iudæorum, ac gentilium vocationem præſignauit, quorum Abraham pater futurus erat; & quidem eius obedientia adeo illuſtris fuit, ex eo quòd illico Deum vocantem ſecutus eſt, licet, quò vocaretur, ignoraret, vt Apoſtolus ad Hebr. 11.
Triplex renuntiatio.
eam magnoperè commendet. Paphnutius autem vbi ſupra, renunciationis genus triplex in hac vocatione notauit; primum eſt, quo bonis omnibus temporalibus nuntium remittimus; ſecundum, quo etiam cupiditates earum rerum exuimus; tertium, quo mentem ab omni rerum viſibilium ſtudio, & cogitatione ad rerum inuiſibilium, & cœleſtium contemplationem, & amorem traducimus.

Caietanus.
Caietanus, in eadem Scripturæ phraſi, *Vade tibi*, idem ferè quod Venetus annotauit, quòd nimirum ad Abrahæ vtilitatem præciperetur ille egreſſus: nec eſt dubium, quin præter ſuam gloriam Deus in ijs, quæ nobis imperat, noſtram etiam vtilitatem, & ſalutem intendat.

Prima ratio Veneti admodum probabilis eſt, nam patria Abrahæ propter idololatriam à Nino inceptam Belum patrem publicè coli imperante diuinis honoribus, ſimul & propter ſacrilegam vanitatem diuinationis aſtrologicæ, quæ adeo viguit apud Chaldæos, abominanda erat; nec immeritò clamare poſſumus cum Apoſtolo: O altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius! Abraham è ſolo paterno ne patrios errores amplecteretur, mera Dei benignitate vocatur, cùm tamen pater eius Thare, nec non fratres Haran, & Nachor ſeruientes dijs alienis relinquantur, qui, ni reſipuerint, in ſempiternum perierunt. Hinc multa præcepta, & con- Abrahæ obedientia nos inſtruit.
ſilia nobis oborta ſunt; etenim Abrahami obedientia inſtruimur, nullam parentum, diuitiarum, imo nec propriæ vitæ rationem habendam eſſe, cùm de fide, de religione, de Deo agitur. Vbi notandum eſt ex Diuo Ambroſio Sermone 17. in Pſalm. 118. eum à patria exulem non eſſe, qui veram Dei fidem habet, quia nulla patria verior, quàm fides: ille verò toto orbe extorris eſt, qui fide caret: & Epiſt. 42. totum mun- Pulchrę ſententiæ D. Ambroſ. & Origenis.
dum ſapientis eſſe patriam aſſerit. Deinde nos docuit quàm promptè Deo, ac ſuperioribus illius in terra vicem gerentibus obediendum ſit, adeout Origen. 1. Homil. in Cantic. dixerit Abraham moralem declaraſſe philoſophiam per ſuam obedientiam; obedientia enim eſt tota philoſophia Chriſtiana, cùm ſit totius hominis holocauſtum voluntarium. Nyſſenus autem orat. de Baſilij lau- Laus Abrahæ ex Nyſſeno, & alijs.
dibus Abrahamum fidei viam appellat. De laudibus Abrahæ videri poſſunt D. Ambroſius, Chryſ. Philo, &c. Quanto verò gratiora ſunt, quæ per obedientiam, vel ob amorem Dei relinquuntur, tanto maius eſt obedientis meritum. At inter omnia neſcio quid dulcedinis habet patria, quæ teſte Tullius.
Tullio 1. de Orat. Nos omnium maximè delectat, cuius rei tanta eſt vis, vt Ithacam illam in aſperri- Amor patriæ quantus.
mis ſaxulis tanquam nidulum affixam ſapiens vir immortalitati antepoſuerit, Vlyſſes nempe, quem annos 10. errantem immortalitate propoſita Calypſo retinere non potuit, nam patriæ fumum videre cupiebat, vt in conuiuio Phæacum habes Odyſſ. 9. vnde & Prouerbium natum eſt; *Patriæ fumus igne alieno luculentior*. ὁ τῆς πατρίδος καπνὸς λαμπρότερος τοῦ παρ' ἄλλοις πυρός. Sed illud Ouidius bellè Homerus de Vlyſſe, Prouerbiũ, Ouidius.
1. de ponto eleg. 4. deſcribit.

Non dubia eſt Ithaci prudentia, ſed tamen optat
Fumum de patrijs poſſe videre focis.
Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Cùm ergo tam libenter Abraham & ſolum patrium, & ſuos omnes parentes promptiſſimè reliquerit, cogita quantum fuerit eius meritum, quod etiam tum religioſi omnia relinquentes æmulantur. At facilè contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum; cúmque Deus totum mundum ad electorum produxerit vtilitatem, & habitationem, hæc patria cuique cenſenda eſt, in qua quis bene viuit, iuxta Prouerbium πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ' ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ, & Socrates non ſe vocabat Prouerb.
Athenienſem, ſed κοσμικὸν, & κοσμοπολίτην mundanum, & ciuem mundi, teſte Tull. Delicatus eſt 5. Tuſculan.
adhuc ille, cui patria dulcis eſt, fortis autem, cui omne ſolum patria eſt, perfectus verò, cui totus mundus exilium eſt. Ille mundo amorem fixit, iſte ſparſit, hic extinxit. κοσμοπολῖται ſumus non vni vrbi, ſed toti orbi nati, de quibus Hugo Victor. 3. Hugo Vict. Seneca.
Didaſc. erudit. ca. 20. Hanc de ſe Seneca conceperat opinionem cap. 3. de tranquil. vitæ, patriam nobis mundum profeſſi ſumus, vt liceret latiorem virtuti campum dare.

Nonnulli ad hunc textum obedientiæ conditio- 7. Conditiones verę obediẽtiæ.
nes afferunt, quarum prima ſit obedire libenter, & promptè, 2. ſimpliciter, 3. hilariter, 4. humiliter,

5. viriliter, & constanter, 6. indifferenter, 7. perseueranter. Sed de partibus, & conditionibus obedientiæ latiùs alibi. Possemus autem hîc inquirere, an duo fuerint ex Vr, aut Chaldæa Abraham exitus: At cùm sine scrupulo D. August. sequi possimus, qui cap. 15. de Ciuit. lib. 16. vnicum agnoscit exitum, de quo D. Stephanus agit Act. 17. vbi Mesopotamiam pro vicina Chaldæa vsurpat. Non est quod in alia opinione versemur; Thare verò qui cùm filio vsque ad Haram peruenerat, ibidem mortuus est; postea verò vlteriùs transiuit Abraham; licet Delrio viuente patre censeat Abrahamum ex Charan exijsse, adeout Scriptura hîc vtatur prolepsi, vt quæ Thare pertinebant, vno conceptu narrarentur.

D August. Actuum 7.

An Abrahã idololatra fuerit.

Est & aliud, quod non paruam difficultatem inuoluit, an idola coleret Abraham antequam vocaretur, vt insinuat Philo, Genebr. & Masius in 24. Iosue. Verùm cùm Iosue 42. non dicatur Abraham idola coluisse, nec etiam alibi, sed tantùm Thare, & Nachor, cur sine fundamento dicemus credentium patrem idololatram fuisse? Notandum est autem Vr Chaldæorum significare ignem, quod fortè colerent ibidem asseruatum ignem, quem propterea, teste Procopio in Persicis, Persæ seruabant in locis quæ πυρεῖα dicebantur, eúmque sacri numinis instar venerabantur: vnde sicut Heliopolis à cultu solis, sic ab ignis cultu ciuitas illa denominari potuit. De Vra meminit Plinius iuxta Euphratem lib. 7. cap. 24. & Vr Camirine vocauit Eupolemus apud Euseb. 9. Præp. Euang. cap. 4. Adde quòd 2. Esdr. cap. 9. verterit Interpres pro, *de Vr*, de igne; vnde aliqui pro tribulatione, de qua erutus fuerit Abraham accipiunt, iuxta id Psal. 16. *Igne me examinasti.* Sed hæc aliàs.

Iosue 42.

Explicatio Vr.

πυρεῖα.

Plinius.

Vra.

Camirine.

2. Esdr. 9.

PROBLEMA CVIII.

1. VR iussit Deus Abrahæ, vt iret in terram Chanahan, à Noeh maledicti? Nonne quia erat terra Semini eius danda, terra (inquam) quæ fluere debebat lac, & mel, sapientiam videlicet Euangelicam, & visionem Propheticam; & vbi tanquam in loco Deo peculiari, templum ædificandum erat? Sed cur data fuit prius hæc terra in manu maledicti, & impij Chanahan? Nonne eadem (vt Zohar inquit) ratione, qua decretum fuit, vt ipse Abraham, Israël,

2. & populus omnis, ac Moses descenderent in Ægyptum, antequam lex daretur? *cui decreto Christus quoque subiacuit, qui* primos annos in Ægypto transegit. Et hoc ea lege, de qua Paulus ait: Omnia conclusit Deus in incredulitate, aut sub peccato, vt omnibus misereatur. Quod alibi (Deo fauente) clariùs referabimus.

Genes. 12.

Versiculus 5.

Zohar.

Math. 2.

Ad Rom. 11

MONET Index expurgatorius delendas esse has voces, *cui decreto subiacuit, qui*: quæ si iubeant nostrum examen, in magnas quæstiones abitura sunt, cùm id ab ea disputatione pendere videatur, an omnes Christi actiones à patre præ-
determinatæ, seu præfinitæ sint, itaut ne quidem verbum, gressumve faceret, nec cogitationem, aut voluntatis actum eliceret, quem non pater decreuisset exercendum, adeout ex hypothesi paternæ voluntatis, & summæ cum ea coniunctionis, & conformationis, quam Christus habebat, ista in Ægyptum peregrinatio, cæteræque theandricæ actiones infallibiliter futuræ essent. Nusquam tamen illi decreto subiacuit, vt ante legem Mosi datam in Ægyptum descenderet, nondum enim Christus natus erat, cum data est lex; nec etiam sub peccato, aut incredulitate concludi potuit, qui cùm esset filius Dei naturalis, peccatis obnoxius esse non poterat.

De actionibus Christi prædeterminatis.

Pulchrè verò S. Doctor 7. rationes deducit, ob quas è domo patris in terram Chanahan vocatus sit Abraham; quarum prima est, quòd huiusmodi recessus multiplicitcr vtilis sit ad sui, mundique contemptum, & ad peregrinationis huius sensibilius experimentum.

D. Thomas Angelicus vel Anglicus.

Septem rationes ob quas Deus è domo patris Abraham vocauit.

Secunda, quòd à propinquis, & domesticis diuino cultui, & amori contrarijs faciliùs homo impeditur, & retrahitur à bono, trahitúrque ad malum, quàm ab extraneis, & ignotis, quibus omnibus tantò firmiorem assensum præbere debemus, quantò magis ipse sanctus Thomas per omnia tentatus est, ne se S. Dominici religiosis votis traderet, ipsam etiam patriam à longè reliquit, dum Lutetiam petijt, quæ omnia præ manibus habes in eius vita.

1.

2.

Tertia ratio est, quia dignum erat à gente, & terra illa Dei cultum priùs in ea plantatum tolli, ac decens, & vtile ipsum in medio terræ habitabilis transplantari, vbi & Adam fuerat, ac Christus nasciturus, & moriturus erat. 3.

Quarta, quia ab impijs Chananæis terra erat iustè tollenda, & in vsum ac dominium iustæ prolis Sem redigenda. 4.

Quinta, quia mirabilius fuit ex vno patre in terra aliena grandem populum multiplicari, & alienam terram per manum robustam sibi dari, & ipsum patrem cum sua prole inter extraneos mirabiliter protegi, & exaltari, quàm si hæc in terra propria, & inter suos facta fuissent. 5.

Sexta, factum est in mysterium, quòd omnino recedẽdum est à propria voluntate, & ab affectione suæ carnis, & suorum sensuum ei, qui vult perfici in diuinis. 6.

Septima, factum est in allegoricum mysterium omnium peregrinationum populi Dei, & etiam Christi, qui vt in nos cœlestem hæreditatem transferet, exiuit à patre, & venit in exilium huius mundi, vt in terra reproborum propagaret electos dominaturos & in illa; vnde & exitus de sæculo per regularem abdicationem temporalium, & parentum, vt perfectiùs adeamus ad patriam eis promissam, hîc figuratur. Hactenus D. Thomas in 12. cap. Genesis, vel Anglicus. Quibus si duas Veneti rationes addideris erunt numero nouenario conclusæ; at cùm diligenti examine indigeant, vt de loco templi nunc taceamus (quod in eodem mõte in quo

7.

in quo Abraham voluit immolare filium, nempe in Moria constructum esse dicunt) quod applicat legi Euangelicæ, & visioni propheticæ lac & mel, est allegoricum; possumus autem asserere terram omnem, quam impij possident, & incolunt, ad iustos pertinere, quandoquidem mundus propter eos maximè creatus est. Cur verò priùs illa terra genti Chananæorum data sit, præter Dei voluntatem aliæ rationes assignari possent, vt quod id Deus ex condicto voluerit, ne quidquam excusationis impij prætenderent, si ad hæreditatem æternam lac & mel, omnémq; voluptatem copiosissimè fluentem non admitterentur; nec enim dicere possunt Deo; nobis terram dedisti, in qua cùm viuere non possemus, ad idola recurrere, à quibus iuuaremur, coacti sumus, & faciliùs in peccata ruimus; vident enim electos in eadem terra sanctissimè vixisse.

Cur terra promissionis priùs data sit impijs Chananæis, quàm iustis.

Ne impij conquererẽtur quod gratia sufficienti destituti fuerint.

Superest vt paucis explicemus locum Apostoli ex Epistolæ ad Romanos cap. 11. desumptum, in quo penitus rationis secundæ vis posita esse videtur; habetur autem loco citato, *Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem*; at, *sub peccato*, non hîc, sed ad Galat. 3. legitur. Sic autem habet Græcus contextus συνέκλεισε γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν, ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ. Syriacus vertit, *Conclusit enim omnes in inobedientia.* Vbi aduertendum est συνέκλεισε non à συνεκαλέω, id est prouoco, & pellicio, sed à συγκλείω, quod est concludo descendere: ἀπείθεια verò tam incredulitatem, quàm inobedientiam, diffidentiam, & contumaciam significat, quod proinde tam fidei, quàm obedientiæ opponitur; quomodo enim Deo possunt obedire, qui non credunt in eum?

Ad Rom. 11

συγκλείω.

ἀπείθεια.

Vult autem Apostolus ostendere omnes indigere gratia Dei tam Iudæos, quàm Gentiles, qui sub peccato fuerant: hunc autem locum sic explicat Theodoretus, vt, *conclusit*, positum sit pro *conuicit*: Conuicit enim & gentes, quæ naturalem discernendi facultatem acceperant, & creationem habuerant diuinę cognitionis magistram, cùm tamen nec hinc, nec illinc vtilitatis aliquid acceperint. Conuicit etiam Iudæos, qui plus quidem doctrinæ erant adepti, nam præter naturam, & creaturam, legem quoque acceperant, & prophetas, qui eos, id quod fieri oportebat, docebant, & erant etiam maioribus supplicijs obnoxij, sed tamen & hos, & illos, qui funditus perire meruerant, salute dignatus est, si credere voluerint. Origenes verò per, *conclusit*, intelligi vult, *concludi permisit*: quem multi recentiores interpretes sequuntur; sed nobis abundè S. Doctor satisfaciet. Conclusit, inquit, idest concludi permisit omne hominum genus, tam Iudæos, quàm Gentiles in incredulitate, sicut in quadam catena erroris. Sap. 17. *vna catena tenebrarum omnes erant colligati, vt omnium misereatur*, idest, vt in omni genere hominum sua misericordia locum habeat. Sap. 11. *Misereris omnium Domine:* quod quidem non est extendendum ad dæmones, secundùm errorem Origenis; nec etiam quantum ad omnes homines singillatim, sed ad omnia genera hominum. Fit enim hîc distributio pro generibus singulorum, & non pro singulis generum. Ideo autem Deus vult omnes per suam misericordiam saluari, vt ex hoc humilientur, & suam salutem non sibi, sed Deo adscribant. Osee 13. *Perditio tua ex te Israël, tantummodo ex me auxilium tuum:* & Epist. ad Rom. c. 3. *Vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo*; & homines suam culpam agnoscentes, & infirmitatem perpendentes sese seruatori, & medico subijciant. Psal. 61. *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* Ex quibus satis constat ab hoc loco Christum Dominum excludi, nec Georgij rationem inde vim sumere posse.

Explicatur locus ad Romanos quomodo Deo omnes in incredulitate conclusit. Theodor.

Origenes.

D. Thom.

Distributio pro generib. & singulorũ quomodo differat à distributione pro singulis generum.

Ad Rom. 5.

Psalm. 61.

PROBLEMA CIX.

1. VR post benedictionem Abrahæ datam, dixit Deus: Erisque benedictus? An vt confirmaretur benedictio iam data? Sed cùm veritas literæ habeat: Et eris benedictio, alia exquirenda est ratio. An igitur quia non

2. tantùm dedit ei Deus benedictionem; sed fontem (si dicere fas est) benedictionis, à quo videlicet procederet benedictio alijs communicanda? cùm in ipso benedicendæ essent omnes gentes terræ. Quod in Christo (vt Doctores Christiani non ineptè dicunt) verificatum est. Vnde nec alieni à veritate Hebræi asserunt datam fuisse Abrahæ piscinam benedictionis. Piscina enim, & benedictio apud Hebræos eodem vocabulo dicuntur. Et quòd in eo fuerit aliqua benedictio alijs communicanda, non tantùm habemus ab Hebræis, qui ex multis scripturæ locis id colligunt, sed ex doctrina Christi, qui ait: Salus domui huic facta est, eo quòd & ipse sit filius Abrahæ: hinc & pater fidei dictus est, & princeps sinus, & loci saluandorum.

Genes. 12.

Versiculus 2.

Non literæ vulgatę veritas habet, *eris benedictio*, sed tantùm Hebraica, vt infrà explicatur.

Luc. 19. & 16.

Piscina & benedictio idem Hebraicè.

ברכה

IN Hebræo pro benedictus, est בְּרָכָה berachah, idest benedictio, tunc autem primùm benedixerat eum, inquit Eugubinus, quia dixerat antea in futuro, *benedicam tibi*, וַאֲבָרֶכְךָ Vaauarechecha. Nunc autem dixit in imperatiuo יְהִיה sis benedictio: Vbi clarus est Hebraismus, nam denominatio pro rebus denominatis sumitur, sic enim Hebrei falsum, verum, bonum, &c. dicunt falsitatem, veritatem & bonitatem; & nos cùm omni peccatorum sorde infectum hominem significare volumus, eum scelus ipsum, & impietatem vocamus: nomina enim abstracta rem totam simul amplectuntur, quam per partes concreta significant. Sic etiam scriptura vocat Christum saluationem יְשׁוּעָה: & nos de Deo aliquid exprimere volentes, non solùm misericordem, iustum & bonum, sed & ipsam misericordiam, iustitiam, & bonitatem rectè nuncupamus, quod & vsurpatur in cæteris, qui plurimùm in aliqua virtute, aut alio quopiam excedunt. Hîc autẽ textus Græcus habet

Hebraismus.

Proprietas nominum abstractorum.

in biblijs Complut. εὐλογήσω σε, cùm tamen Steuchus ex 70. sic legat, καὶ ἔσῃ εὐλογημένος, quomodo etiam habent biblia regia. Vatablus autem hîc rectè notat tantam Abrahæ fœlicitatem à Deo promitti, vt omnes admiratione afficiat, vt sibi Abræ personam in formula benedicendi quasi exemplar sumant: ac si dixisset Deus, reddam nomen tuum celebre, & insigne, itaut tibi omnes bene precentur, & cùm deinceps aliquis alteri bene precabitur, sit precaturus, vt illi eueniat, sicut tibi; quod fauere videtur ijs, quæ R. Salomon apud Tostatum, & Lyram habet, hoc nempe modo sacerdotum benedictionem factam fuisse: Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob benedicat tibi; & iterum repetebatur nomen Abrahæ, dicendo, Deus Abrahæ benedicat tibi, vt ab eo, & in eo suum haberet terminum benedictio; & cùm Hebræi benè cuiquam precabantur, dicebant, benefaciat tibi Deus, sicut fecit Abrahæ, sed penes R. Salomonem fides sit. Miror autem, quòd Index Hispanus non iusserit deleri, *sed cùm veritas literæ habeat, & eris benedictio*, cùm vulgatus codex sacer habeat *& eris benedictus*, sicut & 70. Sunt autem qui 7. Abrahæ benedictiones hîc annotent, quarum prima sit principatus magnæ gentis, ex eo enim gens nata est Iudæorum magna numero, dignitate, vera fide & lege, atque victorijs. Secunda fuit, frugum rerúmque omnium copia. Tertia, nominis gloria, vt etiam Abrahæ prosapia Iudæi, Sarraceni, atque Christiani glorietur. Quarta, complexio omnium benedictionum, & bonorum, vt ipse fons benedictionis Abrahamo datus fuisse videatur, vt rectè notauit Georgius, vt & piscinam eodem nomine significari, quo benedictionem. Quinta, quòd non solùm Abrahæ, sed & eius amicis benefaciet Deus. Sexta, quòd etiam eius hostibus maledicet, quo Balaam respexisse videtur, Num. 24. *Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.*

Vatablus.

Quare Deus tam fœlicem Abraham reddidit.

Mos benedicendi sacerdotum apud Hebræos.

R. Salomõ.

Vbi Fernandes notauit in Hebræo poni, benedicentibus te in plurali מְבָרְכֶיךָ Meuarachecha, in singulari verò maledicenti te וּמְקַלְלְךָ Vmcallelecha, quia benedicentiũ respectu, pauci maledicẽt; & quidem magna est Dei benignitas, & prouidentia, vt omnes creaturæ iustis benedicere videantur: quis obsecro non properet ad vitæ sanctitatem? cùm ex aduerso cuncta peccatoribus aduersentur: quod pulchrè, vt solet, D. Bernardus Serm. de miseria humana disserit. *Omnia mundi huius tibi dedit Deus, & tu propter omnia relinquis eum; omnia propter te fecit Deus, & tu propter omnia dimittis te ipsum. Propter omnia, quæ occurrunt, dimittis Deum, & idcirco omnia dimittunt te. Propter creaturas relinquis creatorem, & ideo contra te insurgunt omnes creaturæ, qui offendendo creatorem, offendisti omnem creaturam, ideo creaturæ, quæ factæ sunt in ministerium, & vtilitatẽ tuam, conuertentur in vindictam, & pœnã tuã.*

Iusti omnes aliqua ratione bonorum omnium Abrahæ datorũ participes esse possunt.

Pulcherrimus D. Bernardi locus.

Septima benedictio est omnium maxima. *In te benedicentur omnes cognationes terræ*, id est in semine tuo, seu Christo, qui natus est ex Abraham ad Galat. 3. & Act. 3 per quem veram benedictionem per fidem, & iustificationem recipimus, qui vltimam benedictionem proferet in die iudicij: *Venite benedicti patris mei.* Cornelius reprehendit Pagninum quòd vertat pro, *benedicentur in te*: in te benedicẽt se omnes gentes, cùm verbum Hebræum sit coniugationis passiuæ Niphal, ac proinde non significet actionem reflexam agentis in seipsum, benedicent se, quod tantùm in coniugatione Hitpaël, seu vltima proprium est. Nec tantùm D. Paulus ad Galat. 3. sed & versio Complutensis, & Vatablina sensum Pagnini euertunt, sicut & 70. εὐλογηθήσονται.

Septem benedictiones Abrahę

1. 2. 3. 4. 5. 6.

7. Ad Gal. 3.

Arguitur Pagninus.

PROBLEMA CX.

1. 2.

VR scriptum est, quòd Abraham proficiscebatur ad meridiem? An quia tendebat tentoria in valle Hebron ad meridiem sita, respectu Ierusalem? Sed nomine dicit textus; Perrexitque Abraham vadens, & vltra proficiscens ad meridiem? An igitur mysteriosus est sermo, innuens (vt communi sententia sapientes exponunt) quòd profectus Abrahæ fuit ad meridiem Archetypi, locum videlicet pietatis, clementiæ & gratiæ? Præcipuum enim Abrahæ studium erat in hospitandis peregrinis, & in alijs pijs operibus: vnde in eius memoria in valle prædicta erectum est hospitale quod vsque in hodiernum diem manet, dictum hospitale sancti Abrahæ, vbi dispensantur quotidie 12. vel 13. millia panum, nec non carnes, & alia fercula illi panis copiæ correspondentia, sicut nouimus, vidimus, & ex eis comedimus. Isahac autem (vt suo loco declarabimus) profectus est ad Aquilonem.

Genes. 12.

Versiculus 9.

Abrahę hospitalitas cõmẽdatur

Hospitale celeberrimũ de quo apud multa itineraria nihil reperi.

PROBLEMA CXI.

1. 2. 3.

PROPTER quam famem Abraham conscendit in Ægyptum? An propter famem corpoream? An (vt altiùs cum Zohar conscendamus) quia non erat stabilita virtus præsidens super Abraham in terra Chanahan? Hinc fames, & penuria rerum diuinarum, quia influxus cœlestis tunc ibi erat modicus. Sed cur descendit in Ægyptum, quæ ferè semper aliquid mali in scriptura innuit, & quæ semper populo Dei infesta fuit? Nonne quia etsi mala populóque Dei infesta fuit, habebat tamen aliquid bonitatis cœlestis in se, iuxta illud, sicut paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor? Illuc enim intrat & descendit fluuius à parte dextra exiens, cui nomen erat Gion, nunc autem Nilus. Vt igitur Abraham susciperet quidquid bonitatis in Ægypto reperiebatur, illuc progressus est. Quæ omnia debito sensu allegorico intelligenda sunt.

Genes. 12.

Versiculus 10.

Genes. 13.

Progre-

Qui plura de meridie clementiæ, seu Ghedulah Abrahæ voluerit, sicut & de Pachad Isaac, & Iacob, legat Archangelũ in Cabalist. dogmata, ex

PROGREDIEBATVR ad meridiem, cùm contra Ægyptum pergeret, quæ est Australis respectu terræ Chanaan: Græcus textus habet, ἐν τῇ ἐρήμῳ; quòd autem spiritualis sensus, quo Venetus vtitur, retineri possit, nempe, vt Abraham de virtute in virtutem per varios labores progrederetur, non diffiteor, dummodò literalis præponatur; de hospitali penes authorem fides sit, nihil enim tale legimus in Scriptura, nec reperi itinerarium, in quo id habeatur.

Certum est autem propter famem vrgentem in Ægyptum conscendisse Abraham; sed nego virtutem non fuisse in Abraham stabilitam, nisi eo sensu loquatur, non dum ita perfectum esse, quin adhuc proficere posset, ideo siquidem per multa tentauit illum Deus, vt ex dicendis patebit, nec velim negare sensu allegorico hæc omnia explicari posse, dummodò literalis sensus semper retineatur, quod semper aduertendum est.

quo nõnulla refero ad problemã 307.

Latè deducit Arch. quod hîc Venetus tetigit.

PROBLEMA CXII.

1. 2.

PECCAVIT-ne Abraham concedens vxorem Pharaoni, vt bene esset ei in temporalibus? Non quippe peccauit dicens, quòd esset soror eius, cùm in rei veritate esset ex parte patris, vt infrà dicitur. Nec peccauit concedens, quod prohibere nequiuisset. An potiùs non peccauit, cùm certior factus fuisset à Deo, quòd Sara non violaretur, vt bene sentit Hieronymus? Nam (vt Zohar inquit) videbat in ipsa Sachinam, idest effectum quendam Spiritussancti, vnde nullatenus poterat violari, sicut de Agnete & Cæcilia legimus. An (vt altiùs cum Origene conscendamus) hoc intelligitur de Sapientia ipsi Abrahæ desponsata, quam aliquando tenebat vt vxorem, aliquando sine peccato communicabat vt sororem, iuxta illud Sapientis, dic sapientiæ, soror mea tu? Hinc propter sapientiam communicatam Ægyptij benefecerunt ipsi Abrahæ. Verùm quia Pharao impurus & peccatis subditus erat, sapientiam illam sustinere nequiens, flagellatus fuit. Nam (teste Sapiente) sapientia non habitat in corpore subdito peccatis.

Genes. 12.

Genes. 20.

Versiculus 13.

Archangelus vbi suprà hæc latiùs habet: vbi caue, ne tropologia literę sensũ euertat.

Orig. hom. 6. in Genes.

Prou. 7.

Genes. 13.

Sap. 1.

CIRCA primam rationem aduertendum est apud Hebræos neptes vocari sorores, nepotes verò fratres; imo & post Aram mortuum Saræ, & Loti patrẽ omnes in familia Thare ipsum patrem vocabãt, & iam apud nos Gallos aui vocantur magni patres. Vnde nihil falsum dixit Abraham, vt rectè notat S. Doctor in c. 12. erat enim verè soror eius, eo modo quo Lot infra dicitur esse frater eius. Nam propinquos carne fratres, & sorores vocabant, idque confirmatur ex c. 20. in quo respondens Abraham Abimelecho, dixit, *Aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei, & non matris meæ, & duxi eam in vxorem:* ex quo loco mihi sine controuersia clarum esse videtur Saram eiusdem patris cum Abrahamo fuisse, potiùs quàm Aram, vt supra dixeramus, filiam, si textum prout sonat acceperimus; sed quomodo fieri potuisset, vt Abraham tam pudicus, tam sanctus matrimonium contraxisset cum sorore in eo gradu, qui lege naturæ prohibitus erat? nam ex D. Aug. 22. cont. Faust. c. 35. matrimonium in primo gradu consanguinitatis non tantùm lineæ rectæ, sed & lateralis, puta inter fratrem, & sororem illicitum, & irritum erat; ideóq; sensum istius loci talem esse contendit Delrio: illa mihi iuncta est sanguine paterno, non materno; quia Thare habuit 2. vxores, ex quarum vna Abraham, Nachor & Aram orti sunt, ab alia verò Sara: quod ex c. 11. v. 31. confirmatur, in quo Sara Thare nurus dicitur: adde quòd matrimonia licita essent in secundo gradu collateralium, non verò in primo, ne ex altero quidem parẽte, ex Aug. supra; potuit ergo dici filia Thare, non quidem immediatè, sed mediante patre Aram, vt sic Thare fuerit auus, quem dicimus *peregrand*; Sara verò Nurus, *la petite fille*, seu neptis, quæ ca. 11. vers. 9. dicitur Iescha: Aram enim frater Abrahami genuit 2. filias, Melcham, & Ieschan: illa Nachoris, hæc Abrahami vxor fuit, vnde certius esse videtur omnibus ritè perspectis, Saram fuisse filiam Aram; quòd si quis tueretur contrarium, in eius excusationem cum D. Thoma, diceremus necdum illo tempore tales nuptias lege prohibitas; vbi nouam istius loci solutionem improbat, qua nonnulli dicebant Aram ab Abrahamo patrem esse vocatum, quòd senior esset, quia prior genitus est; vel dicta est filia patris, & non matris, quasi dicat à summo descendit per lineam suam paternam. At nondum fecisse satis videbimur, si à mendacio liberauerimus Abrahamum, nisi ab atroci lenocinij suspicione, quam ei Caluinus nititur impingere, vindicemus: nec alio velim authore, quàm D. Augustino aduersus nostri sæculi caluum Faustum dimicare, vt quod de Fausto Manichæo dicitur, id ad Caluinum, cæterósque similis impudentiæ sectarios dirigi censeatur. Itaque dum sanctus Augustinus 22. contra Faustum cap. 33. & seq. ac præcedentibus patriarchas, verósque Dei seruos & amicos à calumnijs Faustinis liberare nititur, sic habet:

Sara filia Aram.

D. Thom.

Excusatur Abraham à mendacio.

Caluini impudentia.

D. August.

An & quomodo Sara fuerit soror Abrahæ.

Quę matrimonia licita.

Quod autem iustum, & fidelem virum matrimonij sui infamissimum nundinatorem appellans, auaritiæ, ac ventris causa duobus regibus Abimelech, & Pharaoni diuersis temporibus Saram coniugem suam, sororem mentitum, quia erat pulcherrima, in concubitum asserit venditasse, non ore veridico à turpitudine separat honestatem, sed ore maledico totum vertit in crimen. Hoc enim Abrahæ factum lenocinio simile videtur, sed non valentibus ex illius æternæ legis lumine à peccatis rectè facta discernere, quibus & constanti pertinacia videri potest, & virtus fiduciæ vitium putatur audaciæ: & quæcumque similiter obijciuntur, quasi non rectè agentibus à non rectè cernentibus. Neque enim Abraham flagitio consensit vxoris, eiúsque vendidit adulterium, sed sicut illa famulam suam non libidini mariti permisit, sed officio generandi vltrò intulit, nequaquam turbato ordine naturali, vbi eius potestas erat, iubens potiùs obedienti, quàm cedens cõcupiscenti: sic &

Fausti obiectiones proponit Augustin. & dissoluit.

ipse coniugem castam, & casto corde sibi cohærentem, de cuius animo, vbi pudicitiæ virtus habitabat, nullo modo dubitabat: tacuit vxorem, dixit sororem, ne se occiso, ab alienigenis, atque impijs captiua possideretur, certus de Deo suo, quòd eam nihil turpe, ac flagitiosum perpeti sineret. Nec eum fides, ac spes fefellit, non Pharao territus monstris, multisque propter eam malis afflictus, vbi eius vxorem diuinitùs didicit, illæsam cum honore restituit: Abimelech autem somnio commonitus atque edoctus similiter fecit.

Quare Abraham dixit sororem

Capite verò 34. refellit opinionem eorum, qui dicebant Abraham suam vxorem negasse; sicut Petrus Dominum negauit; *Neque enim vtrum eius vxor esset interrogatus non esse respondit, sed cùm ab eo quæreretur, quid ei esset illa mulier, indicauit sororem, non negauit vxorem: tacuit aliquid veri, non dixit aliquid falsi.* Pergit verò cap. 35. *An vsque adeo desipimus, vt hîc Faustum sequamur, qui ait sororem mentitum, quasi genus Saræ aliunde didicerit, cùm hîc sancta Scriptura non aperuerit? Puto iustum esse, vt in ea re, quam nouerat Abraham, nos autem non nouimus, Patriarchæ potius credamus loquenti quod scit, quàm Manicheo criminanti quod nescit. Cùm igitur Abraham eo tempore viueret in rebus humanis, quo quidem iam fratres ex vtróque, aut ex altero, vel altera parente natos, necti coniugio non licebat, filios autem fratrum, aliósque longinquiore gradu generis consanguineos, nulla lege, nulla potestate prohibita consuetudo iungebat, quid mirum si sororem suam, idest ex patris sui sanguine procreatam habebat vxorem? Nam hoc ipse reddenti sibi eam regi, dixit de patre esse sororem, non de matre: vbi certè vt sororem mentiretur, nullo iam timore cogebatur, quando ille vxorem eius esse dicicerat, & eam diuinitùs territus cum honore reddebat. Fratres autem siue sorores generali nomine consanguineos, vel consanguineas solere apud veteres appellari scriptura testatur. Nam & Tobias dicit Deo, cùm oraret, antequam misceretur vxori, Et nunc Domine, tu scis quoniam non luxuriæ causa accipio sororem meam, cùm esset illa non ex concubitu eiusdem patris, nec ex eodem matris vtero, sed ex eadem stirpe cognationis exorta. Et Loth frater Abrahæ dicitur, cùm patruus eius esset Abraham: ex qua vi vocabuli etiam fratres Domini vocantur in Euangelio, non vtique quos Maria virgo pepererat, sed ex eius consanguinitate omnes propinqui. Quid his obsecro veritatis inimici obiicient? nunquid inquirent cur non potiùs ita de Deo suo præsumpserit Abraham, vt non fateri timeret vxorem? Numquid enim Deus ab illo mortem non poterat repellere, quam timebat, eúmque cum coniuge sua ab omni pernicie in illa peregrinatione tutari, vt nec vxor eius, quamuis esset pulcherrima, appeteretur ab aliquo, nec propter illam ipse necaretur? Audisti beatum Augustinum pro aduersarijs obijcientem; audi respondentem. Poterat sanè hoc efficere Deus, quis ita sit demens, vt hoc neget? Sed si interrogatus Abraham, illam fœminam indicasset vxorem, duas res tuendas committeret Deo, & suam vitam, & coniugis pudicitiam. Pertinet autem ad sanam doctrinam, vt quando habet quod faciet homo, non tentet Dominum Deum suum. Neque enim & ipse Saluator non poterat tueri discipulos suos, quibus tamen ait, Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam: Cuius rei prior exemplum præbuit. Nam cùm potestatem haberet ponendi animam suam, nec eam poneret, nisi cùm vellet, in Ægyptum tamen infans portantibus parentibus fugit, & ad diem festum non euidenter, sed latenter ascendit, cùm aliàs palam loqueretur Iudeis irascentibus & inimicissimo animo audientibus, nec tamen valentibus in eum mittere manus, quia nondum venerat hora eius, non cuius horæ necessitate coge-*

Quòd non negauerit vxorem.

Quomodo soror coniux esse potuit.

Tob. 6. & 8.

Genes. 11. & 13.

Admirabilis D. Aug. responsio contra sectarios potentissima.

Deum non esse tentandum.

Deut. 6.

Math. 4.

Math. 10.

Ioan. 10.

Math. 2.

Ioan. 7.

Christus exẽplo suo probat fugam in persecutione.

retur mori, sed cuius horæ opportunitate dignaretur occidi. Qui ergo palàm docendo, & arguendo, & tamen inimicorum rabiem valere aliquid in se non sinendo, Dei demonstrabat potestatem: idem tamen fugiendo, & latendo hominis instruebat infirmitatẽ, vt Deum tentare non audeat, quando habet quod faciat, vt quod cauere oportet, euadat. Neq; enim & Apostolus Paulus desperauerat adiutorium, protectionémq; diuinam, fidémque perdiderat, quando per murum in sporta submissus est, vt inimicorum manus effugeret. Non ergo in Deum non credendo sic fugit, sed Deum tentaret, si fugere noluisset, cùm sic fugere potuisset. Proinde cùm inter ignotos propter excellentissimam pulchritudinem Saræ, & eius pudicitia & mariti vita esset in dubio, nec vtrúmque tueri posset Abraham, verumtamen vnum horum posset, idest vitam, ne Deum suum tentaret, fecit quod potuit, quod autem non potuit, illi commisit. Qui ergo se hominem occultare non voluit, maritum se occultauit, ne occideretur, vxorem Deo credidit, ne polluereturr. Quid obsecro doctius, quid acutius, quid ad propositum & aduersus sectariorum magistrum accommodatius dici potuit? vt ne quidem verbum huic 36. capiti addere sit opus.

Idem probat exemplo suo D. Paulus.

Quod attinet ad secundam Veneti rationem, in qua ex D. Hieronymo ait Abrahamum à Deo certiorem factum fuisse, quòd Sara non violaretur, nusquam reperio apud D. Hieron. qui tantùm in quæstionibus Hebraicis de hoc c. 12. loco disserẽs hæc habet: *Licet corpus sanctarum mulierum non vis maculet, sed voluntas, & excusari posit Sarai, quòd famis tempore sola regi in peregrinis locis, marito conniuente resistere nequiuerit, tamen potest & aliter fœdæ necessitas excusari, quòd iuxta librum Hester, quæcumque mulierum placuisset regi apud veteres, sex mensibus vngebatur oleo myrtino, & sex mẽsibus in pigmentis varijs erat, & curationibus fœminarum, & tunc demùm ingrediebatur ad regem. Atque ita potest fieri, vt Sarai postquam placuerat regi, dum per annum eius ad regem præparatur introitus, & Abrahæ Pharao multa donauerit, & Pharao postea sit percussus à Domino, illa adhuc intacta ab eius concubitu manente.* Lyra quidem in 20. cap. Gen. ait Abraham sciuisse, quòd Saræ adesset Angelus, sed quod Venetus ex Zohar addit, discutiamus. *Videbat*, inquit, *Sachinam in ipsa i. effectum Spiritussancti.* Sachina autem שכינה idem est, quod diuinitas, maiestas, gloria diuina inter homines habitans; nam cùm Exod. 29. vers. 45. ponitur. Et habitabo in medio filiorum Israël, וְשָׁכַנְתִּי Veschacanti, Chaldæus vertit, *& habitare faciam maiestatem meam*, vnde Rabini dicunt non scribi, *& habitabo*, nisi de maiestate sancti Dei benedicti, iuxta Psalmum 85. *Vt habitet gloria Dei in terra nostra:* vnde & habitaculum, seu tabernaculum dicitur מִשְׁכָּן Miscan, quod à radice שָׁכַן descendit, idest habitauit: vnde & שָׁכֵן vicinus dicitur. Vt partim annotauit Pagninus, partim Buxtorfius in Lexico, qui in breui Lexico Rabbinico philosophico præter Dei præsentiam ait etiam significare Spiritum sanctum, & pignus, quod non parum Veneto faueret, si probare posset Abrahamum in vxore vidisse Sechinam, de quo idem Buxtorfius c. 3. Synagogæ Iudaicæ, postquam de cura, quam Deus de infantulis habet, quàmque matres habere debent, edisserit, ait assuefaciendos esse, vt capite tecto incedant, quod Schechinah, siue maiestas diuina super eis se libret, id testantibus Chachamim, ne si capite nudo incedat quis ad Schechinah caput impingat, fiat impudens,

Opinio D. Hieronymi de Sara ad pharaonem introducẽda.

Cõsuetudo mulierum quæ se vngebant 6. mensibus antequam accederent ad regem.

Buxtorfius sectarius.

Quid sit Schechinah.

impudens, & obliuiscatur mandata Dei; vnde legitur in Gemara dixisse R. Eliezerum puerum capite nudo incedentẽ, nothum esse; Mamzer est, inquit. R. verò Iehosua dixit ex impura matre natum; vtrúmque verò confirmauit R. Akibba, quod postea mater fassa est. Multa alia subiungit de puerorum educatione vsque ad 13. ætatis annum, post quem fiant sexcentis, & 13. legis Mosaicæ mandatis obnoxij: ante verò si quid peccat, pœna manet patrem: vnde pater vocat ad se Miniam, idest Iudæos decem, ante quos testatur filium ad iustã ætatem peruenisse, vt Patur, idest liber sit à peccatis filij, qui sit Bar Mitzuah, idest peccata sua in propria persona luere debeat quia est filius mandatorum. Cætera taceo quæ passim de Iudæis ridicula totis 36. capitibus refert. Vt ad nostrum Georgium pedem referam, qui sine fundamento, soláq; Zoharis authoritate fultus mendacium illud propagare velit, quod meo quidem iudicio ab Indice Hispano præteriri nõ debuit, maximè cùm è scripturæ verbis potiùs colligamus contrarium, vt patet ex 12. cap. in quo respondet Abraham se id vxori persuasisse, vt mortem vitaret.

Quomodo Iudæi hoc sęculo pueros suos educent.

Mamzer.

Miniam.

Patur.

Bar Mitzuah.

Anno 13 Iudæi ad 613. præcepta legis Mosaicæ suos filios obligant, & filij mandatorũ appellantur

Veruntamen si Venetus intendat solùm, quòd Saræ talem esse pudicitiam Abrahamus nouisset; tantúmque in ea Dei vigere timorem, vt nunquam consensura esset vlli peccato, tunc potiùs in verbis, quàm in sensu reprehendendus est.

Denique ratio vltima Veneti sensum tropologicum includit, quem quidem habet, licet nõ ita expressum Orig. hom. citata. Sed præstat alium sensum allegoricum ex D. Aug. c. 38. lib. citati discere, quem more solito præclarè per tria capita edisserit. *Iam verò*, inquit, *in hac re gesta, quæ in diuinis libris posita, fideliterque narrata est, quem non delectet etiam factum propheticum perscrutari, & sacramenti ostium pia fide studióq; pulsare, vt aperiat Dominus, & ostendat quis tunc in illo figurabatur viro, & cuius sit vxor, quæ in hac peregrinatione, atq; inter alienigenas pollui, maculariq; non sinitur, vt sit viro suo sine macula, & ruga. In gloria quippe Christi rectè viuit Ecclesia, vt pulchritudo eius honori sit viro eius: sicut Abraham propter Saræ pulchritudinẽ inter alienigenas honorabatur, eiq; ipsi, cui dicitur in Cant. Cant. O pulchra inter mulieres, ipsius pulchritudinis merito reges offerunt munera; sicut Saræ obtulit Rex Abimelech, plus in ea admirans formæ decus, quod amare potuit, & violare nõ potuit. Est enim & sancta Ecclesia Domino Iesu Christo in occulto vxor.*

Pulcherrima D. Augustini allegoria de Christo, & Ecclesia per Abraham & Saram præfiguratis.

Occultè quippe, atque intus in abscondito secreto spirituali, anima humana inhæret verbo Dei, vt sint duo in carne vna; quod magnum coniugij Sacramentũ in Christo, & in Ecclesia commendat Apostolus. Proinde regnum terrenum sæculi huius, cuius figurã gerebãt reges, qui Saram polluere permissi non sunt, non expertum est, nec inuenit Ecclesiam coniugem Christi: idest, quam fideliter illi tanquam præcipuo viro suo subdita cohæreret, nisi cùm violare tentauit. Diuino enim testimonio perfidem martyrũ cessit, correctiúmq; in posterioribus regibus honorauit munere, quam corruptioni suæ subdere in prioribus nõ eualuit. Nam quòd tunc in eodem rege prius & posterius figuratum est, hoc in isto regno prioribus, & posterioribus regibus adimpletur. Cùm autem dicitur de patre esse sororem Christi Ecclesiam, non de matre, non terrenæ generationis, quæ euacuabitur; sed gratiæ cælestis, quæ in æternum manebit, cognatio commẽdatur. Secundum quam gratiam genus mortale non erimus, accepta potestate, vt filij Dei vocemur, & simus. Neq; enim hanc gratiam de Synagoga matre Christi secundũ carnem, sed de Deo patre percepimus. Hanc verò cognationem terrenam, quæ ad mortem temporaliter generat, vocans in aliam vitam, vbi nullus moritur, negare nos Christus docuit non fateri, cum discipulis ait, Ne vobis dicatis patrem in terra, vnus enim est pater vester, qui in cœlis est. Cuius rei præbuit exemplum, quando & ipse dixit, Quæ mihi mater, aut qui fratres? Et extendẽs manus super discipulos ait, Hi sunt fratres mei. Et ne quisquam in hoc vocabulo terrenam cognationem cogitaret, adiunxit, Et quicumque fecerit voluntatem patris mei, ipse mihi frater, & mater, & soror est: tanquam diceret; de Deo patre hanc cognationem appello, non de Synagoga matre. Ad æternam quippe vitam nunc voco, vbi immortaliter natus sum, non ad temporalem, vnde vt vocarèm, mortalis effectus sum.

Genes. 2.

Ad Eph. 5.

1. Iosue. 1.

Math. 32.

Math. 12.

Quòd ergo Ecclesia, cuius vxor sit, occultatur alienigenis, cuius autem soror non tacetur, hæc interim causa facilè occurrit: quia occultum & difficile ad intelligendum est, quomodo anima humana verbo Dei cõpuletur, siue misereatur: siue quid melius, & aptius dici potest, cùm sit illud Deus, ista creatura. Secundum hoc enim sponsus & sponsa, vel vir & vxor, Christus & Ecclesia dicuntur. Qua verò cognatione sint fratres, Christus & omnes sancti, gratia diuina, non consanguinitate terrena, hoc est, de patre, non de matre, & effabilius dicitur, & capacius auditur. Nam & inter se omnes sancti per eandem gratiam fratres sunt: sponsus autem cæterorum societate, nullus illorum est. Proinde Christum, quamquam excellentissimæ iustitiæ, atque sapientiæ, tamen hominem multo faciliùs, & procliuiùs alienigenæ crediderunt, non quidem falsò, quòd homo esset, sed quomodo etiam Deus esset, ignorauerunt. Hinc & Hieremias, Et homo, inquit, est, & quis cognoscit eum? Et homo est, quia proditur quod frater est, & quis cognoscit eum, quia occultatur quòd sponsus est? Hæc de patre Abraham aduersum impudentissimam, & imperitissimam, & calumniosissimam Faustì, sicut & Caluini, *vocem dicta sint.*

Cap. 11.

Hier. 17.

Si quid autem è Rabinis colligere fas est, dicemus Abraham non tradidisse Saram prædictis regibus, sed vi raptam fuisse, licet in arca sese occultasset. De Angelis verò B. Agnetis, & Cæciliæ non est quòd aliquid adiungam, cùm tota Ecclesia Catholica illud die 21. Ianuarij, & 22. Nouembris publicis laudibus efferat, & personet.

Hæc autem omnia ex D. Aug. ad verbum referre volui, quia è diametro pugnant cum illis sectarijs, de quibus antea: adeout ne syllabam quidem verbis D. Augustini subiungere necesse sit. Quapropter ad alia problemata curramus.

PROBLEMA CXIII.

I.

CAPVT XIII.

VR Deus promisit Abrahæ terram illam fœlicem, postquam separatus est ab eo Lot? Nonne quia Lot indignus erat hæreditate illa diuina? Nam sicut erat alienus à Deo, ita elegit pro habitaculo regionem illam Pentapolitanum, habitatores illos pessimos non abhorrens, sed adhærens tantummodò fertilitati rerum temporalium, diuinis & sanctis omnino postpositis. Nec propter opera, vel merita sua per Angelum ereptus fuit ab incendio regionis illius, sed propter Abraham; vt in textu clarè habetur, vbi dicitur: Cùm subuerteret Dominus ciuitates

Cap. 13.

Versiculus 14. & 15.

Cap 19.

tes regionis illius, recordatus est Abrahæ, & liberauit Lot de subuersione. Et quòd talis fuerit Lot, indicatur ex contentione facta inter pastores ipsius Lot, & Abrahæ. Illi enim (vt Zohar asserit) cultũ gentium regionis illius sequi volebant. Hinc non sine causa scriptum est; Chananæus tunc erat in terra illa.

RECTE Censores sanctæ Inquisitionis hoc totum problema deleri iubẽt, quod redolet impietatem, nec parum miror, quí fieri potuit, vt tam fœdè Venetus hallucinaretur, quem non animaduertisse credo D. Petri Epist. 2. quomodo enim aduersus scripturam pugnasset, qui scripturam interpretabatur? ergo D. Petrus c. 2. cùm ostendisset Noë iustitiæ præconem à Diluuio seruatum esse, addit, *Et iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit, aspectu enim, & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Ne verò dixeris eum aspectu duntaxat, & auditu iustum fuisse propter hunc textum in quo de aspectu & auditu sermo est, quandoquidem sensus contrarius ex istis verbis potiùs elici debet, nam Græcus contextus habet βλέμματι γὰρ καὶ ἀκοῇ ὁ δίκαιος ἐγκατοικῶν ἐβασάνιζε, inspectione enim, & auditione iustus ille versans inter eos; nam pessimos inter positus Lot, mala eorum non tantùm opere, sed oculis, & auribus auersatus est, adeout inter tot impiorum exempla iustitiam non reliquerit.

D. Petrus epist. 2. c. 2.

Non est autem, quòd inquiramus an in tradendis, aut proponendis filiabus suis, vt isti scarabæi verè copronimi illis abuterentur scelus commiserit, siue enim Lot sciret hos esse pæderastas, & misogenes, fœminásq; auersari, nec vsuros Lot oblatione, sed in masculos duntaxat insanire, adeout filias obtulerit, non vt flagitium flagitio redimeret, sed vt à cœptis desisterent (quem enim, vel ferreum tam incredibilis submissio non frangeret, vt bene Delrio) siue id fecerit, vt inter mala duo minus eligeret, quod persæpè licet (an verò tunc liceret, alibi fortè disputabimus, cùm interea videri possit Lessius, qui 2. de Iustitia cap. 13. dub. 3. n. 19. partem negatiuam sustinet, quem sequitur Cornelius) siue ob quamcúmque aliam rationem parum refert, nam Venetus iam eum facit iniquum, atque hæreditate promissa indignum, antequam ad Sodomæos incolas accederet; fingítque ex suo cerebro Lot elegisse locum illum, vt adhæreret fertilitati rerũ temporalium, adeout diuina omnia contemneret; tametsi enim Lot Iordanis regionem, vt pulchriorem elegerit, quid iniusti fecit? numquid ex 2. propositis iure melius eligi potest, ne dicam, debet? adde quod probabile sit nescijsse Lot Sodomæ incolas tam improbos esse, ad quos eius iter prouidentia diuina directum esse credendum est, vt ipsi pessimi quotidie sanctam iusti vitam, velut exemplar habentes, aut à peccatis nefandis desisterent, aut nullam peccatorum excusationem obtendere possent. Ad quid enim impij viuunt, nisi vt bonos exerceant, aut horum exemplo corrigantur?

An peccauerit Lot dum filias exhibuit.

Lessius.

Cur patriã Sodomorũ Lot elegerit.

Neque verò negare velim, Lot propter Abrahami preces liberatum fuisse, sed quid illud obstat quominus simul ob vitę sanctitatem, qua dies suos Lot transegerat, ab incendio ereptus fuerit, quod ex precum Abrahami formula confirmatur dicentis, ne perdas iustum cum impio: denique tametsi Lot in offerendis filijs etiam lethaliter peccasset, attamen non erat tantum peccatum, vt tantæ iustitiæ virum, qui tempus omne in bonis operibus, præcipuè liberandis à Sodomia peregrinis consumpserat, tantæ impietatis reum Georgius faceret: quandoquidem inconsideratio, & ingens animi perturbatio, atque consilij inopia multum de peccati grauitate minuerit; nec desunt, qui penitus à peccato Lotum excusent, cùm eius consilium approbasse videatur Spiritus sanctus, Sap. vlt. dum impios in foribus iusti subitaneis coopertos esse tenebris asserit; eundémque cap. 10. iustum vocat fugientem à pereuntibus impijs, & in eius gratiam tantum miraculum factum est, vt id ab omni dubio nos eximere videatur, quod adhuc ex eo probabilius apparet, quod iam istæ filiæ primarijs vrbis desponsatæ essent, vt post Caiet. & alios notat Salianus anno 2138. n. 50. ac proinde Lot existimare potuit eos numquam istis filiabus abusuros, ne debito supplicio à maritis afficerentur: vnde concludit Caietanus. Et propterea non declinauit Lot à iustitia in huiusmodi oblatione; multi enim suadere videtur aliquod malum, quod satis nouerunt futurum non esse, vt illa suasione hyperbolica sibi infensos placare valeant, vel vt suam innocentiam probent, aut promissa confirment, quemadmodum Dauid 1. Reg. 10. Ionathæ dixit, si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice; & Ruben Genes. 42. patri: duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi, méque legisse apud Ionuileum in vita S. Ludouici Galliæ nostræ Regis memini, militem à rege condemnatum, vt ensem offerret, & brachium nudum ei, quem offenderat, vt si vellet offensus liberè brachium sine vlla reprehensione abscinderet. Nec profectò quidquam ad misericordiam ab hoste impetrandam, eiúsque quamuis infensissimum animum flectendum, atque frangendum efficacius esse credidero, quàm si quis sese demittat, suam culpam libentissimè fateatur, séque ipsi inimico ad quoduis supplicium offerat: quem etiam modum in fusis ad Deum precibus, & in postulanda scelerum nostrorum venia seruare debemus. Oleaster etiam negat Lot in illa oblatione peccasse: perperam igitur Venetus de Loto. Placet autem Salianus anno mundi 2116. cùm Philonem reprehendit, qui pastorum culpam in herum retulit, & Hebræos quosdam, qui Lot vitio verterunt, quòd inter Sodomitas habitare voluerit: nec quidquam inde concludere potest Venetus, quòd Chananęus tunc in ea terra habitaret, alioqui peccatorem & iniustum faciat Abrahamum sicut & Lot necesse fuerat: quod absit.

Quòd Lot iustus fuerit.

Sap. vlt.

Qui tenent Lotnõ peccasse.

Genes. 42.

S. Ludouicus Rex in iustitia seuerus.

Oleaster.

Quomodo facilè leniatur animus inimici.

Ex quibus, concludendum est Catholicos maximè cauere debere, ne Rabbinos, Cabalistas, aut quoscúmque alios, siue vetustos Theologos, siue Sapientes, siue quocumque alio nomine eos Venetus appellarit, contra scripturæ sensum, aut patrum communem sententiam, aut rationem sequantur.

PROBLEMA

PROBLEMA CXIV.

1. 2. CAPVT XIV.

QVISNAM fuit Melchisedech, & cur panem & vinum obtulit vt in Genesi habetur? An fuit absque genealogia, vt Paulus innuit? An fuit verus homo? Nam (vt Hebræorum multi asserunt) fuit Sem filius Noeh. Cui opinioni Hieronymus consentire videtur. Et hic introducitur sine patre, & matre, vt Melchisedech, non autem vt Sem. Hic verò (vt in textu dicitur) erat rex Salem; idest Ierusalem, quæ priùs Salem vocabatur. Sed post visionem Abrahæ factam fuit additum illud verbum יראה ieru, idest visio. Hic quoque Melchisedech erat Sacerdos, non quippe idolorum, sed Dei altissimi. Obtulit autem panem, & vinum, cibum videlicet, & potum corpori, & sanguini accommodatissimum, in eorum videlicet sanctificationem. Quod & redemptor humani generis prosecutus est: An vt per panem conciliaret partem dextram, per vinum verò sinistram; & hinc placaret iram, inde autem gratiam compararet?

Genes. 14.

AdHebr. 7.

Versiculus 18.

יראה

3.

CERTVM est Melchisedechum fuisse verum hominem, quomodo tamen absque genealogia dici possit, & an sit filius Noeh, non vsque adeò certum est, vt cõtrouersia careat; imo non desunt, qui probabile putent eundem cum Semo fuisse, contra Procopium, & Epiph. hær. 55. Melchisedecianorum, quod existimare videtur D. Hier. in tradit. Hebr. & ep. 146. ac multi recentiores Genebr. Torniel. 6. anno tertię ætatis n. 9. & 44. Eugub. Caiet. &c. Veruntamen longè probabilius est, tametsi neque spiritussanctus, contra Melchisedecianos, neque Angelus contra Didymum, & Origenẽ fuerit, non fuisse Sem filiũ Noë, sed aliquem è regulis Chananæorum, qui tamen inter illos pius, & sanctus vixit, quod ex eo probari potest, quòd Sem genealogia describatur, Melchisedec verò nõ habeat genealogiam in scripturis expressam; deinde Sem cum posteris occupauit Orientem, Cham cum suis terram Chanaam, in qua Salem erat, non quæ postea Ierusalẽ dicta est, sed alia prope vallem Suaue, quæ erat vallis regia Melchisedech, ad quam cùm Abraham rediens in Hebron accessisset, versus Salem visendi Melchisedecis gratiâ nonnihil deflexisse videtur; itaq; Melchisedech fuit Chananæus, illúdque nomen proprium, & non tantùm appellatiuum habuit, contra Caietanum; fuítque Christi typus, quem B. Ignat. epist. ad Philadel. & Suidas regem, pontificem & virginem faciunt.

Epiphan. Hieron.

Quisnam fuerit Melchisedech.

Fuit Chananæus.

Ignatius.

Multi verò istius Salem, quæ postea Ierusalem dicta est, & aliquando Iebus Psal. 75. v. 3. in Hebræo regem fuisse putant Melchisedech, ob quorum authoritatem id probabile iudicari debeat, ita enim Irenæus, Euseb. Cæsar. & Emiss. Apollinar. Ioseph. Chaldæus, Procop. Abulensis, Masius, Isidorus, & Ribera cum alijs pluribus. Vt verò redeamus ad eius originem, probatur tertiò fuisse Chananæum, non verò filium Sem, idque ex communi patrum sententia, quam D. Hier. refert ep. 126. ad Euag. Suidas autem ait eum in Sione vrbẽ ædificasse, quam Salem, seu pacificam dixit, in qua postquam 113. annos regnasset, obijt vir iustus, & per omnem ætatem virgo; Præterea oriundum vult à Side filio regis Lybiæ, cuius parẽtes Epiph. Heraclam patrem, Astaroth verò, seu Asteriam matrem appellat. Denique Melchisedech non annumeratur in generationibus Leuitarum, in quibus Sem ponitur, nam si texamus genus Leuitarum, statim occurrit Leui, ex quo nomen habent, deinde Iacob illius pater, & Abraham, in quo vt in parente decimati sunt, demùm Thare, Arphaxad, & Salem: At de Melchisedech satis, quem Christi typũ fuisse multifariam ostendunt D. Pauli interpretes ad Hebr. 7. & quidem primò in ethymo, cùm rex iustitiæ vterque fuerit, 2. in officio & statu fuit vterque rex pacis: 3. sine patre, & matre. 4. in ætate, & duratione, cùm vtérque quasi æternus inducatur in Scriptura. 5. in pontificatu. 6. in sacerdotio Eucharistico.

Psalm. 75.

Ierusalem quo nomine priùs appellata sit.

D. Hieron.

Cuius filius fuerit Melchisedech Suidas.

Melchisedech & Christus cõferuntur in sex rebꝰ.

AdHebr. 7.

Quandoquidem verò Caluinus, & Beza cum alijs sectarijs volunt à Melchisedeco panem, & vinum prolata fuisse ad cibum militum, vel ad epulum victoriale, non autem ad sacrificium pacificum in gratiarum actionem pro victoria Abraham, eúmq; non sacerdotem, sed principem fuisse, vt patet ex eo quod, vbi nos habemus; erat enim sacerdos, והוא כהן vehu cohen, & ipse Sacerdos, verterunt principem, quia 2. Reg. 8. vers. 18. cohen significat principem, rem totam quambreuissimè fieri poterit, placet discutere.

Caluinus.

והוא כהן

2. Reg. 8.

Nonnulli præter hæreticos existimant Melchisedech panem & vinum solummodò produxisse, vt cum suis Abraham reficeretur, vt Ioseph. qui 1. Ant. nõ meminit sacrificij: Caiet. hîc, quod Oleast. refert ex Hebræis, qui, vt est apud D. Hier. suprà, redeũtibus ex bello, parta victoria exibant obuiam cum pane, & vino, ad eos refocillandos. At omnino statuendum est cum Ecclesiæ patribus (quę latè Scholastici referre solent, cum de Sacerdotio Christi, vel Eucharistia disserunt, & videri possunt apud Suar. 1. tom. 3. part. disp. 46. sect. 4.) Melchisedech panem, & vinum ad sacrificiũ protulisse, sic enim Christi figura fuit, & verbum quod hîc habetur, est sacrificale, vt ex Geneb. Tena notat תרצא hotsi, quod præsertim constat ex sequentibus actibus, quorum 2. fuit Abrahæ benedictio; 3. acceptio decimarum, qui sunt sacrificales, ac proinde debuit actio prima, qua panem, & vinum obtulit, ad sacrificium pertinere. Est & aliud vnde Melchisedecis sacrificium confirmare possimus, cùm particula *enim*, inferat eum in pane, vinóque proferendis fuisse sacerdotem; nec est quòd sectarij respondeãt illam particulam causalem ad sequentia verba referri, cùm ad actum benedictionis non sit necessarius sacerdos: id enim patres, & matres erga filios, senes erga iuuenes faciũt. Tametsi verò non ita sit expressa in Hebræo particula *enim*, ponitur tamẽ ו, quod sæpè causæ vim obtinet, vt cùm Gen. 20. dicitur, *Et morieris propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum.* Hebraicè scribitur, *& ipsa habet virum.* Et Psal. 107. *Da nobis auxiliũ de tribulatione, & vana salus hominis*, idest, *quia vana salus hominis*, ita notat Pagnin. 1. Inst. c. 24. & 70. vsi sunt particula de causali, quam tripliciter sumi Theodorus Gaza l. 2. Grammaticæ docuit, nempe συμπαρεκτικῶς, καὶ συλλογιστικῶς, καὶ αἰτιολογικῶς; idest copulatiuè, & ratiocinatiuè, & circumscriptiuè. Neque tamen negare velim eum panem, & vinum etiam ad reficiendum Abraham proposuisse, nec enim vnum aliud excludit, quod Clem. Alex. 4. strom. censuit.

An Melchisedech sacrificium obtulerit. Oleaster.

Suares.

Tres actiones Melchisedech. Tena תרצא

Quos actus hotsi complectatur.

Genes. 20.

Pagninus.

Particula Græca de tripliciter sumitur.

Clemens Alexandr.

Cohen quid significet.

Contendunt etiam sectarij de nomine Cohen, quod cùm ambiguum sit ad sacerdotem,& principem,ne cogantur admittere Melchisedechũ eiúsq; sacrificium typum fuisse Christi sacrificium incruentum & Eucharisticum instituẽtis, volunt hîc sine vllo fundamento contra pátrum sententiam, & totius Ecclesiæ consensum Cohen significare principem,in qua significatione nonnumquam in Scriptura sumitur vt 1.Paral.18.v.17. 2.Reg. 8. v.18. vbi pro Kohauim 70.verterunt αὐλάρχαι, sed vt iam dixi ab hac ambiguitate, quæ subsequuntur, nos abundè liberant,cùm ideo benedixerit Abrahamũ, & ab eo decimas acceperit, quia erat sacerdos Dei altissimi ἦν δὲ ἱερεὺς τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου. Paraphrasis Chaldaica habet קדם אל עליצה והו משמש. *Et ipse erat minister coram Deo excelso.* Vehu Meschammesch cadam el hillatsi. Quomodo sumitur Dan.7. vers.10.

1.Paral.18.
2. Reg 8.

Ex Rabinis probatur Melchisedec sacrificasse.

Nolim hîc aduertere literis penitus ijsdem scribi Solem Hebraicè שמש, ac ministrum, & sacerdotem Chaldaicè, quòd sicut sol sacerdotes omnibus Melchisedecis instar prælucere debeant, vt etiam ostendamus ex Rabbinis, si quæ possit eis fides haberi, Cohen hoc Genesis loco pro sacerdote sumendum esse:nam in 14.c.Gen. R.Haddarsan sic ait; quid docet dicendum cùm ait,protulit panem, & vinum,R.Samuel filius Nahaman dixit;sententias sacerdotij tradidit, erat enim ipse sacrificans panem,& vinum Deo sancto, & benedicto, quod hîc in Bereschit Rabba dixit. R.Phinées in 28.Numer. Tempore Messiæ inquit,omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis & vini non cessabit, sicut dictum est Gen. 14. Et Melchisedech rex Salem protulit panem, & vinũ: Melchisedech enim rex Messias excipiet à cessatione sacrificiorum panis,& vini,sicut dicitur Psal. 110. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech,vel vt R. Moses Hadarsan scribit, secundũ verbum, vel propter verbum Melchisedech. Iterũ in idem cap. Gen. ostendit, quòd docuit eum sacerdotij actum, qui erat panem, & vinum sacrificare, & hoc est, quod habetur in Psal.110. Tu es sacerdos in æternũ.

R. Haddarsan.
R. Samuel.
Cohen significat sacerdotem.
R. Phinées.
Genes 14.
Psalm. 110.

Vt partim Galat. partim Steph. noster in suis Collectionib⁹ sacris de sacratissimo Eucharistiæ Sacramento pag.179. refert. R.Iochai quem per multos annos Christum antecessisse Galat. ait,l.10.c. 6. qui scripsit librum Zohar Pentateuchum allegoricè explicando sic ait. Sacrificium panis, & vini nunquam deficiet, sacrificium quidem vini, sicut scriptum est Gen. 49. *Ligans ad vitem ciuitatem suam,* idest corpus suum, corpus enim ciuitas est animæ: item scriptum est Iudic. 9. *Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines?* Et si homines quidem lætificat,Deo autem in quo lætitiam affert?In sacrificio, quod de ipso fiet. Sacrificium verò panis numquam defecturum esse ex eo apparet, quod dictum est, Psal. 72. *Et erit placenta frumenti in terra,in capite montium.*

R. Iochai.
Galatinus.
Stephanus Daluinus.
Genes. 49.
Iudic 9.
Psalm 72.

De Messia.

Erat autem apud veteres Hebræos dogma receptissimum in aduentu Messiæ benedicti cessatura esse omnia legalia sacrificia, tantúmque celebrandum sacrificium Thoda gratiarũ actionis, laudis, & confessionis,& illud peragendum pane,& vino, sicut Melchisedech rex Salem, & Sacerdos Dei altissimi temporibus Abrahami panem, & vinum protulit; hæc Theodorus Bibliander apud Antonium Stephanum, vbi suprà.

R. Kimhi.
R. Salomõ.

Denique R.Kimhi in Psal.100.& 33. Ier. nec non R.Salomon in Psal. 71. asserunt loco Mosaicorum sacrificiorũ in aduentu Messiæ successurum hoc sacrificium,quod Minha dicitur,de quo Malac.ca.1. mentionem fecit, & Toda, de quo etiam alij prophetæ multoties Spiritu sancto afflati vaticinati sunt: Minha sacrificium farinaceũ significat: Toda verò sacrificiũ Eucharisticum,& gratiarũ actionis: quæ testimonia tanto maioris mométi in præsenti existimanda sunt, quanto magis Rabbini Christo nobisq; infensi sunt, vt etiam non mediocri admiratione dignum sit, quod ab inimicis nostris nil minus cogitantibus veritatem eliciamus.

Toda.
Minha.
Rabini Catholicis fauent nonnumquam.

R. Semlai.
R. Moses Hadarsan.

At libet addere magnũ Rabb. mysterium, quod etiam non parum ad sacrificij Melchisedec veritatem asserendam valet; cùm heretici interrogassent R.Semlai,referéte Capnione l.2.c.9. Quot dij creauerunt mundum? ait illis: Ego, & vos quæramus à diebus antiquis. In commentarijs autem R. Moses Hadarsan in li. Gen. habetur, quòd sic eis responderit; Ego & vos quæramus à lege. Nam non est scriptum, creauerunt Dij Adam, sed creauit Dij Adam. Rursus interrogauerũt eum: Quid est quod scriptum est, In principio creauit Dij cœlũ & terram? Dixit R. Semlai. In omni loco,in quo inuenis pro hæreticis obiectionem,inuenis quoque medicamentum illius in latere eius. Cui simile est illud, quod R. Iohanan dixisse fertur l. Sãhedrin c. Echad dine Mamonoth,idest,vnum iudiciorũ diuitiarum. Omnis locus, vnde Epicurei facti sunt hæretici, respõsionem habet in latere, vbi enim dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem nostram,* ibi quoq; dicitur, *& creauit Dij:* & cùm dicitur Gen.11. *Descendamus, & confundamus labia eorum:* ibi etiam habes, *& descendit Dominus ad videndam ciuitatem, & turrim:* & vbi Gen.35. legimus, *apparuerunt Dij,* statim additur, *& fac ibi altare Deo, qui apparuit tibi.*

Genes.1.
Modus cõuincendi hæreticos ex Rabinis.
R. Iohanã.
Genes 11.
Genes 35.

Multi patres referũtur, qui Melchisedeci sacerdotiũ astruunt, nec non sacrificium.
Confutantur hæretici.

Possum autem hîc argumento simili aduersus sectarios sacrificij incruenti tam veri, quàm typici infensissimos hostes, & sanctissimæ Ecclesiæ leges ventri suo postponentes, vti: nam si dixerint cohen esse significationis vagę, ambiguę,& incertę, videát obsecro ab omnibus circumstantijs, cõsequentijs, interpretibus, ac patribus illa verba ad sacerdotis significatum determinari: sic enim 70. sic Chaldęus paraphrastes: sic patres, quos fusissimè refert noster Anton.c.2. Collat.sacrarum, nempe, Clem.4. strom.c.8. Eus. Cęs.l. 5. de dem. Euang. c.3. Chrys. hom.35. in Gen. Theod.q.63. in Gen. & ad Psal.109. Isychium l.6. in Leuit.c.23. Damasc.4.fid.orthod.c.14. Theoph.ad c.5.ad Hebr. & ib. Oecum. Cyp.ep. 65. Ambr.4.de Sacram.c.6.& l.5.c.1. Hier. ep.17.ad Marcel.c.2.& 126.ad Euag.in q.in Gen.ad Psal.75. & 169.& ad c.26. Math. D. Aug. 4. de Doct. Christ. c.21 Cęteros apud eundem legere potes. Hactenus credo satis patet oblationem panis, & vini, quibus Melchisedech vsus est, fuisse sacrificium incruenti nostri typicum. Reliquum est, vt videamus quid per partem dextram, sinistramve Venetus intelligat, quod plerumque repetit, vt in problematibus iampridem allatis videre est.

An igitur per sinistram manum intelligit iram Dei, vel malitiam, vnde sinister fuit spiritus, qui egressus est,& stetit coram Domino,& ait, *Ego decipiam Achab,& egrediar,& ero spiritus mẽdax in ore omnium Prophetarum eius.* Et Eccl.10. dicitur, *Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius:* Hœdi verò, cùm Dominus ad iudicandum venerit stabunt à sinistris, vt à dextris agni: & in Prou. scribitur, *Dexteras vias nouit Dominus, quæ autẽ peruersæ sunt à sinistris sunt.* Qui ergo sapiens est, semper de futuro sæculo cogitat, inquit Hieron. vt in Indice operum

Eccl. 10.
D. Hieron.

operum illius legitur verbo (*sinistra*) qui verò insipiens est de præsenti, quod positũ est in sinistra.

Vnde Poëta:

Dextera quæ magni Ditis sub mœnia ducit,
Hac iter elysium nobis: At læua malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Sinistra sumitur in malam partem.

Et quidem verissimum est in scriptura nonnunquam sumi sinistram in malam partem, imo sæpiùs; dexteram verò in bonam partem; quapropter non ideo reprehendendus est Venetus, si quoties de malo loquitur, vtatur sinistra, dextera verò cùm de bono disserit; at cùm nõ ita benè applicare videatur, ideóque modus loquendi quo sæpiùs vtitur, cauendus est, vt iam monui, quod etiam hîc animaduerti potest; quid enim ampliùs cum parte sinistra, quàm cum dextra communionis panis, aut vinum habet? Siuę enim de Melchisedecho loquatur, qui per panem sibi dexteram partem, & gratiam conciliarit, siue de Christo, qui per suum corpus, & sanguinem in tremendo altaris sacrificio patris iram placauerit, & gratiam nobis impetrarit, non video cur potiùs vni parti, quàm alteri panis, aut vinum applicetur.

De dextera læuáque.

Cùm autem dextræ, læuæque sermo toties recurrat paulo plura differamus. Dextra inquit D. Hieronym. vbi supra, & sinistra in Scripturis Sanctis, tunc in bonam partem accipitur, quando eas & iuxta Spiritum intelligimus, & iuxta literam, per arma iustitiæ à dextris, & sinistris, vt humilior intelligentia vitæ teneat institutionem, exempláque maiorum: & spiritualis, atque sublimis de præsentibus nos transferat ad futura.

Soto maior.
Plurimæ laudes de manu dextra.

Soto maior in c. 2. cantic. cantic. refert ex Plutarcho, propterea sinistrum in augurijs, & auspicijs prosperum, & secundum existimari, potiùs quàm dextrum, quia terrena, ac mortalia diuinis, & cœlestibus contraria, oppositáque iudicantes antiqui existimauerunt, quæ nobis sinistra essent, Deos à dextra dimittere: Nam sinistra Deorum est nobis dextra, quæ verò nobis sinistra sunt, Deo & cœlitibus dextra dicuntur. Adde quod à dextra motus incipiat, latúsque sinistrum dextro sit multo debilius: & cùm antiqui pacem significare volebant, tangebant dextram teste Virgilio, Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni: quam vt liberam, & absolutam seruemus, in parte sinistra, cum onera ferenda sunt, gestamus. Ita verò dextra sinistræ prefertur, vt teste Beda libello de computo per digitorum motum, motus qui in læua significat vnitatem, in dextra mille valeat, nempe digiti auricularis in palmam extensio, sicque de cæteris motibus iudicandum est. Iámque passim viris excellentioribus dexter locus tribuitur, quem honoris locum appellant, licet Turcæ sinistram partem nobiliorem esse credant, quòd eam gladius delatus cohonestet, vt ex Augerio Gislecio Busbequio in itinerario Constantinopolitano refert Petrus Gregorius l.4. de Repub.c.10. numero 12. Adde quòd dexteram futura sponsa dextræ sponsi traderet, vt ex Raguelis filia iuniori Tobiæ iuncta constat, & aduertit ipse Gregor. in syntagmate iuris ciuilis l. 9. c. 5. n.21. Hebræi verò ימן Iaman, Chaldaicè, Syriacè, & Arabicè ימין Iamin quod significat manum dextram, pro bono ferè semper accipiunt, nam viri dilecti, & fortes, dicuntur viri dexteræ; sic enim Iacob Genes. 35. vocabat filium Ben-jamin. Rabi Leui vertit filium meridiei. Aben Ezra filium dierum, Rabi Dauid filium charum, præclarum, & dignum; licet Schindlerus in Pentaglotto notet olim sinistram, vt cordi viciniorem, fuisse digniorem. Dicitur etiam ימין Iamin, robur, potentia, virtus, vt patet cùm Psal.77. infinita Dei potentia per dexteram intelligitur ימין עליון Iemin helion, dextera Excelsi. Primi verò Regum 2. Bersabee, quam Salomon vt matrem summo honore afficiebat, sedebat ad dexteram eius; לימינו limino; & Psalm. 45. Regina cœli adstitit à dextris: Hinc fit, vt meridiem, dexteram mundi partem aspicientibus ad orientem, vt orantes antiqui solebant, Syri ימין, & Arabes, תימן timan vocent, vnde & verbum הימין hemin significat dextrauit, seu ad meridiem declinauit, vnde Gen.13. Abraham dixit Lot, separare à me; si sinistraueris, ego dextrabo. Denique Iamin maximè apud Arabes iuramentum significabat, quo nihil inter homines sanctius esse videtur.

Beda.
Turcæ putant sinistram esse nobiliorẽ.
Petrus Gregorius.
ימן
Gen.35.
Ben-iamin varia significat.
Psalm.77.
1.Reg.2.
Psalm.45.

Nomen verò, quod sinistram significat Chaldaicè, & Arabicè, nempe סמאל Semaal literis omnibus retentis significat Asmodai, dæmonis nomen; & סמל vnde deriuatur, significat idolum, quo Deus ad iram prouocatur; præterea illo nomine Septentrio, qui est ad sinistram orientem spectantibus, significatur; vndè & ab Aquilone panditur omne malum; Quæ omnia non parum Veneto fauent. Quapropter existimo Pythagoræos à parte sinistra constituisse principia materialia, vel vt mala, vel vt minus bona, formalia verò à parte dextra: ideóque quoties Georgius dextram, sinistrámue nobis ingerit, ea significare velle credendum est, quæ hactenus explicauimus, nempe per sinistram, quæ mala sunt, aut saltem mala respectu maiorum bonorum. Scio quosdam interpretes id cantici cant. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me,* mysticè explicare, vt per læuam Christi humanitatem, bona temporalia, ídque genus alia, per dextram æterna, & diuinitatem significent; alij per dextram appetitum rationalem, fidem,& cognitionem diuinam: per læuam appetitum concupiscibilem, cognitionem naturalem, & scientias acquisitas explicant. Sed hæc aliàs.

PROBLEMA CXV.

1. QVIS fuit maior, Melchisedechne an Abraham? Nonne (cùm ad maiorem spectet benedicere) maior fuit Melchisedech, qui Abrahæ benedixit, & ab eo accepit decimas? Maior est enim ille, cui decimæ dantur, quàm qui tribuit. Maior itaquè non immeritò fuit Melchisedech, eo quòd illum figurabat, qui fuisse dicitur sacerdos secundum ipsius ordinem, & qui fuit verus rex iustus, vt nomen ipsius Melchisedech indicat, quod est rex meus iustus. Verus enim rex iustus fuit ille, de quo Ieremias ait, *In diebus illis suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit*
2. *rex, & sapiens erit.* Sed amoto figurato non minor fuit Abraham, qui dedit decimas de כל col

An Melchisedech maior Abrahamo fuerit.
כל

(vt Hebræi dicunt) id est de mensura illa decima omnium bonorum plenissima, quam possidebat in hæreditatem (vt Zohar, & post eum author Portæ lucis testantur,) & qui fuit pater multarum gentium, & pes primus diuini throni, vt secretiores Theologi dicunt. Reueritus autem fuit Melchisedech ipse Abraham, tanquam sacerdotem in terra illa sancta, vbi & rex erat. Autor Portæ lucis.

VENETVS dubitandi occasionem nobis ingerit, dum negat Melchisedecum maiorem fuisse Abrahamo, si figuratum, Christum nempe semouerimus, adeout tametsi Melchisedech fuisset rex iustitiæ, rex pacis, rex simul, & sacerdos, non vnctus oleo sacerdotali, sed oleo exultationis, & fidei, panem, & vinum obtulisset, repræsentaretur vt carens initio, & fine, prædecessore, & successore, sine genealogia, & ab Abrahamo decimas accepisset, eúmque benedixisset, non tamen maior fuerit, nisi quatenus venturum mundi seruatorem referebat, nam Georgij verba id præ se ferre videntur: quæ non ita leuiter præteruenda arbitror, ac proinde mihi discutiendum propono, qua ratione, quásve ob causas Melchisedech ab Apostolo dictus fuerit maior: quòd enim maior fuerit his verbis testatur Apostolus ad Heb. 7. vers. 7. *Sine vlla autem contradictione, quod minus est, à meliori benedicitur.* Itaque rationem cur maior fuerit Melchisedech, inquiramus. Quod quidem meliùs inuenire non possumus, quàm si penitiùs ipsum tam Genes. 14. quàm Apostoli textum intueamur, maximè cùm nihil de Melchisedecho sciamus, præter ea, quæ in sacro codice habentur. Præcipuæ eius actiones, à quibus authoritatem, & excellentiam desumere videtur, sunt panis, & vini prolatio, benedictio Abrahæ, & decimarum receptio. Quod verò difficultatem auget est, quòd Abraham fuerit etiam Dei altissimi Sacerdos, nam teste Hieron. Epist. 126. primogeniti ante legem scriptam sacerdotes erant; at Thare primogenitus Abrahã fuisse videtur & c. 13. in loco altaris, quod fecerat priùs, inuocauit ibi nomen Domini: & 15. dicitur obtulisse sacrificium Deo; quapropter Abrahamus non minor fuisse videtur Melchisedech; Adde etiam quòd crediderit in spem contra spem, & Hebraici populi, atque credentium pater fuerit: nec obstat quòd Abulensis neget Abraham sacerdotem fuisse, eo enim nobis potior esse debet tum D. Hieron. tum D. Thom. q. 31. a. 2. ad 1. in tertia parte; deinde potuit vnus ab alio benedici, licet benedicens non fuerit maior, quod etiamnum apud nos fieri solet, vt non tantùm æquales æqualibus, sed & minores maioribus quandóque benedictionem impertiant. De decimis certum est non tantùm eas Sacerdotibus, verùm etiam Leuitis à populo datas fuisse, vt patet Num. 18. qui Leuitæ Sacerdotibus iterum decimam decimæ tribuebant. Etenim triplices erant decimæ; vt patet ex Deut. 14. primæ singulis annis offerebantur de cunctis fructibus terræ; secundæ triennijs singulis pro Leuitis, peregrinis, pupillis, & viduis fouendis; tertiæ denique erant decimæ decimarum, quæ decimæ secundæ, ac portio sancta dicebantur.

An verò à quibusdam Abraham decimas suscepit, non legimus; cùm tamen Gen. 15. multi de sacrificio factum Abrahami interpretentur, dum iussu Dei vaccam triennem, & capram trimam sumpsit, & diuisit: Nam in Chaldaica paraphrasi habetur, *offer coram me vitulos tres, & capras tres: deinde; & obtulit coram eo omnia hæc.* Sed ne diutiùs in hac difficultate immoremur, siue Abraham fuerit primogenitus, & Sacerdos, siue non fuerit, semota repræsentatione, qua Melchisedech Christum referebat; vix ac ne vix quidem iudicare possumus, quisnam fuerit maior: alioquin enim vtriúsque vita, & singulæ actiones in examen essent adducendæ, quod fieri nequit, cùm de vita Melchisedech nil habeamus præter ea, quæ Geneseos præsenti capite, & ad Hebr. 7. ac in psalmis leguntur. Vt tamen libenter aperiam, quod sentio, Venetum rectè sentire puto, nec enim video cur Melchisedech maior Abrahamo fuerit, nisi quatenus Christum repræsentauit; tantus enim in omnibus virtutibus fuit Abraham, vt vix vllum ei præferre, ne dicam æquare ausim; satísque nobis fuerit eatenus, eóque sensu maiorem Abrahamo fuisse, quo D. Paulus asserit, qui 7. rationibus probat Melchisedech, vt Christi typum in sacerdotio maiorem Aarone fuisse: licet enim Abraham dici possit in multis Christi typus fuisse, non ita tamen expressè repræsentauit altaris sacrificium, ac Melchisedech; qui Sacerdotibus Aaronicis benedixit, quatenus eorum atauo Abraham, (qui genuit Iacob; Iacob, Leui; Leui verò Aaron) benedixit, decimaútque eos, qui via seminali, seu per concupiscentiam carnalem ex Abrahamo descenderunt, non autem Christum, qui propterea non fuit in lumbis Abrahæ decimatus, quod ab eo tantùm secundùm corpoream substantiam, vel materiam descendat, idque per diuinam operationem sine maris, & fœminæ generatione; quomodo, si quis iam virtute diuina ex costa, aut quauis alia corporis parte hominis cuiuspiam efformaretur, non contraheret originale peccatum: Cætera apud D. Pauli interpretes videri possunt.

Cæterùm solitos Rabinos citat, sed fortè sapientum istorum nomina scribere veritus est, ne vel delerentur, vel exsibilarentur, ac velut fictitia, & ridicula exploderentur; non alios ego præter Rabinos esse arbitror: quid est illud, quod de primo throni diuini pede recitat? si primus pes sit Abraham, quis secundus? nunquid fortè thronum illum mysticè sumit pro populo Iudaico, siue Hebræo, cuius ipse Patriarcha fuit, vt sicut Christiani Christi tabernaculum seu templum Dei vocantur, ita & thronus illius gens illa Hebræorum appelletur, cui per fidem, spem, cognitionem, promissiones, miracula, fauores, & priuilegia varia insidebat.

Cur Melchisedech maior dictus fuerit. — Ad Heb. 7. — Gen. 14. — D. Hieron. — Gen. 13. & 15. — An Abraham Sacerdos fuerit. — D. Thomas — Tres fuerũt species decimarũ. — Numer. 18. — Deuter. 14. — Quænam fuerint decimæ decimarum. — Gen. 15. — Sacrificium Abrahami. — Nisi Melchisedech Christum repræsentaret, non esset maior Abrahamo. — Melchisedech omnes Leuitas benedixit. — Christus non fuit decimatus in lumbis Abrahæ.

PROBLEMA

PROBLEMA CXVI.

1. 2. CAPVT XV. *Versiculus 5.*

VR scriptum est, quòd eduxit Dominus Abraham foras? An vt ostenderet ei stellas (sicut textus innuit) quia fortè eas in domo videre non poterat? An (vt altiùs conscendamus) eduxit ipsum foras, idest extra carnem, aut terminos naturalis ordinis, vt ostenderet ei stellas illas, de quibus Apostolus ait: sicut stella differt à stella in claritate, sic Sanctus à Sancto in gloria. Nam sicut stellæ præsunt, & influunt corporibus inferioribus, sic Angeli custodes ijs, quibus præsunt. Angeli autem stellæ sunt, de quibus Propheta. Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Quos Angelos, vt ipse Abraham videret, Deus eleuauit ipsum, vt videlicet inde cognosceret innumerabilem multitudinem ab eis custodiendam. Hinc dixit ei Deus: Numera stellas si potes, sic enim erit semen tuum. Gen. 15. — 1. Cor. 15. — Psalm. 146.

VT meliùs stellæ percipi possent, debuit nox non illunis, sed innubis, & serena esse, tunc enim longè plures apparẽt, hyeme præsertim, cùm sol vicinis radijs cœlum non officiat; at non omnes videre possumus, sed eò plures videt quis, quò acutiùs intuetur, vt notat D. August. 16. de ciuit. Dei c. 23. quod & experientia quotidiana docet. At nostro sæculo perspicilijs, seu dioptris, quibus res & longè maiores, & viciniores esse videntur, multæ stellæ in quolibet asterismo visæ sunt, quas nunquam antea videramus, vt patet ex libello Galilæi à Galilæo, cui nuntij cœlestis nomen indidit, quémque Keplerus sua experientia confirmat; nos verò de numero stellarum in proprijs commentarijs ad hunc locum accuratè acturi sumus. Secunda ratio Veneti prorsus est allegorica; & quidem potuit Deus hæc Abrahamo per excessum anagogicum, aut in ectasi ostendere, cùm Ioh. 8. Christus ipse dixerit; *Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit & gauisus est*; sed an Angelos custodes omnium hominum ei ostenderit, nescimus; quicquid sit, sensus literalis retinendus est, licet Caietanus Abraham dicat eatenus egressum, quatenus domi remanens in extasim raptus est. tantùm per mentis excessum abierit. — Ioh. 8.

D. Augustinus. — Nouæ stellæ tubis Batauicis in dies detectæ. — An Abrahã foras corpore, an

PROBLEMA CXVII.

1. *Versiculus 6.*

VOMODO fides Abrahæ reputata fuit ei ad iustitiam? Nam scriptum est, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Nonne veritas literæ habet צדקה zedachah: quod non propriè iustitiã iudicialem, vel cõmunem significat; sed *iustitiam* distributiuã, seu pietatem in Deum; vt reor hîc accipi debere: & hoc est proprium credere & adhærere Deo. Vnde malè sentiunt quidam hinc arguentes, quòd sola fides sufficiat ad salutem animarum. Nam ex illis verbis non elicitur, nisi quòd ille actus credendi reputatus fuit in debitum cultum pietatis, non autem in omnimodam, & sufficientem iustitiam penitus iustificantem; cùm alibi dicatur, quòd fuerit gratus Deo, eo quòd obseruauerit totam legem, omnia mandata, omniáque statuta. Hinc necdum ex fide, sed ex operibus fuit Deo gratus. Gen. 15. — צדקה — Aduersus hæreticorũ fidem iustificantem. — Ibid. 26.

HOC problema facit contra sectarios, qui non existimant opera bona ad salutem proficere, aut necessaria esse, sed fidem solam iustificare: quam sine operibus mortuam esse, tam verum est, quàm fidem esse salutis initium; illud enim D. Iacobus affirmat. Veruntamen nomen Hebræum Tsedaca, quod 70. verterunt, δικαιοσύνην, & paraphrastes vertit *iustitiam*, tam commutatiuã, quàm distributiuam significat, tam legalem, quàm propriè dictam, earúmque tam potentiales, quàm subiectiuas partes comprehendit: At de virtute fidei Abrahamicæ, cæterarúmque virtutum energia differendum erit ampliùs, dum ex professo de Iustificatione agemus. Tsedaca.

PROBLEMA CXVIII.

1. *Versiculus 13.*

VR in populum Israëliticum nondum natum lata fuit sententia, vt esset captiuus in Ægypto quadringentis annis? An id fuit (vt aliqui opinantur) in purgationẽ erroris Abrahæ, qui animas quadringentas Sodomorum è captiuitate, & tyrannide 4. regum, Amraphel videlicet, & sociorum ereptas dedit ipsi regi Sodomorum? cùm eas è captiuitate liberatas tanquam suas diuino cultui (vt sui moris erat) applicare potuisset? Dicunt enim Hebræi, quòd Abraham consueuerat animas quascunque Gen. 15. — Gen. 14.

poterat ad diuinum cultum deducere. Hinc scriptum est, tulitque animas, quas fecerat in Haran: non enim ibi filios habuit, sed fecerat animas, eas (vt dictum est) ad Dei cultum deducens: Et isti sunt trecenti, & decem & octo vernaculi, quos expediuit pro liberatione
2. Lot. An vt præuia oppressione æquanimiter tolerata expurgatus populus legem Dei suscipere mereretur?

De ista 400. annorum captiuitate multi dissérunt, à quo nimirum tempore numeranda sit; cùm chronologia sacra non patiatur tot annos tribui huic Ægyptiacæ captiuitati, adeout D. Augusti. c. 24. l. 16. de ciuit. dicat numerum hunc in eadem afflictione completum esse, non tamen ibi, vniuersum peractum: enimuerò seminis Abrahami peregrinatio in istis quadringentis annis includitur, & non sola seruitus, & afflictio, prout etiam D. Stephani verba Actuum 7. interpretanda sunt. Isaac autem est semen cui promissa est terra; ac proinde non à promissione primò facta Abrahæ vsque ad promulgationem legis in monte Sina numerandi sunt anni; sic enim essent 430. vt patet Exod. 12. versu 41. & ad Galat. 3. vers. 17. sed ab Isaac natiuitate vsque ad annum egressionis ex Ægypto, à qua 405. annos numerare debemus, quibus si 25. addantur, qui antecesserunt ortum Isaac, fiunt 430. attamen (præterquàm quòd Scriptura paruos excessus omittere solet, vt numerus reliquus sit integer, ac proinde hîc 400. relictis 5. annumerarit) si numerus tantùm ab eo tempore, quo Ismaël, & Agar eiecti sunt è domo, cùm tunc Isaac esset quinquennis, solúsque hæres remaneret, accipiatur, soli 400. anni reperientur; licet eos non integros in ærumnis, & in Ægypto egerint Hebræi, sed partim in Chananæa, partim in Mesopotamia, partim in Ægypto semper vt peregrini, & viatores vixerunt, donec ex Ægypto liberati fuerint. Aduertit autem Delrio D. Thomam, Rabanum, & Caietanum mendosos codices secutos fuisse Act. 7. vbi tantùm habemus 400. annos. In sola Ægypto Iacob, & posteri tantùm habitarunt 215. annis, licet Scriptura nominet Ægyptum in qua 430. annis fuerint, Exod. 12. sed 70. verterunt ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χανάαν; Moses autem solam Ægyptum posuit, denominatione sumpta ab ea terræ parte, in qua potior temporis pars transacta fuerat; & statim à prima promissione cæpit Abraham peregrinari in Ægyptum fame compulsus Gen. 12. ver. 11. At strictè loquendo tempus seruitutis in Ægypto non fuit nisi 122. annorum, quia post 93. annum migrationis Iacob in Ægyptum cœpit; tyrannis autem & persecutio cœpisse videtur circa tempus natiuitatis Mariæ sororis Moysis, & sic durasse tantùm 87. annos iuxta traditionem Hebræorum. At quia tam seruitus, quàm afflictio ambæ inciderunt intra annos illos habitationis in Ægypto, & habitatio ista præcipuam partem temporis consumpsit annorum, quibus semen Abrahæ peregrinatum fuit, ideo dictum est hîc coniunctim semen Abrahæ fore peregrinum, seruitio, & tyrannide 400. annis opprimendum. Primam rationem è nescio quibus refert, aut fingit Venetus, siquidem ex scriptura nusquam colligimus eum in animabus, seu hominibus, quos captiuos acceperant, reddendis errasse, imo potiùs ingentem eius benignitatem, & facilitatem, quippe qui non ob prædam, sed innocentiæ defensandæ causa pugnaret; adde quòd maius imminéret periculum, ne hi, quos secum habebat, à Sodomitis corrumperentur, & subuerterentur, quàm vt illos in vero Dei cultu informare, & ad legem Dei obseruandam adducere posset. Scio quidem per animas quas in Haran fecisse dicitur, aliquos intelligi homines, quos Abraham ab infidelitate reduxerat ad verum Dei cultum; refert enim Lyra viros ab Abrahamo, à Sara verò fœminas ad veram Dei legem perductas fuisse; sic enim ad Galat. 4. loquitur D. Paulus; *Filioli mei, quos iterum parturio,* & 1. ad Cor. 4. *In Christo Iesu ego vos genui.* Veruntamen sensus literalis est, per animas homines intelligendos esse sexus vtriúsque; quos acquisierat Abraham eos tanquam seruos emendo, ex quibus emptitijs alij postea domi eius nati erãt, & vernaculi dicuntur; quibus nomen Hebræum fauet; עבד Ghasu enim significat, acquisierunt. Id verò, ex c. 12. non intelligitur de his, quos Abraham genuisset, quia decem adhuc annos liberis caruit, vt notat Salianus ad annum mundi 2114. n. 8. Onkelus tamen habet in paraphrasi, *animas quas subiecerat legi.*

In numero 318. vernaculorum D. Ambr. c. 3. de Abraham mysterium aliquod notat. T enim, quod Græcis 300. significat, est crucis signum; I & H, quæ significant 10. & 8. initium sunt nominis Iesu Græcè scripti, imò tantùm deest S, sic enim scribitur, I H S; magis ergo merito fidei vicit Abraham, quàm numeroso exercitu, ita Ambrosius. Notant verò hãc victoriam Abrahamo iuxta Dan contigisse, quam postea Cæsaream Philippi Philippus Tetrarcha in gratiam Cæsaris Tiberij vocauit. Iterum S. Ambros. lib. 1. de fide ad Gratian. putauit hos 318. vernaculos, & milites expeditos præsignificasse 318. Nicænæ Synodi pugiles, qui infidelem Arrium vicerunt.

D. August.

Actuum 7.

Quomodo verũ sit Israëlitas 400 annos peregrinos fuisse in Ægypto. Exod. 12. AdGalat. 3.

In Ægypto solùm habitarũt annis 215. Israëlitæ.

Seruitus præcisa in Ægypto 122. annorum.

Persecutio Pharaonica durauit 87. annos.

qui fuerint 318. vernaculi, & animæ quas fecit Abraham in Haran.

Ad Galat. 4.

1. ad Cor. 4.

Gen 12.

D Ambr.

In numero 318. vernaculorũ mysteria.

Nomen Iesus.

Ambros.

318. Episcopi.

PROBLEMA CXIX.

1. Vr Sara plena Spiritu sancto cessit ancillam Ægyptiam Abrahæ? An vt ex ea haberet filium? cùm ex proprio vtero habere non posset, vt textus innuit; Gen 16.
2. Capvt XVI. *Versiculus 2.* An (vt ad significatum figuræ veniamus, in qua omnia patribus contingebant) quia Abraham (qui pater multarum gentium debebat esse, & vtriúsque familiæ, inferioris videlicet, & superioris, aut animalis, & spiritualis, & cuius semini erat danda lex hominem animalem sanctificans, & Euangelium hominem superiorem, & spiritualem sanctificans) habuit primò filium, hominem animalem significantem, ex ancilla; postea spiritualem per filium liberæ descriptum? Hinc Paulus 1. ad Corin. 10. AdGalat. 4.

huiusmodi

huiusmodi mysterij non ignarus, inquit: Scriptum est, quòd Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera; sed qui de ancilla secundum carnem natus est; qui verò de libera, per repromissionem; quæ sunt per allegoriam dicta. Postea prosequitur de lege seruitutis, data in monte Sina, coniuncto Ierusalem supernæ, vnde venit Euangelium.

Elegans sanè allegoria, quia D. Paulus vtitur; At non est prætereundum impiè loqui Calui-num, qui Saram quasi lenam, & Abraham quasi adulterum ancillæ suæ carpit, cùm tamen vtrúmque D. Chysost. August. Ambros. Ioseph. Hieron. & alij excusent, duxit enim Agar in vxorem secundariam, eíque licita fuit polygamia, ad quam non libido, sed solum desiderium prolis tam Saram, quàm Abram incitarat. Iuuat autẽ adiungere, quæ l. 16. de c. c. 25. D. Aug. habet. *O virum viriliter fœminis vtentem, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter!* Iosephus autem addit Saram à Deo admonitam, vt nuptias Agar Abrahæ suaderet, quod etiam D. August. 10. contra Faust. c. 32. insinuat; quomodo autem polygamia liceret, & an lege naturæ, vel tantùm positiua prohibeatur, in proprijs quæstionibus videri poterit. Recentiores volunt lege secundaria, non verò primaria naturæ prohiberi, cùm tamen Durandus in 4. d. 33. & Abulens. in 19. Math. lege naturæ prohibitam fuisse negent; quicquid sit, certum est vxores secundarias non fuisse matresfamilias; ac proinde in earum matrimonio sponsalia non præmittebantur dote dicta, & certis ritibus interpositis, nec ad dominij bonorúmque omnium communionem admittebantur, sed vt plurimùm seruilis conditionis manebant; nec solùm vxores, sed & concubinæ dictæ sunt, quas Græci παλλακὰς, Latini contubernales appellant: tunc autem Sa vult Saram 76. annorum fuisse, à quibus vnum ademit Delrio; quam historiam in annum mundi 2124. Abrahæ 86. promissionis 11. refert Salianus, qui notat Saram meminisse nullam sui factam fuisse in diuinis promissis mentionem, nec dictum Abrahamo ex qua mulíere filium genitúrus esset, ac ideo existimasse se sterilem, & vetulam huic muneri à Deo minimè destinatam, sed alteram quampiam, cuius ipsa fœtum in filium adoptaret.

Caluinus arguitur.

Polygamia Abrahæ licita. Augustin.

Cur Sara non peccauit.

Durandus. Abulensis. De secũdis vxoribus.

Sa. Saræ ætas, cùm ancillam dedit viro.

PROBLEMA CXX.

1. Vr scriptum est de Ismaële, Manus eius contra omnes, & manus omnium contra ipsum? An de Hagarenis ibi præcipuè est sermo, qui Gen. 16.
Versiculus 12. nunc Arabes dicuntur, habitantes recta linea protracti post terram, patribus & seminilegitimo Abrahæ promissam? contra hos enim semper pugnauerunt, & hactenus pugnant habitatores regionis illius, & ipsi contra eos. Quæ familia Hagarenorum adeò multiplicata, auctáque est, vt extensa sit per totam Africam, vsque ad extremam Mauritaniam, &
2. mare Atlanticum. An (vt meliora sensa tangamus) quia Ismahel; idest, homo animalis, semper pugnat contra spiritualem, & è conuerso, iuxta illud Apostoli. Caro concupiscit aduersus Spiritum, Spiritus autem aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur. Ad Galat 5.

Ismael potuit contra omnes dimicare ob numerosam 12. tribuum posteritatem, quæ ex 12. illius filijs Gen. 25. enumeratis ortæ sunt; inter illos autem 3. sunt, quorum nominibus in Prouerbium vti solent Hebræi, vt notauit Fagius in paraphrasim Chaldæam c 25. Gen. cùm enim significare volunt multa audienda, tacenda, & ferenda esse, dicunt Mischma, & Dumah, & Massa; nam מסמע Misma significat auditum à radice סמע Samah, audiuit; דומה dumah à דום dom, idest tacuit, & siluit; מסא Massa denique à נסא Nasa, tulit, & sustinuit, adeo vt istud dicterium sit Hebræis, quod Græcis ἀνέχου, καὶ ἀπέχου. An verò damnatus sit Ismaël necne vix definiri potest, cùm enim reproborum typus, sicut & Esaü fuisse videatur, attamen Abraham orauit Deum, vt Ismaël viueret coram eo, quem exaudiuit Deus super Ismaële c. 17. Gen. & cap. 21. Deus cum eo fuisse dicitur, & cap. 25. post mortem appositus est ad patres suos; licet non sit infallibile salutis spiritualis signũ, idem enim de Astyage dicitur Daniel. 13. & de alijs regibus alioqui sceleratis: Ismaël autem ideo tali nomine dictus est, quòd Deus audijsset Agar afflictionem; nam שמע אל scama el, idest audiuit Deus, nec est prætereundũ Ismaëlem vnum ex ijs 5. fuisse quorum nomen ante natiuitatem prænuntiatum est hîc Gen. 16. vers. 11. Secundus fuit Isaac Gen. 17. Tertius Iosias 3. Reg. 13. Quartus Ioannes Baptista Lucæ 1. Quintus verò Iesus Christus Math. 1.

Fabulantur autem Iudæi fœtum Agar in eius extinctum vtero Deum suscitasse, vt eam de angustijs & afflictionibus liberaret. Vbi verò legimus, *hic erit ferus homo*; Hebraicè habetur פרא pere onager, idest instar onagri ferus, intractabilis, iugíque impatiens, iuxta id, Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat; quales etiam nunc Arabes & Sarracenos videas, vt non solùm testantur Ammianus Marcellinus l. 14. de moribus Sarracen. & Vuillamondus, sed & cæteri quos illuc peregrinos fuisse contigit. Quod autem manus eius contra omnes fuerint, non tantùm constat ex eo, quòd ex fratrum aduerso habitauerit in deserto Pharan Gen. 21. sed etiam ex eo, quòd Turcæ ab Ismaëlitis oriundi magnam totius orbis partem iamdiu subuerterint, cæterísque regionibus minas intentent, quas si possent, sibi subijcerent. Taceo quòd Nomades, alijque multi Ismaëlitæ in papilionibus, seu tabernaculis Cedar habitent cantic. 1. Vt faciliùs transeuntes deprædentur, ac naturalem ferociam excolant. Rectè quidem per Ismaëlem, animalis homo aduersus spiritualem militans denotatur, siquidem hominum carni deditorum longè maior numerus esse videtur, quàm eorum qui mentem virtutibus excolunt, & in Dei laudes assurgunt; quot, Deus bone, Ismaëlitæ sunt!

Gen. 25.

Mischma, & Dumah, & Massa Hebræorũ Prouerbiũ Graeco simile. ἀνέχου, καὶ ἀπέχου.

An Ismaël dãnatus sit. Prouerbiũ Gen. 17. & 21.

Daniel 13. שמע אל Quinque sunt, quorũ nomẽ ante natiuitatẽ prænuntiatũ est. Gen. 16. 3. Reg. 13.

Lucæ. 1. Math. 1.

פרא

Mores Arabum, & Sarracenorũ. Ammianus Marcellinus.

Gen. 21.

Cantic. 1.

PROBLEMA CXXI.

1. 2. CAPVT XVII. *Verſiculus 5.*

VR Deus Abrahæ mutauit nomen, addens vnum ה, quod quinque ſignificat? An vt per nomen renouatum denotaretur renouatus homo? Nam literæ huius nominis Abraham de nouo impoſiti, tot reddunt in numero, quot reddunt literæ huius ſententiæ ברא אדם bara Adam, ideſt creauit hominem, ducenta videlicet, & quadraginta octo. An deduxit Abrahæ nomen ad hunc numerum, vt innueret, quòd dediſſet ei virtutem obſeruandi ducenta, & quadraginta octo præcepta affirmatiua? Hinc præmiſit, Ambula coram me, & eſto perfectus; quia videlicet tibi dabo omnimodam virtutẽ, qua omnia præcepta ſeruare poſſis. Quæ virtus denotatur per totidem oſſa, quæ ſunt in corpore humano, ducenta videlicet, & 48.

Gen. 17.

ברא אדם

Oſſa corporis humani, quot ſint.

PROBLEMA CXXII.

1. *Verſiculus 15.* 2.

VR Deus Sarai mutauit nomen, vt inde appellaretur Sarah? An puerilia ſunt hæc? non quippe, ſed myſterijs plena. Detraxit enim יוד, quod 10. importat, & tradidit, ה, hé, quod numerum quinarium ſignat, innuens quòd illud quinarium, quod viro addiderat, à muliere abſtulerat. Et ſicut à primo parente aliquid acceperat, ex quo mulierem formauerat, ita hîc à muliere aliquid accepit, quod viro renouato tradidit. Et hoc, vt pars animalis & fœminea diminueretur, & virilis, & ſpiritualis augeretur: An vt ablata litera coronæ excelſæ à muliere, daretur ei litera, & character ſpiritus vitalis, vt viueret, non cum corona, ſed ſub Domino? iuxta illud Petri: Sarah obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans.

Gen 17.

Gen. 2.

1. Petri. 3.

NOMEN Abræ ſignificat patrem excelſum, componitur enim ex אב ab, pater, & ram, excelſus; quem ſic appellatum fuiſſe vult Philo, quòd peritus aſtronomiæ cœleſtia contemplaretur, adeout Abraham factus ſit ex homine cœli, homo Dei; nunc autem non tantùm pater excelſus, ſed & excelſæ multitudinis dicetur; dicitur Abraham, quaſi אב רם המון ab, ram, hamon, pater multorum excelſorum: cùm enim ſuo priori nomini per vitam excelſam reſponderit, aliud ſuſcipere meretur: quo cæteros excelſos faciat. Ita Chriſtianis præter baptiſmatis nomen, aliud nouum dabitur, quod os Domini nominabit Iſa. 62. & Apoc. 3. eſt ergo pater excelſæ multitudinis, nempe 144. millium ſignatorum Apoc. 7. Littera verò, quæ fuit addita nomini Abræ, ה videlicet, Saræ quoque nomini fuit addita, quæ cùm in tetragrammato יהוה præcipua eſſe videatur, in quo bis ponitur, fortè per eam inſinuatum eſt Meſſiam verum Deum, & hominem ex Abraham, & Sarah naſciturum. Sarai verò principem, vel dominam meam ſignificat; at nunc Sarah abſolutè ſignificat dominam, quia gentium omnium per Iſaac propagandarum auia, mater, & domina dicetur: nec quidem abſonum eſt, vt à maritis vxores dominæ vocentur, ſic enim maritus appellat vxorem dominam apud Scæuolam in l. vxorem, de legat. 3. eiuſmodi: at quodnam eis dominium competat alibi dicetur. Tãtùm hîc aduertendũ eſt ex Ariſtot. 8. polit. c. 10. viri, & vxoris ſocietatem ſimilem eſſe Ariſtocratiæ, ſeu optimatum poteſtati, nam vir præſidet in his, quæ virum oportet, vxor autem in his, quæ mulieribus, & vxori accommodantur, vt benè notat l. 11. c. 3. Syntagmatis Iuris ciuilis Gregorius, ipſéque Ariſtot. 2. œcon. probam mulierem omnibus, quæ ſunt intus vult dominari, cùm ſit indecens viro, ea ſcire, quæ intra ædes fiunt, adeout condominam vxorem dicere poſſimus. Vbi tamen Ariſtot. 2. polit. damnat eos, qui ex imperio vxoris viuunt. Imo Bartolus notat maritos non ea lege teneri, vt cogantur vxores dominas vocare in l. donationes C. de donat.

Quid ſignificet Abrã. & Abrahã.

Qui plura Cabaliſtica voluerit legat Archãgelũ in 15. concluſionem, quam Picus ex Mercurio Triſmegiſto propoſuit, quæ ſic habet. Niſi nomini Abrahã litera ה addita fuiſſet, Abraham nõ generaſſet.

Iſai. 62. Apoc. 3. & 7

ה In nomine tã Saræ, quàm Abrahã additũ.

Quid ſignificet Sarah, & Sarai

L. Vxorem.

Mulieres à viris dominæ appellantur.

Ariſtoteles 8. Polit.

In quo mulierũ dominiũ cõſiſtat. 2. œconom.

2. Politic. Bartolus.

Diſcutitur 121. problema.

An nobis liceat immutare propria nomina.

Prima ratio quam attulit Venetus in problemate 121. vera eſt; ſic enim Deus Iacobum, Iſraëlem; Symonem, Cepham vocauit, vt aliquid noui preſignificaret. Quod ad ipſius Dei imitationem nobis licere dubium non eſt, dummodò id fraude careat, vt habemus Cod. de mutatione nominis lege vnica. Imo toties operæpretium exiſtimo, vt nomen immutetur, quoties aliud inhoneſtatis aliquid ſonare videtur, quod & de cognomine velim intelligi; & quidem martyres Ægyptij vnà cum Pamphilo martyre ſtadium ingreſſi, contemptis idolorum nominibus, quæ ſibi olim impoſita fuerant, Prophetarum nomina aſciuerunt, indignum rati, ſi, cùm eſſent Chriſti, & in extremo agone conſtituti, dæmonum nominibus cenſerentur, vt ex Euſebio l. 8. c. 20. conſtat; ſed plures alias cauſas mutationis nominum apud noſtrum Claudium videre potes in verſiculum 20. c. primi l. 1. Reg. vbi cõtra Vermilium eleganter pro more ſuo probat religioſos Capucinos ſua nomina mutare poſſe, dum religioſum virtutis certamen aggrediuntur. Ibidem etiam ſummos Pontifices, eorúmque in nominibus immutandis morem aduerſus eundem hæreticum acerrimè propugnat; ſed & nos aliàs de nominum mutationibus agere poterimus. Verumtamen cauſa, quam Georgius affert eſt Caballiſtica, quod nihil refert; cùm veritati non opponatur; imo Deus in immutatione nominum eam gratiam conferre ſolet, quam neceſſariam eſſe nouit, vt pro dignitate nominis de nouo accepti quiſpiam viuere valeat; in id autem, quòd Deus Abrahamo perfectionem iuſſerit, optimè Cornelius quædam

Euſebius. Vide Rangolium citatum, vbi egregiè 5. Pontifices & Capucinos ab hæreticis protegit.

Media optima ad ſpiritualem vitam comparandam. Primum.

quædam præclara vitæ religioſæ media notauit, quorum primum eſt, vt qui perfectionis amans fuerit, ambulet iugiter coram Deo, ad inſtar Prophetæ dicentis, viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto hodie, atque Dauidis; prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus; huius autem diuinæ præſentiæ gratum exercitium ſcripſit Arias è Societate Ieſu, nec non Gaudierus eiuſdem inſtituti cum multis alijs vitæ ſpiritualis magiſtris.

Tractatus ſpirituales de præſentia Dei.

2. Secundo in omnibus tam lætis, quàm triſtibus ſe diuinæ voluntati conformet, iuxta Chriſti doctrinam, & praxim patri dicentis, fiat voluntas tua, & exemplo Iobi dicentis in anguſtia, ſit nomen Domini benedictum.

3. Tertio recipere ſe debet in fundum animæ ſuæ, ac inibi diligenter ſcrutari, quid maximè puritatem, ac libertatem animi diſtineat, ne purus ſit, & agilis ad obſequium Dei, omnémque virtutem, eúmque lapidem, aut laqueum, qui detinuerit, radicitus reſecare; alioqui omnia fruſtrà eruntur; & hęc eſt mortificatio, quæ duriſſima eſt, & viua quædam mors, quæ velut carnem ab oſſibus abradit, quę tamen neceſſaria eſt, & vſu ipſo facilis euadit; túncq; dicere poterit, Audiam quid loquatur in me Deus.

4. Quarto ſupponere debet naturam noſtram fallaciſſimam eſſe, ac mille angulis, & verſutijs præditam, in quibus ſeipſam foueat, ac retineat; quæ niſi funditùs extirpentur, parum proficiet; cùm etiam ſanctos teneat, vt videri velint, vel vt alij ad eos ſe conuertant, eóſque honore afficiant; quod penitus abnegandum eſt, ſi quis ad illud Ioannis peruenire deſiderat; Non ſum.

Magna hominum imperfectio.

5. Quinto ſe mente ſaltem ab omnibus hominibus abſtrahere debet.

6. Sexto ſe ab omnibus rebus expediat, neceſſe eſt, quæ ſi accederent ei, nimias curas, & ſollicitudines, affectúſque adhæſionem adueherent, proindéque liberum ſe ab omnibus interceptis imaginibus ſeruare debet.

7. Septimo ſuum animum in Deo, velut in ſcopo figat; cætera verò, vt ieiunia, vigilias, paupertatem huc referat, tantúmque ex ijs aſſumat, quantum ad finem vtile erit.

8. Octauo eo modo ſe Deo totum reſignare debet, quo is, qui vaſto iactatur pelago, ſolóque pallio fulcitur, talis enim quid agat, quàm vt ſe Deo totum reſignet?

9. Denique diſcat omnia contemnere, & contemni ab omnibus, vt cum D. Paulo fiat purgamentum mundi, & peripſema omnium.

Agitur de 122. problemate.

In problemate 122. meliùs dixiſſet, aliquid Deum è nomine Sarai abſtuliſſe, quàm ab ipſa muliere; quid enim obſecro, ab ea, prout vxor erat, abſtulit? nec vera eſt ſimilitudo, nam veram coſtam Adamo abſtulit, nihil autem Saræ, præter literam nominis. Quod ſi in ijs, quæ ſequuntur, ſignificare velit Deum maiori virtute tunc Abrahamum inſtruxiſſe, quàm antea, qui proinde faciliùs partis animalis motus compeſceret, non eſt, exiſtimo, quòd reprehendatur; ſecus ſi reale quidpiam ex virtute Saræ in Abrahamum tranſlatum eſſe crediderit. Quare verò Iod coronę literam vocet, niſi quia ſicut corona eſt circularis; ita decem eſt numerus perfectus, & velut circularis, vel quia faciebat, vt Abrahæ domina diceretur, & omne dominium quodammodo coronam expetere videtur, non intelligo, ſicut nec cur ה dicatur character ſpiritus vitalis, quandoquidem denſæ Græcorum aſpirationi, & noſtro h correſpondet. Veruntamen quantumuis Iod ſit mutatum in hé, non ideo ſtatim exiſtimandum eſt Saram non ampliùs ab Abrahamo dominam vocatam eſſe, quæ neque minus viro ſubdita erat, neque magis.

Multa quidem cabaliſticè de יוד cõminiſcipoſſem, ſed fabulas reſpuo. Caballiſtica de Iod & Hé.

PROBLEMA CXXIII.

1. *Verſiculus 10.* 2.

VR circuncisio data fuit Abrahæ in nouum fœdus? Nonne conueniens fuit, vt nouus homo nouo pacto fulciretur? Sed quid importat hæc circuncisio? nonne diuinationem concupiſcentiæ ſignat? cùm iuſſum fuerit diminui carnem, & ſanguinem à membro concupiſcentiæ. Quod voluit Deus fieri in ſignum veræ circuncisionis, quæ eſſe debet in corde, iuxta illud Deuter. Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas Deum tuum ex toto corde tuo. De qua circuncisione loquitur Apoſtolus, dicens, Circuncisi eſtis circuncisione non manufacta, in expoliatione carnis, ſed in circuncisione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo.

Gen 17.

Deut. 30.

Ad Coloſſ. 2.

Ad Rom. 4.

CIRCVNCISIO ſignum illud eſt, quod Abraham accepit, inquit Apoſtolus ad Roman. 4. *Signaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, vt ſit pater omnium credentium per præputium*, quæ circuncisio pacti hîc à Deo cum Abraham initi ſignum memorativum erat, vt Iudæi recordarentur ſe iam tranſijſſe in hoc fœdus cum Deo initum, adeóque ſe eſſe populum Deo dicatum, & conſecratum. Deinde repræſentabat fidem Abrahæ, & iuſtitiam per eam adeptam. Tertio diſtinguebat fideles ab infidelibus, ideſt Iudæos à gentilibus. Quarto erat ſignum demonſtrativum, & purgatiuum peccati originalis. Quinto præfigurabat baptiſmum, ideóque nomen nouum circunciſo imponebatur, vt hîc conſtat in Abraham.

Quinqte valdè notanda in circuncisione.

PROBLEMA CXXIV.

1. 2. 3.

QVOMODO mulieres circuncisionis expertes expurgabantur? An per ſacrificium aliquod, vt aliqui opinantur, *nulla prorſus authoritate ſuffulti? An expiato homine expiata quoque cenſebatur mulier, quæ eſt eadem caro cum viro? An (cùm ad purgationem capitis expurgentur cætera membra) expurgato viro, qui eſt caput mulieris, purgabatur & ipſa mulier?*

Gen 7.

Nam caput pro reliquis membris medicinam sumit. Hinc Christus Ecclesiæ caput pro omnibus membris 1. ad Cor. 12.
4. *suis calicem bibit. An mulieri sufficiebat vera circuncisio, quam nuper declarauimus in corde con-* Ad Eph. 5.
sistere?

PROBLEMA CXXV.

I. VR expurgatio illa, & pactum quod erat in sanguine, mutatum fuit in aquam? Ad Hebr. 9.
Nonne cùm omnis legalis expiatio fieret in sanguine proprio, vel in sanguine animalium, Euangelica debuit fieri in aqua, quæ clementiam significat, facta videlicet priùs expiatione sufficientissima in sanguine redemptoris? Nam nobis Ioh. 7.
danda erat aqua clementiæ, quam tradidit redemptor, & sponte obtulit volentibus suscipere. Et hoc effuso iam sanguine, vt dictum est. Vbi seruatur illud Apostoli: omnia penè Ad Hebr 9.
mundantur in sanguine, & sine sanguinis effusione non fit remissio.

PROBLEMA CXXVI.

QVA baptismalis est ne in signum, an tanquam causa operans? Nonne Au- Augustin.
gustinus ait: Detrahe verbum ab aqua, quid est aqua nisi aqua? Hinc elicitur, 1. q. 1. c. Detrahe.
quòd magis defertur verbo, quàm aquæ. Nec enim anima conuenienter expurgatur aqua corporea, & elementari, sed aqua illa suprema, quæ verbum, & sapientia Dei est, aqua videlicet vera, cuius hæc elementaris est signum. Propterea dicitur sacramentum, quod est rei sacræ signum: sacra autem res est virtus illius, de quo inquit Apostolus, Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Ad Hebr. 1.
maiestatis in excelsis. Ipse enim virtute verbi, & melioris aquæ purgat, & sanat. Hinc Pro- Psalm. 106.
pheta canit. Misit verbum suum, & sanauit eos. Et Christus ait. Vos mundi estis propter Ioan. 15.
sermonem, quem ego locutus sum vobis.

TRIA hæc problemata simul ponimus, quòd eandem ferè materiam spectare videantur: Et quidem ex 124. Inquisitores Hispani rectè deleri iubent omnia, quæ post illa verba ponuntur (*vt aliqui opinantur*) siquidem probabilius est, tam in statu legis naturæ, quàm legis Mosaicæ peccatum originale fœminis deletum esse per beneficium legis naturæ, nempe per applicationem fidei per illud sacrificium, vel actum, quem ante Abraham exercebant, vt Sotus existimat in 4. d. 2. q. 1. a. 2. in fine. Sotus.

Licet videam Magistrum in 4. dist. 2. censuisse mulieres potiùs per fidem, & operationem bonam vel suam, si adultæ erant, vel parentum, si paruulæ, quàm per sacrificia, & oblationes ab originali mundatas fuisse. Vbi etiam paruulos ante circuncisionem in fide parentum, parentes verò virtute sacrificiorum, quam in illis spiritualiter intelligebant fuisse iustificatos ait. Enimuerò D. Augustinus quem Scholastici sequuntur, 5. contra Iulian. cap. 11. hæc habet; *Nec ideo credendum est, & ante datam circuncisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis*; quàuis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit. Nam & sacrificia eorum legimus; quorum etiam meminit cap. 16. lib. 15. de ciuit. & lib. de peccato orig. c. 30. Quapropter hanc potius Scholastici sequuntur, quàm D. Bernardi Epist. 77. ad Hugonem Victorinum sententiam, qui licet adultos fide, & sacrificijs expiatos fuisse credat, paruulis tamen solam profuisse, & suffecisse parentum fidem arbitratur; in qua sententia D. Greg. 4. moral. c. 3. fuisse videtur, sed non negat simul cum fide remedium aliquod externum, siue sacrificium, siue sacramentum adhibitum fuisse. Augustini verò sententiam amplecti videtur D. Thomas 3. p. q. 70. a. 4. ad 2. vbi probabile dicit esse, quòd parentes fideles pro paruulis natis, & maximè in periculo existentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro seipsis preces, & sacrificia offerebant. Magister senten. P. Lombardus. Quomodo paruuli, & mulieres ab originali liberarẽtur. D. Augustinus. S. Bernardus. D. Gregorius. Quid parẽtes pro filiis agerent. D. Thomas

De origine autem illius Sacramenti, seu sacrificij inquit Estius in 4. d. 1. §. 32. tenendum omnino videtur, eam fuisse ex diuina institutione insinuata primo parenti, quemadmodum habet sermo de circuncisione apud Cyprianum. Neque enim sacramenta, quibus effectus supernaturalis infallibiliter adsit, humano arbitrio institui possunt, quod D. Cyprianus Sermone de ratione circuncisionis habet. *Sanè*, inquit, *originale peccatũ quod à primis parentibus in totam generis huius successionem defluxit, omni tempore aliquibus remedijs oportuit expiari, licet vim plenam significantia non habuerint, donec ad rem ipsam ventum est, quæ figurarum operiebatur velamine. Et licet sacramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen & effectus eorum ignorari non poterat; quia ab Adam vsque ad Noë sacrificia Deo constat fuisse accepta, quæ vsque ad illud tempus sine legis distinctione diuinitus inspirata institutione primi hominis celebrarent. Illa verò sacrificia aut in animalium sanguine, aut aliarum oblationum incensionibus agebantur, non quòd fumo, aut mortibus pecudum delectaretur Deus, sed vt intelligeretur immutabile iudicium, & prolata ab initio sententia in peccatum.* Hactenus Cyprianus, qui & alia id genus pulcherrima subijcit. Estius. S. Cyprianus.

Veruntamen

Veruntamen, vt libens fatear non vsque adeò certum est externum remedium pueris in lege naturæ adhibitum fuisse, imo solam fidem internam suffecisse contendit Vasques in quæst. 70. tertiæ partis, disput. 165. vbi c. 5. in responsione ad 4. rationem Alexandri ait pueros vi circumcisionis non fuisse iustificatos, sed solius fidei interioris parentum, qua ratione fœminas iustificationem fuisse consecutas affirmat: ita tamen vt Paludanum, & Sotum reprehendat, qui volebant infantium oblationem factam à parentibus infidelibus valere: quod etiam de circuncisione falsum esse asserit prima secundæ, disp. 184. c. 3. cùm enim circumcisio non ageret ex opere operato, sed ex opere operantis, debuit à fideli applicari, cuius sola fides ante circuncisionem etiam ex opere operantis infanti oblato proderat, licet non desint qui circuncisionem ex opere operato deleuisse originale velint, eo sensu, quia ea posita infallibiliter macula delebatur: At hæc omnia fusè D. Thomas habet in 4. d. 1. q. 2. a. 6. in quo concedit solam fidem interiorem parentum suffecisse paruulis ad remissionem originalis peccati. Vasquesius. An fides interior parentũ filijs profuerit. Circuncisionem nõ deleuisse peccatum originale ex opere operato quidam asserunt, alij verò deleuisse. D. Thomas D. Thomas

In problemate 125. quærere videtur idem quod magister in 4. dist. 1. Quare in baptismum mutata sit circuncisio; cui quæstioni pulchrè D. Thomas ibidem satisfacit his verbis quæst. 2. art. 5. Cùm venit quod perfectum est, euacuari debet quod ex parte est, si ad idem ordinetur, quia gratia non facit per duo, quod per vnum facere potest, sicut nec natura. Circuncisio autem imperfecta erat respectu baptismi tripliciter: Primò quantum ad significationem, quia non ita significabat expressè emundationem totius hominis ab immunditia totius originalis culpæ, sicut ablutio baptismalis. Secundò quantum ad efficaciam, quia non tam abundans gratia ad operandum, & reprimendum fomitem in circuncisione dabatur, sicut in baptismo. Tertiò quantum ad vtilitatem, quia non erat eius vtilitas ita communis sicut baptismi, cùm haberet determinatum populum, determinatum sexum, & determinatum tempus, quod in baptismo non accidit; & ideo in adueniente tempore plenitudinis debuit cessare, baptismo substituto. Circũcisio tripliciter imperfecta. 1. 2. 3.

In problemate 126. iubent inquisitores Hispaniæ particulam hanc (*purè*) addi. Vbi dicitur; *nec enim conuenienter expurgatur anima aqua (purè) corporea.* At cùm Venetus institutioni baptismatis in aqua factæ nonnihil detrectare videatur, operæpretium est rationes afferre, cur baptismus in aqua positus fuerit, velut in propria, solàque materia, quod nobis S. Doctor abundè suggerit d. 3. quæst. 1. art. 3. Possunt institutionis accipi 6. rationes: Prima est quia aqua ratione diaphaneitatis habet aliquid de lumine, & ita competit baptismo, qui habet vim illuminatiuam secundum quòd gratia in eo confertur. Secunda est quia ratione humiditatis habet vim ablutiuam, & ideo competit baptismo, in quo sordes culpæ mundantur. Tertia est quia ratione frigiditatis habet vim refrigerandi, & ideo competit baptismo, in quo incendium fomitis mitigatur. Quarta est, quia aqua maximè competit generationi, & augmentationi rerum viuentium, vnde & in principio mundi ex aqua primitùs animalia producta sunt, & sic competit baptismo in quantum est regeneratio in spiritualem vitam. Quinta est quia in omnibus mundi partibus aqua reperitur. Sexta quia facilè ab omnibus sine magno pretio haberi potest, & hæ duæ competunt baptismo, prout est Sacramentum necessitatis. 326. Problema discutitur. Septem rationes cur Sacramentum baptismi in aqua Deus instituerit. S. Thomas. 1. Ad Hebr. 6. & 10. 2. 3. 4. Nubes per diem obũbrãs Exod. 13. Hũc effectũ repræsentabat. 5. 6.

Tametsi ergo aqua purè corporea non tollat virtute sua naturali labem originis, sufficit, vt id virtute diuina efficiat: Deus enim eleuat aquam ad ordinem altiorem, vt possit ad gratiam in anima producendam instrumentaliter concurrere, quàm verò congruè ignis & aqua in baptismo reperiantur, non est qui non videat; nam cùm Spiritussanctus sit ignis, rectè suum lumen in animam mediante aqua, vtpote diaphana, transmittit, sicut lumen corporeum mediante diaphano sensum illustrat. Omitto iam cæteras congruentias, quas baptismus cum resurrectione Christi eiusque ad inferos descensu obtinet, ideo enim 3. immersiones fieri solebant. Quæ videri possunt apud eos, qui de ritibus Ecclesiasticis egerunt; quomodo verò baptizati commoriantur, & consepeliantur Christo, vide c. 6. ad Romanos. Estius rationibus D. Thomæ adiungit septimam, quia sicut aqua sitim sedat corporalem, ita fons baptismi sanctorum desideriorum sitim explet spiritualem. Eleuatio supernaturalis aquæ in baptismo. Vide Durantum, & Durãdum. ad Rom. 6. Estius. 7.

Licet ergo maculas animæ non per se, sed virtute diuina eluat, fuit tamen conuenientissimum, vt id aqua mediante fieret, qua varias ob rationes, (quarum nonnullas retulimus) Christus nos vti voluit, qui est aqua vera, & viua, qua non tantùm nostra peccata delentur, sed qua potabimur in torrentibus æternæ voluptatis.

PROBLEMA CXXVII.

I. SI Christus purgat, cur mutatum fuit signum? Nonne videmus Deum (non ex parte sui, qui est immutabilis, sed propter nos, qui successione quadam temporum viuimus) pro diuersitate temporum diuersa signa immutare? Hinc Eccli. 36.
Sapiens ait, Immuta signa, innoua mirabilia. Et hoc semper in melius, vt moris est optimi artificis. Nam melius est sacrificium quod commemoramus, quàm omnia sacrificia omnium animalium. Vnde Paulus ait. Per am- ad Hebr. 9.
plius & perfectius, quàm in sanguine hircorum, aut vitulorum. Et melior est baptismus circuncisione, & melius est Euangelium, quàm lex.

PROBLEMA CXXVIII.

I. QVIS verè tollit sordes, & maculas ab anima? Nonne Christus, de quo præcursor ait. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi? Nam (teste Isaia) liuore eius sanati sumus. Hinc Iohannes inquit. Qui lauit nos in sanguine suo. Et alibi, ipse est propitiatio pro peccatis nostris; & quia lauat, & potat, hinc vocat seipsum aquam. Per quam aquam sicut omnia producta sunt, ita quoque omnia regenerantur, vt idem sit generationis, & regenerationis principium. Ipse igitur Christus tollit sordes, virtute diuinitatis tanquam causæ agentis, virtute aquea, veluti proprietate quadam accommodata, humana verò natura mediante, quæ oblata fuit in hostiam, & sacrificium propitiatorium in ara crucis; per sanguinem, tanquam per pretium tribunali iustitiæ satisfaciens: anima quoque vera, quam posuit pro ouibus, vt per ipsam expiaret sordes totius posteritatis in generatione spirituali acquisitæ.

Iohan 1. Isai.53. Apoc. 1. 1.Ioan.2.4. Ioh. 4.

PROBLEMA CXXIX.

I. SI Christus sanat, cur Angelus quidam dicitur Raphaël, idest medicina Dei? Nonne Christus seipsum medicum esse innuit dicens: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus? Et Lucas de ipso loquens, ait: Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Si igitur Raphaëli attribuitur virtus sanandi, id fit tanquam ministro, & medio inter solem supramundanum, & solem hunc nobis visibilem, qui & Phœbus dicitur: cuius filius Æsculapius medicinæ inuentor fingitur. Nam solis virtus est à Raphaële, qui medicina Dei dicitur. Et hoc secundum influxum loci, & mensuræ, à qua Christus venit, de quo scriptum est: Misit me Dominus sanare contritos corde. Et Petrus inquit: Pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.

Math. 9. Marc. 2. Luc. 5. 6. Raphaël. Æsculapius. Ibid. 4. Actor. 10.

CERTVM est Deum sæpè Angelorum vti ministerio, vt patet ex Scriptura sacra; at vnde Venetus habet solis virtutem esse à Raphaële? an quia sol maximè confert ad morbos curandos? Sed cùm multa sint & alia, quæ non parum etiam conferant, vt patet in plantis, mineralibus, medicamentis & id genus cæteris, ergo Raphaël vt illis omnibus virtutem contulerit, necesse est. Itaque cùm Deus vnicusque rei à conditionis primordio proprias virtutes, quibus agerent deinceps indiderit, non est quòd à Raphaële solis virtutem deriuemus; Atque imprimis cauendum est, ne ad instar Caballistarum, aut magorum, vniuscuiusque stellæ, planetæ, imo & singularum creaturarum Spiritum præsidem esse fingamus, quomodo Cornelius gratis ait Spiritum Saturni nuncupari Sabathielem; ♃ Zedekielem, Martis, Madimielem, & sic de cæteris quæ l. 3. Philos. occult. c. 28. refert. Minus etiam bene dictum esse videtur hoc factum iuxta influxum loci, & mensuræ, à qua Christus venit, nam cùm è sinu patris venerit, quænam est ibi mensura? & quis adegit Christum, vt Raphaëli tantam duntaxat virtutem conferret? an illa mensura fictitia, à qua Christum venisse dicit? Facessant huiuscemodi nugæ.

Arguitur Agrippa.

PROBLEMA CXXX.

I. QVÆ est aqua munda, de qua in Ezechiele fit mentio? Nonne (præter ea quæ supradiximus) est vera aqua, prouenens ab illo fonte, de quo in Ieremia dicitur: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Et Propheta: quoniam apud te est fons vitæ. Quod clariùs referans Zacharias, ait: Erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ: *Qua quidem aqua iubet Christus homines non solùm lauari, sed renasci, dicens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei; nec enim aqua elementaris cum Spiritu sancto est principium regenerationis;* sed aqua illa, de qua dicitur: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, idest sentiet in se Spiritum sanctum vt Euangelista exponit.

Ezech. 36. Ierem. 2. Psal. 35. Zach 13. Ioan 3. Ibid. 4. Ibid. 7.

INQVISITORES deleri volunt ea, quæ post has voces (*peccatoris & menstruatæ*) sequuntur vsque ad, (*sed aqua illa, de qua dicitur*, &c. exclusiuè. Hic autem operæpretium erit quædam de aquæ cum Christo analogia referre, cùm eam toties Venetus hucusque tetigerit. Et quidem nihil in Scriptura frequentius videtur, quàm, vt aqua gratiæ diuinæ, ipsique Deo comparetur; nam præter loca in problemate citata D. Ioannes in Apoc. 7. asserit agnum deducturum beatos ad vitæ fontes aquarum, & c. 21. Sedens in throno pollicetur se daturum sitienti de fonte aquæ vitæ gratis; nunquid fons signatus, puteusque aquarum viuentium celebratur Cantic. 4. qui sunt illi fontes aquarum, ad quos

Gratia cõparatur. Apocal. 7. Cantic. 5.

ad quos instar serui iustus anhelat Psalm. 41. Sed clarius nihil esse potest, quàm D. Ioannis locus c. 4. vbi Christus Samaritanam alloquens ait; *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Et c. 7. *flumina aquæ viuæ fluent*, quæ ipso teste Ioanne Spiritum Sanctum significat, quem accepturi erant; vnde Ioël. 2. aquæ effusæ Spiritussanctus similis innuitur; *effundam de Spiritu meo*, idémque habetur ad Titum 3:

Psalm. 41. Ioan 4. Ibid. 7. Ioël. 2. ad Titum 3.

At verò Spiritussanctus aqua dicitur, quia sicut aqua sordes corporis eluit, ita Spiritussanctus maculas animæ: vnde Luc. 3. *Baptizabit vos in Spiritu sancto*: qui non tantùm sordes abluit, sed gratiæ pulchritudinem imprimit, quà naturæ diuinæ consortes efficimur 2. Petri. 1. Vnde Psaltes diuina lotione credebat se niue candidiorem euasurum, quia præter naturalem mundiciem, supernaturalem à Spiritu sancto accipimus: Ideóque cantic. 1. bis dicitur de sponsa, *tu pulchra es.* Ita verò lauamur à Spiritu sancto, vt in nobis remaneat, Ioan. 14. *apud vos manebit, & in vobis erit*: adeout opera nostra ei tribuantur Math. 10. Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui ad Rom. 8. *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: & *operatur in ijs, qui crediderunt*, 1. ad Thessal. 2.

Spiritussanctus est aqua purgans. Luc. 3. 2. Petri. 1. Cantic. 1. Ioan. 14. Math. 10. Aqua & Spiritussanctus conferuntur. Ad Rom. 8. 1. ad Thessal. 2.

Deinde si fœcundam terram, & arbores aqua facit, quanto magis animas Spiritussanctus, adeout fructus illius ad Galat. 5. sint charitas, gaudium, patientia, cætèræque virtutes, quibus in toto orbe melius nihil esse potest: hìc est Spiritus, qui 1. ad Cor. 12. omnia operatur, quantumcúnque variæ sint gratiarum diuisiones; at vitam arboribus ablatam aqua non restituit, & tamen *Spiritus est, qui viuificat* Iohan. 6. aqua supponit in arboribus virtutem producendi, hanc autem virtutem Spiritussanctus affert, *nec enim sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis*, 1. ad Cor. 3. Aqua non mutat fructus arborum, Spiritus immutat fructum animæ, vt qui fructificabat morti, fructificet Deo, ad Rom. 7. Denique sitim extinguit aqua, sed sitiẽdi facultatẽ non tollit, *nam qui biberit ex aqua hac*, inquit Christus de naturali aqua, *sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitã æternam.* Minus autem cautè dixit Venetus aquam elementarem non esse principium regenerationis cum Spiritu sancto, id enim contra Baptismi vim, & Christi Domini verba pugnat, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum: enimuerò Theologi docent aquam ad animæ sanctificationem in baptismo concurrere tanquam instrumentum, quo Spiritussanctus vtitur: vocántque Sacramentorum materiam & formam, vel ipsa sacramenta, separata instrumenta: non enim alicui diuinæ personæ iunguntur per vnionem hypostaticam, vt Christi Domini humanitas, quæ propterea instrumentum coniunctum diuinitatis appellatur.

1. ad Cor. 12. 2. Ioan. 6. 3. 2. ad Cor. 3. 4. ad Rom. 7. 5. Vis aquæ baptismalis. Instrumentum diuinitatis conuinctum, vel separatum quid sit.

PROBLEMA CXXXI.

I. 2. SI aqua est tam salubris, cur per ipsam Deus mundum puniuit? An quia aqua salubris est diuina, hæc autem suffocans est elementaris? An quia eadem aqua benefacit, & nocet, sicut de Christo Simehon prophetauit, dicens: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël. Quemadmodum etiam de seipso ait Deus, Ego occidam, & ego viuere faciam; percutiam, & sanabo.

Luc. 2. Deut. 32.

PROBLEMA CXXXII.

I. CAPVT XVIII. 2. *Versiculus 1. & 2.* QVIS apparuit Abrahæ ad ostium tabernaculi in conualle Mamre? An fuit Deus, & tota Trinitas? Scriptum est enim: Cúmque eleuasset oculos aparuerunt ei tres viri stantes prope eum. An fuerunt (vt Hebræi dicunt) tres Angeli, Michael videlicet, Gabriel, & Raphael: quorum vnusquisque personam aliquam sanctissimæ Trinitatis repræsentabat, secundum conuenientiam sapientibus notam? Hinc, quia omnes tres illi vnum Deum, quamuis in tres personas distinctum referebant, Abraham adorabat vnicum Deum, quem ipsi repræsentabant. Et aliquando in plurali loquebatur, repræsentantibus videlicet dicens: Confortetur cor vestrum, & postea transibitis.

Gen. 18.

PROBLEMA CXXXIII.

I. 2. 3. *Versiculus 5.* SI Deum cognouit mittentem, & Angelos missos, cur præparauit panes & carnem in cibum? An vt satisfaceret naturæ humanæ, in cuius forma ipsi apparuerant? An vt re ipsa comederent? Sicut etiam comedit Christus post resurrectionem, *quando iam naturam spiritualem assumpserat, & in Angelum mutatus fuerat, iuxta illud, Et erunt sicut Angeli Dei.* An (vt ad figuratum veniamus) quia sicut Deus oblectatur odore sacrificiorum (prout scriptum est: Odoratúsque est Dominus odorem suauitatis (sic pascitur etiam obsequio charitatis impenso? iuxta illud Saluatoris, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis? Præmiserat enim, Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.

Gen. 18. Luc. 24. Math. 22. Gen. 8. Math. 25.

IN problemate 131. videtur insinuare, quod iam in præcedenti reprehendimus; licet enim aqua diuina, seu gratia salubris sit, & elementaris suffocet, attamen hæc etiam dicitur salutaris, cùm verbo accedente ad elementum fiat Sacramentum, quo peccatum originis deletur, ac diuina gratia per Spiritumsanctum in cordibus nostris diffunditur, eo modo, quo superiùs explicaui. In 132. conuenientiæ meminit, ob quam Angeli Deum referre possunt.

In 133. aduertendum est imprimis hanc esse differentiã inter Angelos in specie humana apparentes, & Christum post resurrectionẽ, quod illi verè comedere non possint, nec enim vllum opus vitale corporeum, qualis est vera comestio, exercere valent, Christus autem etiam suscitatus, & in gloria positus verè comedere potest, cùm omnia organa vitalia comestioni necessaria habeat, vt verè cum discipulis post resurrectionem comedit; Angeli verò tametsi comedere videantur, non tamen comedunt, nam teste Raphaële Tobiam alloquente, cibo inuisibili vtuntur. Secundò reprehensione dignum est, quòd ait Christum spiritualem naturam assumpsisse, atque in Angelum mutatũ esse, tametsi enim corpus gloriosum Angeli sibi vendicet agilitatem, & subtilitatem, remanet tamen vera corporis naturalis, & humani substantia, imo quantitas, color, cæteráque accidentia non pereunt, sed in melius commutantur. Christus ergo idem penitus corpus, quod in cruce passum est, retinuit: quapropter optimè iubent Inquisitores, vt deleantur, quæ sequuntur verba hæc; *post resurrectionem*, vsque ad, *an vt figuratum*, exclusiuè: imò figuratum illud non ita benè hîc applicari videtur, quin meliùs omitti potuisset.

Angelos verè non comedere.

Christum post resurrectionem verè comedisse.

PROBLEMA CXXXIIII.

1. VR venerunt tres Angeli ad annunciandum partũ Saræ: ad excidium verò Sodomæ duo tantùm inuenti sunt? An quia ad fœlix negotium prænuntiandum requirebatur numerus ternarius, quo Deus gaudet; ad exterminium autem illud, binarius competebat, qui (vt Hieronymus ait) semper est infaustus? Gen. 18. 19.

2. *An quia ad benignum effectum concurrere voluit tota Trinitas per tres Angelos repræsentata: ad iudicium verò prosequendum sicut pater misericordiarum non concurrit; ita nec Angelus, qui ipsum referebat? Pater enim (vt Christus perhibet) non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, & Spiritui Sancto videlicet? Hinc & iudicium diluuij vniuersalis, & hoc particulare factum fuit in aqua, quæ Filium repræsentat, & in igne Spiritumsanctum denotãte, vt alibi dictum est. Sicut enim fœturam mundi vtrique commisit pater (vt in Psalmo dicitur, Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum) sic per vtrúmque regenerationem & iudicium exequitur.*

Versiculus 2. c. 18. & 1. c. 19. Ioan. 5. Psalm. 32.

INDEX expurgatorius delet omnia, quæ iuncta sunt post ea verba, *semper infaustus*, quòd non est mirum, cùm à veritate sit alienum, quod ait patrem misericordiarum non concurrere ad iudiciũ; neque obstat, quòd in sensu reduplicatiuo loqui videatur, vt vocant, ac si diceret, pater misericordiarum, vt misericors, cùm iam in axioma Theologicum transijsse videatur, vt Deus peccatores supplicio citra condignum, idest minus, quàm meruerint, afficiat: iustos autem vltra condignum, maiora præmia conferens, quàm merita fuerint, compenset. Est autem intellectu difficile, quomodo pater non iudicet quemquam, cùm iudiciũ inter opera Dei, quæ vocantur ad extra, numeretur, nisi id de iudicio in corpore hominis facto capiamus. Certum est enim solum Christum Dominum hac ratione iudicaturum; qua ratione locum hunc S. Cyprian. l. 2. contra Iud. c. 28. intelligit, & D. August. 1. de Trin. c. 13. tametsi enim Pater, & Spiritussanctus per eandem, quam filius habet, potestatem, iudicaturi sint, idque per humanitatem Christi, velut per instrumentum externum, non tamen, vt per coniunctum instrumentum, quandoquidem soli verbo per vnionem ineffabilem humana natura coniuncta est. Nisi diceremus eapropter filio non tantùm secundum humanitatem, sed etiam secũdum diuinitatem à patre datam esse iudicandi potestatem, quòd opera tametsi externa filio per accommodationem, seu appropriationem tribuantur, quoties ad intellectum pertinent, ipse enim sapientia patris est, atque verbum æternum, cuius est dicere sententiam; quæ ratio nõ congruit Spiritui sancto; nam iudicium non est actus amoris, aut voluntatis, sed intellectus. Cur verò Filius potiùs, quàm Pater, aut Spiritussanctus incarnatus fuerit, lege apud Theologos, dum agunt de incarnatione, in quo & plurima de iudicandi potestate Christo data reperies.

Deus punit citra condignum, retribuit vltra condignum.

Cyprian. D. August.

Quomodo pater neminem iudicat, & omne iudicium filio datum est.

PROBLEMA CXXXV.

1. VR Abraham loquens cum Deo, dixit: Ego sum puluis, & cinis? An id dixit ex mera humilitate? An cum mysterio locutus est? Nam hæc duo mixta viliora, & inutiliora sunt, quàm separata. Cinis enim seorsum sumpta valet pro rhamno conficiendo. Puluis autem aqua madefacta frugifera redditur. Immixta verò hæc duo penitus inutilia sunt. An puluerem se vocauit, alludens ad id quod scriptum est, Puluis es, & in puluerem reuertêris: cinerem verò, quia crematur corpus humanum per ignem illum, de quo Apostolus, Vniuscuiúsque opus quale fuerit, ignis probabit? Gen. 18. Ibid. 3. 1 Cor. 3.

Versiculus 27.

PROBLEMA

PROBLEMA CXXXVI.

1. VR Abraham deprecando pro Sodomæis incipit à quinquagenario numerõ, & desinit in denarium? An à quinquagenario incepit, tanquam à numero remissionis, vt faciliùs veniam impetraret? An quia decem pro qualibet ciuitate præsupposuit, numerum quidem completum, & qui facit Rempub. apud Hebræos; quæ faciliùs exauditur, quàm numerus diminutus? Hinc Deus statim consensit. Genes. 18.

2. Postea Abraham diminuit semper numerum in proportiones ciuitatibus æquales vsque ad denarium, numerum quidem completum, in quo continebantur duo pro qualibet ciuitate, iuxta illud Saluatoris: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcúnque petierint, fiet illis à patre meo. An quia non sufficiebat numerus minor denario, quia témpore diluuij 8. non saluarunt mundum? An quia placandus erat ille denarius supramundanus in eorum vindictam prouocatus? Math. 18.

Versiculus 24. & 32.

3.

4.

IN problemate 135. operepretium fuisset, vt quid sit ex cinere rhamnum confici explicasset: quod autem in fine dixit corpus humanum cremari igne, de quo Apostolus loquitur, non caret difficultate: nam si velit damnatorum corpus igne gehennæ redigi in cinerem, aut etiam purgandorum in illo loco, quod Catholici purgatorium dicunt, non parum fallitur, cùm illa damnatorum corpora, tametsi in æternum torqueri debeant, numquam in cinerem redigenda sint; nec enim id fine separatione corporis ab anima fieri posset sine insigni miraculo, & tamen nunquam morientur; quandoquidem per ingens miraculum in noua supplicia grauiora in dies reseruabuntur, vt quantumcúnque flammis pessundẽtur, dirísq; crucientur supplicijs, numquam tamen absumantur. Eorum verò qui purgatricibus flammis traditi sunt, donec ad vltimum vsque quadrãtem satisfecerint, corpora nihil patiuntur, nec enim animata sunt, nec sentire possunt, nisi propria anima iterum informetur, quod solùm post vltimam, & vniuersalem omnium resurrectionem futurum esse credimus. Quòd si velit damnatorum corpora torqueri quidem, & flammis sempiternis depasci, & exuri, dummodo non pereant, ne pœnis substrahantur, non diffiteor. Locus autem Apostoli nonnihil difficultatis facessere potest, ob diuersas explicationes, quas patitur: Enimuerò per ignem, de quo loquitur Apostolus, dum in hæc verba erumpit, Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem? Origen. hom. 14. in Luc. Ambros. in Psalm. 36. & alij verum ignem intelligunt, quem animæ quantumcúnque sanctæ, vt Petri, & Pauli in cœlum euntes transire debeant. Vnde Beda lib. 3. hist. c. 19. meminit S. Fursei, qui maximos ignes vidit, per quos necessariò transeundum erat. Secunda explicatio est Chrysostomi, qui locum hunc de inferno intelligit, in quo peccator saluus, idest viuẽs, & incorruptus manebit, vt semper puniatur: ita etiam Athanasius quæst. 131. ad Antiochum. Tertiã explicatio tribuitur Caietano, imo & D. Ambros. ignem hunc esse strictum, & acre examen diuini iudicij puniens peccata post mortem per ignem, à qua non multum abest Bellarminus, qui partim iudicij, partim etiam purgatorij ignem interpretatur, quia ignis instar examen illud purissimum, sincerissimum, celerrimum & efficacissimum erit. Cornelius autem locum hunc de purgatorio intelligendum esse contendit; an verò sit ignis corporeus in eo, nondum definitum esse videtur; tantùm enim patres Florentini Concilij purgatorium esse definierunt; vnde Iustinianus ait illos non esse audiendos, qui adeò putant certa fide credendum esse ignem illum fore corporeum, vt eum qui secus sentiat, impietatis, ac perfidiæ rẽum esse non dubitent: vt enim metaphoricè vermem explicamus, de quo Scriptura loquitur, ita poterit ignis explicari, sic enim August. capite 16. lib. de fide, & oper. & lib. 8. quæst. ad Dulcit. qu. 1. ignem pro molestia sumit; sic ignis metaphoricè sumitur Luc. 12. ignem veni mittere: & Math. 3. baptizabit vos in Spiritu sancto, & igne: & Deut. 33. ignea lex. Adde quòd sufficere videatur, vt quibusdam supplicijs crucientur peccatores, quæ per ignem eò meliùs significantur, quò acerbiorem cruciatum ignis corporibus nostris inferre cernitur. Est tamen probabilius ignem tam inferni, quàm purgatorij corporeum esse, sic enim Scholastici celebriores existimant, quem splendore cariturum ait S. Basil. in Psal. 28. & Chrys. hom. 1. in Epist. ad Hebræos. At huius loci diffusior explicatio apud Controuersiæ magistros, & Apostoli interpretes videri potest. Vt autem breuiter, quod in hac re sentio, eloquar: Certum est Deum igne corporeo vel nostro, vel quocumque voluerit, vti posse ad torquenda non solum corpora, sed & animas damnatorum, & purgandorum, imo & Angelos desertores, seu cacodæmones debitis supplicijs afficiendos: quid enim implicat? Numquid ignem eleuare potest, vt supra vires naturales in spiritum agat? vt iam multi Theologi de baptismatis vnda, nec non cæterorum Sacramentorum partibus tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ sese tenentibus arbitrantur, quibus, vt physicis causis, non quidem præcipuis, sed instrumentalibus gratia in anima producatur.

Deinde certum esse existimo ad omnia Scripturæ loca de pœnis inferni, purgatorii que defendenda, sufficere, vt per ignem grauissima supplicia, quę ignis nostri cruciatibus longè maiora sint, intelligamus; cùm enim Deo nulla desit potestas, numquid efficere potest aliquid, quo grauiùs damnati, quàm igne corporeo cruciẽtur? Tertiò, nondũ pro fidei doctrina credendũ esse censeo, illũ inferni, aut purgatorij ignem esse corporeum, siue eiusdẽ, siue distinctæ speciei cum nostro constituatur, imo nec S. Thomæ doctrina damnata fuit, quod sciam; qui tamen sentire videtur dæmones, & animas per solam ignis alligationem, aut apprehensionem torqueri. Denique cùm nullam omnino repugnantiam hactenus afferri viderim, cur ignis non possit dæmones, & animas torquere, & tamen id tam

In Plinio quidem reperio cinerem multis arbustis & plantis proficere, non tamen peculiariter de rhãno, vide Plinii lib. 17. cap. 9. & 28.

Locus D. Pauli ex 1. ad Cor. c. 3. explicatur.

1. Explicatio Orig. & Ambros.

Beda.

2. Chrysost. & Athan.

3. Caietani.

5. Expositio Cornelius.

An sit de fide ignem inferni corporeũ esse. Iustinianus.

Ignis quid metaphoricè sumpt°. Augustin.

Luc. 12. Math. 3. Deuter. 33.

Ignis inferni corporeus est.

Basilius. Chrysost.

Animæ & dæmones igne corporeo torqueri possunt.

Quatuor sunt quę de igne inferni hic afferuntur.

I.

2. Per ignem inferni grauissima supplicia intelligi possunt.

3.

4.

apertè Scriptura sacra personet, hinc fit, vt censeam cuilibet Christiano ignis corporei, quo peccatores afficiantur, veritatem retinendam esse: At de hoc Apostoli loco paucula hæc delibasse sufficiat.

Carpitur Petrus Martyr.

Si tamen ex ignoratione verum sit admirationem oriri, celebrem illum Apostatam Petrum martyrem non immeritò poterimus non tantùm malitiæ, sed & ignorantiæ arguere, qui classe tertia locorum suorum communium c. 9. non potest satis admirari eos, qui hanc Apostoli sententiam de purgatorio intelligunt, quia comprehendere nequit, quomodò indulgentiæ Pontificiæ, eæ præsertim, quas ita concedit S. Pontifex, vt absolui quis possit, cùm moritur, ab omni pœna, ita vt in cœlum è vestigio eius anima euolet, cũ purgatorio consistere possint: præterea Scoto insultat, quòd actum charitatis tãto feruore elici posse dixerit, vt omnes eluat pœnas; quomodo enim omnibus cõmunis esse poterit ille purgatorius ignis, si quidam tam facilè ab omnibus pœnis liberẽtur, nisi fortassis, inquit, ignẽ in aëre collocent, fingãtque omnes sanctos, cùm ad cœlum euolant, per ignem illum transire. V tinam saperes Vermili, nec te tanta malitia obcœcasset! clarè siquidem perciperes D. Paulum nec indulgentias, nec actum contritionis, aut charitatis excludere, sed exhortari singulos, vt caueant, ne stipulam, fœnum, &c. quæ peccata repræsentant, superædificent: quia vnumquémque probabit ignis, qui nempe purgatione indiguerit;

Dubitatio de indulgentijs.

Sentẽtiam Scoti reprehendit Vermilius.

Vis indulgentiæ plenariæ.

nam qui sine vllo peccato decedunt, quique perfectè pœnis omnibus debitis ob scelera perpetrata satisfecerẽ, nihil habent quod vlla purgatione indigeat; quales sunt, qui postquam leges indulgentiæ, vt par erat, ad earum fructum referendum, obseruarunt, statim diem extremum obeunt: cùm enim indulgentia plenaria pœnas omnes peccatis antea per Dei misericordiam deletis debitas tollat, quid ampliùs superest, quàm vt anima in cœlum euolet? Hîc autem plura discutere nolim de indulgẽtijs, nec de actu charitatis pœnas omnes tollente; ea enim locum alium postulant.

Problema 136. discutitur.

In problemate 136. Venetus numeris multum tribuere videtur, nec enim Deus numeris arctatur, aut deuincitur; nec vllus scit, an Deus non fuisset exauditurus Abrahamum, si numerum minorem proposuisset, verbi gratia nouem, 7. aut 6. siquidem numerus septenarius, nõ minori laude, quàm denarius celebratur; nec ideo pepercit Deus, quòd duo in denario pro qualibet ciuitate continerentur; quandoquidem mihi dubium non est Deum veniam daturum fuisse, tametsi vndecim, 12. aut 13. Sanctus Patriarcha Deo proposuisset: Vt autem decem ait apud Hebræos Rempublicam effecisse, ita etiam in iure habemus populum, plebemve viris decem confiei, vt ad lege 15. ti. 7. digest. de verborum significatione. apud Godefr. videre est; quod tamen improbat Caluinus in Lexico iuris, maiorémque numerum cum Alciato requirit; sed de vi numerorum alibi proprijs in quæstionibus edisseremus.

Quot homines Rem publicam efficiant.

Caluinus Iurisconsultus Sectarius.

PROBLEMA CXXXVII.

1. AD quem locum reuersus est Abraham colloquio completo cum Deo habito? An ad domum suam in Hebron? nam in textu dicitur: Et reuersus est Abraham ad locum suum: An (vt allegoriam conscendamus, *quò potissimè tendit tota descriptio libri Geneseos*) explorauerat pater Abraham multa loca esse in domo patris æterni? hinc nunc ad vnum, nunc ad alium locum recurrebat: vt nomina quibus ipse vtebatur, indicant apud sapientes. Et hoc, vt ab aliquo ipsorum locorum veniam (si fieri posset) impetraret. Sicut è conuerso Bilaham tentauit diuersa loca, offerens in quolibet illorum sacrificium, vt ab aliquo ipsorum impetraret, vnde Israël maledideret; non enim erat horum Sacramentorum ignarus. Videns igitur Abraham, quòd non inueniebat locum vnde veniam impetraret, reuersus est ad locum suum meridionalem, videlicet vbi tentoria figere consueuerat.

2.

Genes. 18.

Versiculus 19.

Numer. 23.

Genes. 18.

NON iniuriâ Index expurgatorius deleri iubet ea quæ sequuntur hæc verba (*vt allegoriam conscendamus*, vsque ad, *exploraueratpater*) exclusiuè: Tantùm enim abest, vt Genesis liber allegoricè sit intelligendus, quin potius ad literam præcisè sumi debet, quantum fieri potest, alioqui de conditione mundi nihil certum erit, cùm tamen eius historiam præcipuè describẽdam Moses aggressus fuerit: neque profectò loca, ad quæ migrabat Abraham causa fuêre, cur aliquid impetraret, aut repulsam à Deo pateretur, sed potiùs charitatis ardor, quo sanctus Patriarcha Dei misericordiam implorabat, neque enim locis Deus flectitur, sed precibus, quæ eò citiùs exaudiuntur, quò feruentiores, & à persona maiori sanctitate prædita fuerint: non quòd templorum nostrorum Deo dicatorum sanctitati derogare velim, absit illud blasphemiæ genus à Catholico, sed quòd locis nihil sanctitatis habentibus, qualia erãt ea, ad quæ pergebat Abraham, nulla virtus tribuenda sit.

Genesis liber semper ad literam explicãdus est, cùm historicus sit, tametsi sensu literali supposito allegoria subiungi possit.

PROBLEMA CXXXVIII.

1. CAPVT XIX. 2. QVARE Lot cum filiabus petijt saluari in צוער Zohar? pro quo communis editio habet Segor. An quia paruula erat, paruúmque populum continens? Hinc faciliùs veniam pro isto populo impetrare sperabat. צוער Zohar, enim tunc vocabatur ciuitas illa, quod paruulam significat, quæ priùs vocabatur Bale, postea Salissa, vt Hieronymus perhibet. At quia Lot vir vnus cum duabus filiabus, quæ

Genes. 19.

Versiculus 29.

In locis Hebraic.

quæ æquiualebant vni viro, poterat saluare ciuitatem vnam, prout impetrauerat Abraham salutem videlicet quinque ciuitatum in decem viris.

PROBLEMA CXXXIX.

1. VR vxor Lot versa est in statuam salis aspiciens retrò? An, vt esset in aliorum condimentum, ne videlicet quis præsumeret Dei maledictionem contemnere, atque vt vnusquisque disceret, quàm graue delictum sit, arreptum Dei iter deserere, iuxta illud Saluatoris: Nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retrò aptus est regno Dei. An id in figuram hominis animalis factum est, qui facilè solet reuerti velut sus ad volutabrum luti, vt Petrus ait: Quemadmodum fecerunt homines animales in deserto ad carnes, & cibos Ægyptios suspirantes. Hinc Saluator dixit, Memores estote vxoris Lot.

Versiculus 26.

2.

Genes. 19.

Luc. 9.

2 Petr. 2.

Exod. 16.

Luc. 17.

IN fine problematis 138. in eadem opinione versatur, nempe duos iustos necessarios fuisse pro qualibet vrbe, vt liberari posset; quod ait duas filias vni viro æquiualere, si de sanctitate loquatur, cùm neque ad masculeum neque ad fœmineum sexum in æstimanda sanctitate Deus respiciat, certum est fœminam in æquali gratia constitutam Deo peræquè gratam esse, ac virum.

139. Problema.

Problema 139. grauissimam difficultatem attingit, de qua nos paucula dicamus. Respexit ergo post se, siue fuerit ignis strepitu, & clamore perceuntium, siue timore, ne & ipsam flamma corriperet, siue curiositate, siue bonorum suorum, & patriæ conflagratione excita; sed cur versa est in statuam salis? an quia fuit inobediens, & incredula, vt habemus Sapien. 10. vbi de ea sic loquitur Salomon, aut quisquis Sapientiæ autor fuerit, siue potiùs Spiritussanctus primarius omnium sacræ Scripturæ librorum autor *Hæc iustum à pereuntibus impijs liberauit fugientem descendente igne in Pentapolim, quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis*: vbi Lorinus meliùs dici censet, incredulæ ἀπιστούσης quàm incredibilis. Nolim iam inquirere, an damnata sit nec ne: quod D. Hieron. epist. 46. ad Rusticum existimare videtur, dum ait. *Optauerat quondam & Loth cum filiabus salutare coniugem suam, vbi legendum existimo, saluare, & de incendio Sodomæ, & Gomorræ pene semiustus erumpens, educere eam, quæ pristinis vitijs terebatur adstricta: sed ea desperatione trepida, respiciénsque post tergum æterno infidelitatis titulo condemnatur: Et ardens fides pro vna muliere perdita, totam Segor liberat ciuitatem.* Quamquam non desunt, qui eam venialiter duntaxat peccasse censeant, quibúscum sentire videtur Lorinus ad 10. cap. Sapien. qui & Actuũm 5. existimat Ananiam, & Saphiram non fuisse damnatos, sed eis Deum pepercisse. Qũa de quæstione alibi. Alias verò causas inquiramus cur vxor Loth in statuam salis versa fuerit. An igitur regionis cladem contemplando sæuam nimis suspicata est, supráque delicti meritum, & indigniùs tulit? statua verò salis in quam versa est, vocatur ἐστηκυῖα στήλα, columna statua, Hebraicè נציב Netsib, tumulus & cumulus; Chaldaicè קמתא Kamtha, statua.

4. causæ proponuntur cur vxor Lot post se respexit.

Cur vxor Lot in statuam salis cõuersa est Sapien. 10 Prima causa proponitur.

Hieron.

Lorinus.

An vxor Lot lethaliter peccauerit.

An Ananias & Saphira salutem cõsecuti sint.

Secunda. ἐστηκυῖα στήλα.

An ideo versa est in statuam, vt ait Aben-Ezra, quia perijt igneo imbre, qui sulphur & sal admixtum haberet; & quidem mirabile est (si verum) illam statuam salis à gregibus ita lambi, narrante Beniamino Tudelensi in Itinerario, vt cùm imminutus est cumulus, denuò ad pristinam molem crescat: quam Iosephus 1. Antiq. cap. 19. & Brocardus de locis sanctis parte 1. cap. 7. num. 24. sua ætate perseuerare tradiderunt. An quando respexit, attendebat quæ circa domum patris fierent? cùm esset ex filijs populi Sodomæ, vt vult Thargum Hierosol. adeout illa statua duratura sit vsque ad tempus vniuersalis resurrectionis. An, vt vult Lyranus, quia in pridiano conuiuio salem præbere noluisset hospitibus, vt nugantur Hebræi? An, quod idem esse videtur, illos hospites tristis, ac tetrica sine sale leporis, & comitatis excepit? quicquid sit, certum est illam statuam fuisse in τῷ μνημείῳ memoriam, monumẽtum, cippum, atque lapidem titularem. Certum est autem id virtute diuina fuisse peractum; quod author libri de mirabilibus Scripturæ lib. 3. cap. 11. ita factum arbitratur, vt Deus materiam salsam in toto corpore existentem, quæ in lachrymis, sputo, sudore cæterísque excrementis apparet, per omne corpus infuderit, illúdque infecerit. An verò sal illud fuerit metallicum, quod pluuiæ resistit, de quo Plin. lib. 31. ca. 7. vt est probabile, cùm illa statua tandiu durarit, vt de ea cecinerit Tertul. carmine de Sodoma.

Ipsáque imago sibi formam sine corpore seruans
Durat adhuc, numquam pluuijs nec diruta ventis:
Quin etiamsi quis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur & viuens alio iam corpore sexus,
Munificos solito dispungere sanguine menses.

An verò fuerit sal commune, quo passim in cibis condiendis vtimur, non vsque adeo certum est: quod tamen à peregrinis facilè deprehendi posse credidero, si stet adhuc inter Engaddi, & mare mortuum, vbi Brochardus eam collocat. Anima verò cùm sit immortalis in sal conuersa non est, sed purgatorium adiuit, si venialiter duntaxat peccarit, & aliunde gratiam diuinam in se inhabitantem haberet, alioqui si lethali peccato infecta est, cum obijt, ad inferos detrusa est.

Tertia.

Beniamin. Iosephus.

Brocardus.

Quarta.

Thargum Hierosol.

Quinta.

Sexta.

Autor. de mirabilibus Script.

Quomodo & qua virtute versa sit in statuam salis.

Plinius.

Quale fuerit sal, an metallicum.

Tertullian.

An commune.

PROBLEMA CXL.

CAPVT XXI. 1. 2. *Versiculus 4.c.16.*

VR Hagar concepto Ismaële Saram despexit? An quia communiter fieri solet, vt intumescat quispiam videns se in aliquo alijs præstare? An, vt ait Apostolus, quia semper is, qui est secundum carnem, persequitur eum, qui est secundum spiritum? Hinc Hagar mater hominis animalis despiciebat Saram, futuram matrem hominis melioris, & spiritualis. Pari ratione Ismahel animalis homo ludebat cum Izahac spirituali, quærens opprimere ipsum, & ad malum cultum deducere (vt Zohar ait) Ægyptiorum videlicet, & aduersantium vitæ spirituali, iuxta illud Saluatoris: si me persecuti sunt, homines animales videlicet; & vos persequẽtur, qui estis homines spirituales.

Genes. 16. Ad Gal. 4. Genes. 21. Zohar. Ioh. 15.

PROBLEMA CXLI.

1. *Versiculus 10.c.21* 2. 3.

VR dictum est Abrahæ: Eijce ancillam, & filium eius? An vt indulgeret vxori? Sed quid hæc inter tot tantáque Sacramenta libri huius, mysterijs (vt dictum est) vndique pleni? An igitur ne filius ancillæ esset hæres cum filio liberæ, vt ibidem habetur, & à Paulo confirmatur? An vt inde doceremur abijciendum esse hominem animalem, & voluptatem? iuxta illud Saluatoris: Qui perdiderit, & destruxerit, vel abiecerit animam suam, voluptatem videlicet animalem, in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Quando videlicet resurget animalis homo in hominem spiritualem, vt vterque beatificetur.

Genes. 21. Ad Gal. 4. Ioh. 12.

PROBLEMA CXLII.

1. *Vers. 3. & 15.cap.16.* 2.

VR Abraham concubuit cum ancilla Ægyptia, vt haberet Ismahelem? An vt ex influxu animali generaret hominem animalem, vt pater esset vtriúsque familiæ, animalis videlicet, & spiritualis? Hinc & pater multarum gentium (sicut promiserat ei Deus) effectus est. An vt inde susciperet aurum, & influxum rerum temporalium, quæ omnia extrinsecus parta, filijs concubinarum relinqueret? Nam omnia quæ ipsi propria erant, Izahac vero ac legitimo hæredi reliquit, filijs autem concubinarum dedit munera, vt habetur, vbi de ipsius testimonio agitur? ab Ægyptiaco enim influxu illa proueniunt.

Genes. 16. Ibidem. 12. Ibid. 25.

PROBLEMA CXLIII.

1. *Vers. 18. & 20.c.17.* 2.

VID profuit oratio Abrahæ pro Ismahele facta? nonne scriptum est. Etiam pro Ismahele exaudiui te. Sed ad quid exaudiuit, cùm iam expulsus fuisset cum matre? Nonne subinfertur, Ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde; duodecim duces generabit, & faciam illum crescere in gentem magnam. Semper enim Deus duplici familia oblectatus est, superiori videlicet, & inferiori, spirituali, & animali, libera, & seruili, de qua Paulus apertè cum Galatis tractat. Hinc nati sunt 12. principes inferiores iuxta duodecim principes superiores, & turba magna inferior contra turbam magnam superiorem. Dolent autem Hebræi de oratione nimis efficaci facta ab Abraham pro Ismahelitis, vel Hagarenis, qui temporibus nostris Turcæ & Arabes, seu Mahumetici dicuntur. Nam adeò prosperantur, vt filijs liberæ quodammodo præualeant. Id tamen, vt reor, diuina dispositione factum est, vt habeat Deus in domo sua seruilem, & liberam familiam copiosam, vt Paulus innuere videtur.

Genes. 17. Ibid 16. Ad Gal 4. Ad Gal 4.

PROBLEMA

PROBLEMA CXLIV.

1. *Versiculus 2. c.21.*

VR Abraham dixit Abimelech regi Geraræ, quòd Sara esset vxor eius, timens pulchritudini eius cùm iam annosa esset? Nonne (vt diximus) hæc per allegoriam scripta sunt? Nam per Saram sapientia rerum diuinarum intelligitur, quam nec Pharao, nec Abimelech merebantur accipere, cùm ambo addicti essent scientijs profanis, & peregrinis, quas ritè Boëtius ancillulas vocat. Quæ non conueniunt cum vera Sapientia, sterilésque manent, idest sine fructu, nisi sanentur ab errore gentilitatis. Hinc scriptum est, quòd orante Abraham sanauit Deus Abimelech, ancillásque eius, & pepererunt. Pulchra autem erat Sara, idest Sapientia rerum diuinarum, ea pulchritudine de qua Plotinus inquit: Efficiatur quis diuinus, pulcher, atque Deiformis, si modò diuinam pulchritudinem sit inspecturus. Nec mirum, si Abraham cedebat hanc vxorem, vel sororem Pharahoni, & Abimelech, quia scriptum est de ea, quam sine inuidia communico.

Genes. 20. Genes. 10. Plotin c. 9. de pulchro. Sapien. 7.

Discutiuntur rationes Veneti. 1. 2. Deus licet impios viuere sinat, odit tamẽ. *Problema 143.* Psalm. 5. *Problema 144.* Philonis locus excellens.

IN 140. problemate ratio deducta ex Apostolo tropologica est, quam sequenti prosequitur. Prima ratio 142. problematis inepta videtur, cùm æqualiter influeret Abraham generando Ismaëlem, ac Isaacum; nec possit quicquam in filium pater, præter seminalem spiritum influere, qui totam massam corpoream embrionis fermentet, & perficiat, donec ad animã rationalem suscipiẽdam apta fuerit, quã solus Deus infundere potest. 2. ratio non videtur melior; & quidem risu dignum est, quòd Abraham genuerit Ismaëlem, vt spolia quibusdam detraheret, & ditaretur; non est igitur alia ratio, quæ magis satisfaciat, quàm ea, quæ superius tacta fuit; siquidem huic generationi vacauit, ne diuina promissio falsa redderetur, si nullum generaret.

In problemate 143. cauendum est, ne Deum existimemus in illo hominum ordine sibi complacere, qui vitam animalem sequuntur, & effrœnes in brutorũ affectuum abrupta ferũtur: tametsi enim Deus improbos dominari, pios verò subijci, torqueri, & affligi permittat, non ideo tamen impiorum actiones ei placent, quandoquidem odio est ei impius, & impietas eius; vnde ait Psalmes Psal. 5. odisti omnes qui operantur iniquitatem: sed ob multas rationes id permittit, quas attulimus contra Atheos diuinæ prouidentiæ detrectantes.

In problemate 144. vbi ait, *Hæc per allegoriam scripta sunt*: Index expurgatorius vult addi particulam, *etiam*; vt sic legamus; *hæc etiam per allegoriam dicta sunt*, de qua eleganter Philo lib. de Abrahamo edisserit, & nos iam ad problema 112. diximus: locum Philonis tantummodo hîc afferam, vt potè præclarum. *Audiui tamen*, inquit, *& naturæ Interpretes non ineptam afferentes allegoriam, qui hunc maritum (nempe Abraham) aiebant significare bonum intellectum ex nominis interpretatione, coniicientes hæc dici de bona anima. Huius vxorem esse virtutem, quæ Chaldaicè nominatur Sarra, Latinè princeps, eo quòd nihil æquè principes, & magistratus deceat. Coniugium verò corporum quidem voluptas conciliat; cogitationum autem purificationis cupidarum copulam, qua perfectis virtutibus iunguntur, curat sequestra Sapientia. Quæ duo connubia sunt diuersissima, & planè contraria. Nam in genere corporeo mas genituram proseminat, quam excipit fœmina. Contra in congressu pertinente ad animam, virtus, quæ censetur fœmina, suapte natura proseminat consilia bona, rationésque probatas, & dogmata vitæ vtilissima. Intellectus autem qui mariti tenere ordinem videtur, illa sacra diuinámque semina suscipit, nisi forsan error est in nominibus, dum in vocabulis masculineum formam intellectus habet, virtus fœmineam.*

Præclarè explicatur conflictus virtutum, & vitiorum.

Quod si quis res exutas nominum amictu nudas purásque inspiciat, sciet virtutem suopte ingenio masculam esse, vt quæ mouet, ac afficit, & honestos conceptus honestarum actionum atque orationum suggerit: è diuerso intellectum rem fœmineam, quæ mouetur, erudiri, adiuuatur, & in totum æstimatur ex affectione, quæ quidem est sola salutifera. Siquidem etiam pessimus quisque virtutem verbis honorat, & extollit in speciem, sed monita eius nemo nisi probus recipit. Quamobrem Ægypti rex, per quem significatur intellectus amator corporis (quod Abimelecho potest applicari) mimum agens tanquam in theatro, fingit amorem temperantiæ, cùm sit ipse intemperans, & sobrietatis ipsius luxu perditus, & iniustus iustitiæ, accersens ad se virtutem, vt apud vulgum existimationem præclaram sibi comparet. Quod vbi videt ille supernus spectator omnium Deus, qui solus animi secreta perspicit, pertæsus fucatam improbitatem arguit inclementibus cruciatibus. At quibus ad hoc instrumentis vtitur? nimirum quibusdam virtutis partibus, quæ quoties subintrant, acerbos dolores excitant. Tormentum enim est insatiabilis cupiditatis frugalitas, & lasciuiæ continentia. Sic gloriosus cruciatur fœlicitate modestiæ, & iniustus, dum iustitia habetur in pretio: incommodè enim in vna anima habitant duæ contrariæ naturæ, virtus, & vitium. Quapropter quoties congrediuntur, atroces seditiones, & pugnas concient. Quamuis virtus sedatissimo est ingenio, quam aiunt solere quoties imparem se veretur aduersario, prius virium suarum periculum facere, vt confligat, si quasi ostendat spes victoriæ; sin minus, ne descendat quidem in certaminis aleam. Vitium enim vinci se turpe non putat, assuetum ignominiæ. At virtus hoc probrum fugitat, cui maximè gloria competit, cuius innato amore aut vincere vult, aut certè inuicta permanere. Hæc est igitur de qua dixi Ægypti libido & inhospitalitas. Quem Philonis sensum allegoricum non improbo, si literæ sensum priùs verum esse supponis.

PROBLEMA CXLV.

QVARE Abraham inijt fœdus cum Abimelech alienigena, & cur in testimo-
nium fœderis septem agnas constituit? Nonne docuit nos summus Christus Genes. 21.
I. consentiendum esse (dum sumus in via) nedum extraneo, sed etiam aduersa-
rio? Et hoc dummodo ex huiusmodi conuentione non offendatur Deus, nec Math. 5.
anima. Conuenerunt autem Abraham, & Abimelech, ne alter alterum offen-
deret, maximè quoad puteum effossum ab Abraham; puteum (inquam) Sacra-
mentalem, de quo statim dicemus. Septem verò agnas statuit in testimonium iuramenti vi- *De septenario numero.*
delicet, quod in septenario fit, sicut apertè docet author libri, qui Porta lucis inscribitur.
Hinc vocabulum septenarij & iuramenti ijsdem literis scribitur apud Hebræos. Iurantes
enim adiuramus septem fontes aut canales influentes in Bersabah, idest puteum septem.
Vnde si verum dicimus, influunt in nos bonum; sin autem, obturantur. Hinc forsitan à sa-
pientibus antiquis sancitum fuit, vt pro testamento condendo septem testes adhibeantur.

Versiculi cap. 21. ar. 27. vsque ad 33. explicantur tam hoc, quàm sequentibus problem.

PROBLEMA CXLVI.

QVIS est puteus, quem fodiens Abraham vocauit, idest puteũ septem? Nonne Genes. 21.
I. est ille archetypi, ad cuius similitudinem cœli facti sunt? Inter quos cœlos est
luna, de qua dicitur: sicut luna perfecta in æternũ: de qua etiam Isaias ait: Erit Psalm. 88. Isai. 30.
lux lunæ sicut lux solis. Et de hoc puteo amplissimè habetur in Zohar. Et sicut
luna suscipit influxum omnium planetarum) vnde potest dici puteus septem, De influxu putei cabalistico.
annumerando proprium influxum) sic luna supramundana suscipit influxum septem cana-
lium, aut numinum, quibus respondent septem spiritus, qui (teste Iohanne) in conspectu
throni Dei sunt, & per eos planetæ. Quem influxum Abraham curauit deducere in puteum Apoc. 1.
illum, vt inde hauriret pro libito aquam in gaudio de fontibus Saluatoris, vt Isaias ait: Et hunc Isai. 12.
serui Abimelech indebitè sibi vendicare voluerunt.

Versiculus 31.

PROBLEMA CXLVII.

CVR nomen ciuitatis apud illum puteum fabricatæ vocabatur Bersabah? Nonne Genes. 26.
I. quia hinc deducti fuerunt canales supramundani ad puteum, de quo nuper di-
ximus? Et hoc primò per orationem Abrahæ: deinde reducti per Izahac, quia iam Canales ciuitatis Bersabah, sed cabalistici.
obturatus fuerat à Philistijm idest cadentibus: Hi autem fuerunt mali An-
geli, qui iam à cœlo ceciderant aduersarij semper bonorum, omnémque
bonum influxum impedire quærentes. Quem locum possedit Dauid; hinc non sine
causa dictum est, quòd regnauit Dauid à Dan vsque Bersabah. Locus enim ille, qui alio no- 2. Reg. 24.
mine regnum dicitur, fuit peculiaris ipsi Dauid, qui fuit primus, & excellentissimus rex de
tribu Iehuda super vniuersum Israël, vt in 2. Regum volumine, dicitur. Et ideo præparauit Cap. 8.
omnia pro Dei templo ædificando, Dei cultum erexit, sacrósque, & celeberrimos hymnos, 1. Paral. 28.
vbique gentium decantandos composuit.

Versiculus 23. & 24. ca. 26.

CLARVM est in textu, cur Abraham fœdus inijt cum Abimelech, quia Abimelech secum assumpto Phicol principe exercitus sui accessit, vt amicè fœdus iniret, cui mirum non est quòd Abraham consenserit, præsertim si Abimelechi pietatem & iustitiæ studium inspexerimus, qui se paratissimum iniustitiæ vltorem ostendit, qua serui Abrahæ à seruis Abimelech affecti fuerant; quam excusationem ita accepit Abraham, vt regi oues, & boues largiretur, quos tamen in pretium putei, & loci circumuicini datos fuisse censuit Abulensis, vt ea ratione locum hunc titulo permutationis, non verò gratuitò possideret, quia nec passum pedis in terra Palestinæ gratis habuit Actuum 7. Hoc autem fœdus ad annum mundi 2154. Abrahæ 116. Ismaëlis 36. Isaaci 16. Salianus retulit.

Tostatus. Actuum 7. Annus mũdi 2154. Nomẽ Bersabee discutitur, eiúsque radices afferuntur.

Quod verò attinet ad puteum Bersabee, Hebraicè scribitur באר־שבע Beer-Sauah, quorum prius vocabulum significat puteum, foueam, & metaphoricè insidias, periculum, pernitiem, miseriam; cuius radix esse videtur באר Beer, idest, exposuit, purum, & clarum reddidit: hic autem puteus erat propè Hebron vltimus longitudinis limes terræ promissæ ad meridiem, sicut vrbs Dan ad Septentrionem, vnde *à Dan vsque ad Bersabeam*, sæpè dicitur, pro à *Septentrione ad Meridiem*, quod fuit interuallum 160. milliarium: à Ptolomæo Berzana dicta est, nunc autem Giblyn appellatur. שבע Sauah verò, idest iurauit; vnde nomen fœmi-

160. milliaria habuit longitudo terræ promissæ. Giblyn.

ninum

ninum שבע iuramentum, votum; est autem apud Iudæos hæc forma iuramenti. Qui præstat iuramentum, tenet librum legis brachio suo, & lingua sancta iurat in hunc modum. Ego iuro per Deum Israëlis, per eum, qui dicitur clemens, & misericors, quòd huic nihil debeam. Iudices dicunt. Nos adiuramus te per D um, aut per eum, qui appellatur misericors, quòd non sit in manu tua quicquam, & ipse respondet. Amen.

Mos iurandi Iudæorũ & testium

Idem etiam vocabulum septem significat, & Arabes septimanam dicunt שבוע, vnde & nomen Sabbathi, significat etiam satiatus est, euasit, saturauit, abundantiam, satietatem, & seuihi, idest septimus. At, quod ait Venetus in problem. 145. nos 7. canales adiurare influentes in puteum, quem in sequenti problemate de luna explicat, canales verò de 7. planetis, aut numinibus, quibus 7. Apocalypsis spiritus respondeant, cabalisticum est, ac proinde contemnendum, & omnino reijciendum; & quidem risu mihi dignum esse videtur, quòd existimarit Abraham in puteũ deduxisse influxus illos; si enim puteũ illum pro Christo allegoricè intelligi velit, quomodo in eum Abraham potuit deducere influxum, à quo nos omnes accepimus, cuius etiam diem cùm ille patriarcha vidisset, gauisus est? Valeat ergo Venetus cum suis supramundanis canalibus, nec enim tempus insumendum est in illis explicandis, aut inueniendà ratione, qua dona Dei, orationes, & merita iustorum, sacramenta nostra, & diuina attributa, fontes, & canales dici possint; nam quicquid sit Venetus catholicè, clarè, & sine amphibologia loqui debuisset, præsertim cùm Cabalistas, Rabbinos, & magos hisce loquendi modis, & nominibus frequenter abuti videamus.

שבוע *145. Problema.* De puteo, & canalibus cabalisticis.

In 147. problemate sensum literalem spernere videtur, dum Philisthijm pro dæmonibus accipit, quod tametsi per allegoriam verum est, re tamen vera illud genus hominum Philisthijm puteum obturauerunt.

147. Problema.

PROBLEMA CXLVIII.

CVR dicitur quòd plantauit Abraham nemus? An de nemore materiali
est sermo? Sed ad quid hoc tam sacris eloquijs interseritur? An igitur Genes. 21.
I. plantauit illud nemus, de quo scriptum est: Et cedri Libani, quas plan-
2. tauit? Libanus enim, & nemus in archetypo idem censentur. Et hic est
hortus voluptatis in terra viuentium plantatus. Sed numquid Abraham Psal. 103.
plantauit hunc hortum in terra illa? Nonne Deus ipsum plantauit? cùm
scriptum sit: Plantauerat autem Dominus Deus hortum voluptatis à
principio. Nonne idem est plantare arbores illias in mente, quod fodere puteum septem, qui Genes. 2.
Bersabah dicitur? Plantauit igitur Abraham arbores, & gradus illos in mente sua; sicut de
3. verbo, quod est arbor vitæ, dictum est: suscipite insitum verbum. Iacob. 1.

Versiculus 33.

CERTVM est mentionem fieri de vero nemore materiali, quod Abraham plantauit Hebraicè אשל esel, quod significat omne genus arborum; 70. verterunt ἄρουραν agrum; ideo verò censendus est ibi arbores plantasse, vel vt exciperet peregrinos, vel vt sub vmbra prandere posset, & puteum obtegeret; sic enim tentorium eius arbori vicinum erat in Mambre, vt habemus Gen. 13. Cætera, quæ in toto problemate habet, coactam allegoriam, ne dicam inexplicabilem habent, in quibus ostendendis tempus insumere nolo, vt ad magis seria properemus.

אשל Genes. 13.

PROBLEMA CXLIX.

QVOMODO mille argentei dati fuerunt Abrahæ ab Abimelech in velamen
oculorum Saræ? An in recompensationem iniuriæ ei illatæ, auferendo ab eo
vxorem? Sed quomodo fuerunt in velamen oculorum Saræ? An quia restituit Genes. 20.
I. vxorem, & donauit in signum quòd malè acceperat, nec fuerat ea abusus? nam
iussu Dei restituit, & donauit, vt indicat ille numerus millenarius diuinus, vt
alibi dictum est. Dedit quoque Abrahæ numerum diuinum, in signum quòd
Deus erat cum eo, sicut ipsi Abimelech à Deo dictum fuerat, Redde vxorem viro suo, quia
Propheta est, & orabit pro te, & viues.

Versiculus 16. ca. 20.

PRO argenteis Hebraicè scriptum est כסף Keseph, 70. habent δίδραχμα, Chaldæus siclos, vnde concludit Delrio tunc in scriptura sermonem esse de siclis, quando loquitur de nummis argenteis, aut aureis; hîc verò de maioribus siclis mentionem fieri putat, itaut mille argenti florenos Belgicos mille, regalésque Hispanicas quater mille valeat, apud nos mille libras: כסף Keseph verò significat argentum, seu pecuniam à radice כסף concupiuit. Budęus autem vult siclum seu didrachma argenti esse similem argenteum, qualem vnum habent Parisijs in Ecclesia S. Ioannis ex ijs 30. quibus Christus venditus fuit; idque pondere didrachmi.

כסף Budæus.

Millenarium numerum, quem diuinum appellat, eum esse scio, quo plenitudinem rerum Scriptura sacra designare solet, est enim cubus denarij omnem longitudinem, latitudinem, & profunditatem referens; quo numero Virgilius vtitur, dum varios iridis colores explicat, Mille trahit varios aduerso sole colores; itaque si hoc sensu numerum hunc vocet diuinum, quatenus ad res diuinas explicandas aliquando vsurpatur, concedi poterit, vel quatenus perfectionem denotat, quæ est in solo Deo maxima, non autem in alio sensu: nec vlla vis in numeris ponẽda est, vt numeri sunt, quod aliquando latè demonstrabitur. Cæterùm illud problema cabalisticum est.

Virgilius.

PROBLEMA CL.

1. *Verſicul. 1. c. 16. & ſecundus cap. 21.*

CVR Sara primùm fuit ſterilis, & poſtea fœcunda? Nonne Sara fuit ſterilis via naturali? Quod cognoſcens Abraham per ſuã (vt Zohar inquit) aſtrologiã, dixit: Domine Deus quid dabis mihi: quã videlicet mercedẽ vitæ, cùm ego ſim ſterilis, & quaſi maledictus? hinc ſcriptum eſt. Eduxítque eum foras, extra videlicet aſtrologiam cœlorum, & poſtea dixit illi. Sic erit ſemen tuum, ideſt ab influxu cœlis materialibus ſuperiori erit ſemen tuum, à cœlo videlicet ſupramundano. Nam illud ſic, quod Hebraicè כח coh dicitur, denotat (teſte eodem Zohar) locum quendam archetypi, vnde venit fœcunditas filiorum, & locum præcipuè vnde venit Izahac. Et ideò, vt innueret, quod non à cœlo materiali, neque à naturæ ordine, ſed à cœlo ſupramundano eſſe debebat Abrahæ fœcunditas, diſtulit Deus dare prolem Saræ, quoúſque tranſiret tempus generandi, vt in Geneſi habetur. Geneſ. 16. & 21. כח Zohar.

ID mihi perridiculum videtur, quod ex Zohar refert Abrahamum ex aſtrologia Saræ nouiſſe ſterilitatẽ, cùm ad illud cognoſcendũ non ſit aſtrologia neceſſaria, ſed experientia manifeſta ſatis ſupérque ſufficiat: Tu ne exiſtimas Georgi, Saræ ſterilitatem Abrahamum ex ſignis ♈. ♋, ♊, & ♏, in vxoris natiuitate dominantibus præuidiſſe? hæc enim ſigna ſterilia dicunt aſtrologi: an ♄ iracundo aſpectu cernentem dixeris? nugæ: Quod ſi conceſſerimus Abrahamum à Deo didiciſſe fœcunditatem à cauſa cælis ſuperiori, nempe ab omnipotenti bonitate fluxiſſe, non ideo tamen locum aliquem in archetypo deſignabimus, à quo præſertim Izahac otiundus ſit; non enim in Deo, vt pote incorporeo ſunt vlla loca; niſi diuina attributa diuina loca dicere volueris, quod propriè ſine metaphora ſatis ingrata dici nequit. Signa ſterilia cœli.

PROBLEMA CLI.

1. *Verſic. 12. & 13. c. 18.* 2. 3. 4.

CVR riſit Sara, dum Angelus partum nuntiaret, & cur ipſe Angelus eam redarguit? An propter inexpectatum nuntium tanquam de re noua riſit? Sicut communiter euenire ſolet: An (vt altiùs cum Zohar conſcendamus) riſit de coniunctione ignis cum aqua, maſculi & fœminæ, lateris dextri, & ſiniſtri? Vnde naturalis riſus, & lætitia, iuxta illud. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. An riſit, quia impoſſibile exiſtimabat id, quod nihilominus appetebat? ſicut ſæpè contingit. Hinc ipſa dixit. Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo? An redarguit eam, quia irriſerat velut incredula? Quod negauit offendens, vt fugeret offenſam. Vnde nõ redarguit eã Angelus de riſu, ſed de irriſione ob incredulitatẽ facta. Nã riſum illum adeò gratum Deus habuit, vt iuſſerit puero imponi nomen ab illo riſu, Izahac videlicet. Geneſ. 18. Zohar. Cantic. 2.

QVISNAM obſecro cõiungebatur ignis cum aqua? ſanè pulcher Zoharis aſcenſus, aut potiùs ad nugas deſcenſus; vt inam Venetus ſua problemata tot nugeculis non reſperſiſſet; ſcio quidem vix quicquam tam ridiculum eſſe, vt bono ſenſu explicari non poſſit; at in Scriptura ſacra non eſt ludendum, ſed graui ſermone atque ſerio loquendum eſt. Iſaac autem dicitur à radice צָחַק, quæ ſignificat riſum, ex gaudio vel contemptu. Philo lib. 1. de Abrahamo cauſam aliam reddidit, quòd nempe verita ſit, ne fortè gaudium, quod nulli creaturæ conuenit, ſolius Dei rem vſurpaſſe videretur, vbi & ait Iſaac eſſe nomen Chaldaicum. צחק Philo.

PROBLEMA CLII.

1. CAPVT XXII. *Verſic. 2. hoc & ſequenti problem. explicatur.* 2. 3.

CVR tentauit Deus Abraham, vt filium immolaret? An, vt quemadmodum ipſe probatus fuerat quoad corpus, quãdo Chaldæi proiecerunt ipſum in fornacem, quia nolebat ab vnius Dei cultu recedere, probatúſq; in rebus & patria, quando Deus iuſſit ei omnia relinquere, ſic probaretur in filio, quem pater nõ minus diligit, quã ſeipſum; vt quanto magis probatus, & tẽtatus eſſet, tãto altiùs vexillum eius tolleretur? Tentare enim, & eleuare eodẽ vocabulo apud Hebræos dicuntur, נִסָּה neſah videlicet. Vt ibi. Eleuatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine pſal. 4. Pro quo communis editio habet ſignatum. An vt immolaret Izahac, ideſt riſum in figuram illius, in quo pater æternus ridet, & benè ſibi cõplacet? An vt quàm optimè colligaretur Abrahã cum Izahac? Et hoc, vt ex illis extremis generaretur Iahacob medius, in cuius domo regnat mediator. Geneſ. 22. נסה Luc. 2.

Vbi

PROBLEMA CLIII.

1. 2.

VBi iuſſus fuit immolari Izahac? Nonne in monte, qui dicitur Moriath, aut Dominus videbit, intentionem videlicet Abrahæ? Sicut de Habel ſcriptum eſt, Reſpexit Deus ad Habel, & ad munera eius. Sed vbi eſt locus iſte? Nonne in Ieruſalem, quæ idcircò dicta eſt viſio pacis, quæ priùs Salem, ideſt pax dicebatur? Hæc autem pax fuit oſtenſa mortalibus poſt oblationem Izahac figurantis illum, qui per ſanguinem ſuum pacificauit ea, quæ in cœlis & in terris ſunt, vt Apoſtolus ait. In hoc quoque monte ædificatum fuit templum, quod eſt pars Ieruſalem. Qui mons perpendiculariter exiſtit (vt Sapientes aſſerunt) ſub templo ſupramundano, de quo dicitur, Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes eius. Geneſ. 22. Geneſ. 4. Ad Coloſ. 1. 2. Paral. 3. Pſalm. 10.

PROBLEMA CLIV.

A Verſiculo 3. uſq; ad 11.

QVOMODO ad montem illum perrexit Abraham cum filio? Nonne tot ſunt Sacramenta, quot ſententiæ huius hiſtoriæ? Primò enim ſcriptum eſt, quòd ſtrauit aſinum, corpus videlicet, & hominem animalem, tanquam indignum tam ſublimi myſterio. Secundò iuit cum duobus iuuenibus, ideſt duobus populis, pro quibus Izahac in figuram offerebatur. Futurus enim erat pater Iahacob, & Heſau, Iſraëlitarum videlicet, & Idumæorum, pro quorum quolibet impetrauit fauorem, oblatus in figuram Chriſti, pro ſalute Iſraël, & Gentium, & pro ſalute hominis animalis, & ſpiritualis immolati, iuxta illud, Homines, & iumenta ſaluabis Domine. Tertiò portabat ligna, figurantia ligna crucis, in remedium peccati per lignum commiſſi electæ. Quartò habebat gladium, & ignem, quem Ieſus venit mittere in terram, vt ipſemet teſtatur. Quintò applicuerunt die tertio, quo homo perfectè purificatur. Sextò pergebant pariter, in voluntate videlicet. Hinc pariter meruerunt offerens, & oblatus. Geneſ. 22. Quinque notantur quæ eundo ad mõtem Abraham exercuit, quæ ad Chriſtum referuntur. Pſalm. 35. Math. 10.

QVOD ad 152. problema attinet, certum eſt Deum ideo tentaſſe Abraham, vt eius virtutem in animo latentem oſtenderet, acueret, perficeret, ac tandem coronaret: Notant autem Hebræi decies Abrahamum à Deo tentatum fuiſſe. Primò cùm iuſſus eſt relinquere patriam, & cognatos, & ire peregrinus in terram ignotam. 2. cùm ob famem in Ægyptum peregrinari iuſſus eſt. 3. cùm vxorem Pharao ſuſtulit, ipſéque necis periculum, illa pudicitiæ ſubijt. 4. cùm ob iurgia famulorum coactus eſt diuelli à Lot, quem velut filium aluerat, & diligebat. 5. cùm 4. reges fortiſſimè debellauit, vt Lot captiuum liberaret. 6. cùm Agar, quam vxorem duxerat, iam ex ſe grauidam impulſu Saræ domo eiecit. 7. cùm ſenex iuſſus eſt circumcidi. 8. cùm per regem Abimelech ablata eſt ei vxor. 9. cùm rurſum vxorem Agar, & filium Iſmaëlem, primò Saræ inſtinctu, tum Dei iuſſu domo expulit. 10. cùm iuſſus eſt immolare filium ſuum Iſaac; itaut hanc ſolam Moſes tentationem vocarit, quia omnium grauiſſima fuit; quippe quæ tot ſtimulis, & tentationibus, quot verbis facta eſſe videtur: Hebraica ſiquidem phraſis ſonat, tolle nunc filium tuum, vnicum tuum, quem vnicè diligis Iſaac; quem offerendo omnes ſpes ſuas, omniáque bona ſibi promiſſa Deo offerebat; quam tentationem egregiè D. Auguſt. Serm. 72. de tempore, & S. Ephrem de Abraham, & Iſaac expendunt, de qua etiam D. Ambroſ. lib. 1. de Abrah. cap. 8. Philo lib. de Abraham, & Orig. hom. 8. videri poſſunt; & quidem mira fuit Abrahami conſtantia, adeout conſtantiæ magnitudo cum tentationis vehementia contendere videatur: *Ille enim*, inquit Philo, *quamuis maiore quàm dici poteſt teneretur filij deſiderio, nec colorem mutauit, nec animum flexit, ſed conſtantiſſimè perſtitit in eadem ſententia; quippe qui Dei amore ſubactus fortiter vincebat omnes cogitationis affectus, & omnia nomina.* Quod in fine ponit colligatum fuiſſe Abrahamum cum Iſaac, clariùs exponi debuiſſet; quis enim diuinet, an eos colligari velit ſpirituali coniunctione, an alia? nec ratio, quam addidit legitima eſſe videtur, quia tametſi Abraham non immolaſſet Iſaac, mediator tamen Chriſtus Dominus in medio Iacob regnaſſet, ex hypotheſi promiſſionis iamdiu Abrahamo factæ, quandoquidem decreta Dei mutari nequeunt, ſi tamen incarnatio Chriſti, vel æternum de ea decretum Iſaaci oblationem includeret, præcedere debuit voluntarium Abrahami ſacrificium.

Abrahã decies tentatus à Deo. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Tentatio omniũ grauiſſima. Auguſtin. Ephrem. Ambroſ. Abrahami conſtantia. Philo.

In 153. montis Moriæ meminit, qui Hebraicè מריה ſcribitur à radice מָרַר Marar, ideſt amarus fuit, vel מוֹר, ideſt myrrha, quia myrrhæ, aloës, & cinnamomi ferax erat, vel quia patri tam immolanti, quàm filio immolando amarus fuit. Poteſt etiam Moria à radice יָרֵא deduci, ideſt, timuit, quòd poſtea Deus in hoc monte coli, & timeri deberet. Vnde Chaldæus vertit, *Vade in terram diuini cultus*; vel à יָרָה iara, ideſt docuit, eo quod תּוֹרָה thora, ſeu lex de Sion, & Moria exitura eſſet Iſai. 2. vel à רָאָה raa, ideſt vidit: vnde interpres noſter vertit, *in terram viſionis*; iſte ſiquidem mons conſpicuus, & altus erat, itaut eminus videri poſſet; adde quòd ibidem Prophetæ ſuas viſiones acceperint: & Chriſtus viſibilis apparuit, Baruc 3. & hunc montem Deus Abrahæ oſtendit. Notant verò montem hunc in plures colliculos diuiſum fuiſſe, nam in parte Orientali montis eiuſdem erat Sion, in qua & arx Dauid, iuxta quam Salo- *Problema 153.* De monte Moria vnde dicatur, & de 5. radicibus, à quibus manare poteſt.

2. Paral. 3. mon extruxit templum 2. Paral. 3. in area Ornam, quam Dauid emerat: alia pars extra Ierusalem posita mons Caluariæ dicitur, in quo Isaac, & Christum immolatos fuisse dicunt S. Hieron. & Aug. l. 16. de Ciuit. cap. 32. Præterea Fagius ex Hebræis refert Abelem, Cainum, & Noë ibidem sacrificia sua obtulisse, quòd tamen sine fundamento Cornelius dictum fuisse asserit. Pro Moria 70. verterunt εἰς τὴν γῆν τὴν ὑψηλήν, terram excelsam; Aquila καταφανῆ idest lucidum, quia in templo ibidem constructo דביר debir, oraculum Dei, lex, & Spiritus sanctus prophetas illuminabant. Quid autem Venetus intelligat, cùm ait montem hunc perpendiculariter existere sub templo supramundano, non est facile colligere, quippe cùm nulla terræ pars sub Deo, quem fortè per templum supramundanum subintelligit, magis quàm alia perpendiculariter collocetur. Nec etiam cœlũ intelligi potest, vtpote cui quælibet terræ particula perpendiculariter subest, nec enim in toto mundo quis degere potest, qui punctum Zenith, & Nadir non habeat; quòd si templum aliquod supramundanum fingit, quòd æquinoctialem respiciat, nondum tamen Moria sub illo directè situs est. Si denique templum ipsum materiale Ierusalem supramundanum vocet, ipse viderit.

Augustin.

In 154. sequitur allegoricum sensum, priùs tamen retinendus est literalis sensus; triduò verò ambularunt, quia ex Geraris vbi habitabat, vsque ad montem illum tridui iter est, vbi per Gerarim regio, non vrbs intelligenda venit, tunc enim in Bersabee habitasse videtur; tametsi enim à Bersabee ad Moria sit vnius diei iter duntaxat, lentè tamen processit Abraham, quòd rebus ad sacrificium necessarijs onustus esset; Theodoretus autem notauit per hos 3. dies Abrahamum velut in agonia, & in morte fuisse, vt triduum mortis Christi repræsentaret.

Theodoretus ait Abrahamum agonia laborasse.

PROBLEMA CLV.

1. Versiculus 11.

VR Angelus Domini vocans Abraham de cœlo vocem geminauit? Nonne magnum est hîc Sacramentum? Nam quando Deus vocat aliquem viua voce, quæ est superior gradus prophetiæ, semper vocem geminat, vt denotet gradum, in quo ille erat, & gradum, ad quem assumitur. Sic enim vocauit Mosem in Sina. & ex pastore fecit ipsum regem, ac ducem populi sui. Sic vocauit Samuelem, & ex ministro fecit eum Sacerdotem summum. Pari modo vocauit Saulum, & ex persecutore fecit ipsum Apostolum. Ideo volens ad altiorem gradum deducere Abraham vocem geminauit.

Genes. 22. Exod. 3. 1. Reg. 3. Actuum. 9.

PROBLEMA CLVI.

1. Versiculus 16.

VID meruit Abraham offerens filium in holocaustum? Nonne dixit ei Dominus, Quia fecisti hãc rem, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli (quoad præcipuos electos) & sicut arenam maris, quoad turbam, quam dinumerare nemo potest. Secundò compleuit Deus benedictionem iam promissam, quòd videlicet in eo, idest in semine eius benedicerentur vniuersæ cognationes terræ. Tertiò (& hoc fuit omnium maximum) ordinatus fuit in patrem illius redemptoris, in quo omnes verè benedicendi erãt, sicut scriptum est. In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Postremò dicitur, quòd venerunt Bersabah simul pater scilicet, & filius Izahac, & habitauerunt ibi suscipientes ab illo puteo septenarij influxus quæcũque necessaria, & quæcũque desiderabilia. Nam puteus ille à sapientibus dicitur כל col, idest totum, quod videlicet inferius tribui, & cõmunicari potest.

Genes. 22. Genes. 12. Ibid. 22. כל

PROBLEMA CLVII.

1. 2.

VOT annis erat Izahac, quando oblatus fuit? Nonne communis Hebræorum sententia est (vt etiam ex textu colligi potest) quòd esset 37. annorum? Sed cur dictum est, tolle filium tuum? Quomodo poterat Abraham senex & decrepitus portare filium tam grandem? An tulit illum demulcens, & alliciens verbis blãdis, quibus assentiẽs, obediẽnsq; Deo & patri ibat voluntariè? Sicut scriptum est, Pergebant ergo pariter. Et hoc in perfectam figuram illius, de quo dictum est, Oblatus est, quia ipse voluit. Et iterum. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.

Genes. 22. Isai. 53. Ioan. 3.

PROBLEMA CLVIII.

1. 2.

VID significat aries ille cornibus inter vepres hærens, & à quo præparatus fuit? An (vt Zohar asserit) præparatus ab Angelo fuit, vt pro Isaac immolaretur? An hoc fuit complementum figuræ illius, cuius suprema portio (diuinitas videlicet) per Izahac figurata; & pars inferior (humanitas videlicet) conditionibus, & passionibus humanis irretita, oblata fuit; quàm optimè quidem per arietem figurata, qui pro peccato offerri consueuerat? Sicut & Christus pro peccato oblatus est.

Genes. 22. Zohar.

In pro-

Diuersi prophetiæ gradus. Picus de prænotione.

IN problemate 155. vult Dei vocationem viua voce factam esse supremum prophetię gradum: quod non ita facilè potest intelligi, nisi diuersorum graduum prophetiæ cognitio habeatur. Eos autem R. Moses apud Picum lib. 2. de prænot. c. 8. numerauit. Primus, inquit, est, cùm rei exemplum, ac similitudo nudè, atque simpliciter conspicitur. 2. cum pari pacto loquens auditur, quos tamen gradus potiùs ad prophetiam dispositiones esse existimat; Tertius ergo, vel vt vult, primus est, dum propheta in somno videt ipsis conditionibus similitudinem, simulque eodem somno quid sibi velit exemplar illud, similitudine declaratur. Quartus, si in somno quicquam audiat, nec videat loquentem. Quintus, si quis secum in somno prophetali loquatur. 6. si loquatur Angelus quod omnibus veris prophetis euenire solet. 7. si Deus loqui videatur in somnio; ac totidem in vigilia gradus esse asserit. 8. cùm in visione videtur exemplar. 9. si verba auscultet. 10. si hominem, qui loquitur videat, vt Abrahamo, atque Iosue, dum esset in Iericho, contigit. 11. cùm Angelum ad se loquentem prophetą videt, vt Abraham immolaturus filium: quem gradum omnium altissimum vocat; quanquam his omnibus imaginarijs illum præstare dicat, quo Moses vsus est, quem Mosi proprium, & duodenum astruit. Videatur D. Thomas, qui 2. 2. quæst. 174. art. 3. varijs modis prophetiæ gradus distinguit, & art. 4. concludit Moysem cæteris prophetis simpliciter maiorem fuisse tam quoad visionem intellectualem, quàm imaginariam.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. D. Thom.

Ex eo tamen quòd aliquis viua voce à Deo vocetur, non est statim inferendum ei maiorem prophetiæ gradum communicari, cætera siquidem spectanda sunt, vt pote de quibus reuelatio facta sit, quo fine, quibúsue modis.

In problemate 156. quòd præcipuos electos stellis comparet, rectè quidem; veruntamen tam prædestinatos, quàm reprobos licet ex Abrahã oriundos, tam per stellas, quàm arenam vnica phrasi, orationísque tenore significari existimo. Quod verò septenarij influxum à puteo proficiscentem nugatur, ab istis nugiuendulis, vt arbitror, accepit, quos Cabalistas, & Rabbinos vocamus, aduersus quos alibi pugnauimus; quid si per terrenum puteum ipsum totius bonitatis fontem intelligat Deum Opt. Max.? At clariùs illud explicare debuisset.

Problema 156.

In 157. attingit ætatem, in qua Isaac à patre ligatus est, quam aliqui inter se controuertunt; nam Aben-Ezra existimat eum 10. aut 12. annorum tantùm fuisse, cui Bibliander adstipulatur, qui tamen vnum addidit, ponit enim 13. Caluisius habet 15. Genebrardus, Capellus, & Brougtonus in sententiam Chronologiæ Hebræorum pedibus ire videntur, quam Venetus secutus est; tametsi 33. Brougtonus duntaxat habeat: At Salianus ad annum mundi 2163. Iosephum, Marianum Scotum, Pererium, Delrionem, Adrichomium, Functium, Gordonum, Tornielum, Perronium, atque Vignerium secutus, vult Isaacum tunc 25. annum degisse. Tempus autem anni, quo ductus est ad sacrificium, Hebræi in primum diem mensis septimi referunt, quo die tubarum festus dies à Mose institutus fuit, quo populus ad audiendam legem clangore tubarum aduocabatur 2. Esdræ. 8. Eas autem tubas fuisse corneas asserunt, quòd aries cornibus vepreto inhærens & implicatus in locum Isaac suffectus fuerit.

Problema 157. Caluisius. Brougton. Quo ætatis anno Isaac à patre ligatus sit variæ chronologorum opiniones. 2. Esdr. 8.

PROBLEMA CLIX.

CAPVT XXIII. 1. 2.

VR tam solicitè curauit Abraham habere speluncam duplicem ab Ephron filio Chet pro sepulchro Saræ? An vt honoraret sanctam vxorem sepeliens eam in spelunca duplici? Sic enim sepeliri consueuerant magni viri. Sicut adhuc apparent in partibus illis multæ speluncæ duplices pro sepulchris optimatum, inter quas illa redemptoris cernitur. An (vt ad mysteria veniamus) quia spelunca illa in valle Hebron sita, est prope campum Damascenum, vbi primus homo dicitur vestitus fuisse puluere terræ; & ibi in eum insufflatum fuisse spiraculum vitarum: vt sicut spiritus redibat ad Deum ex illo loco, in quo datus fuerat, sic ibidem corpus in puluerem reuerteretur, vbi de puluere primo sumptum fuerat?

Genes. 25. *Versic. 9. & sequentes hoc & alio problemate exponuntur.*

PROBLEMA CLX.

1.

VID mysterij continet in se spelunca illa duplex? Nonne respondet corpori nostro, quod secundum Platonem duplex habemus, cœleste videlicet, & terreum? Nam terreum figuratur per anteriorem partem speluncæ: cœleste verò per interiorem, in qua sepeliebantur cadauera. Vnde innuitur, quòd hoc corpus terreum tandem mutabitur in cœleste, immò in spirituale, iuxta illud Apostoli, Seminatur, quod animale: surget, quod spirituale. Hinc (vt typicè loquendo inquit Zohar) ibi est porta ad paradisum voluptatis, in quem intramus, corporibus nostris in meliorem sortem immutatis. Sicut de Henoch, & Elia dicitur, qui cum corpore in hortum illum voluptatis intrarunt. Propterea patres Adam, Abraham, Izahac, & Iacob ibidem cum vxoribus suis sepeliri voluerunt. Vnde Hebron dicta fuit Chiriat arbah, idest ciuitas quattuor.

1. Cor. 15. Zohar. Iosue. 14. Genes. 49.

PROBLEMA CLXI.

1. QVR ex omnibus mulieribus tam diligenter solius Saræ vita, & in tractatu particulari describitur? Nonne describitur mors Delboræ, Rachel, Miriam sororis Mosis, & Suach vxoris Iehudæ, vt in locis suis habetur? Genes. 23.
2. Etsi mors istarum describitur, non tamen vitæ dies enumerantur, vt notat R. Ioze in Zohar. An igitur cum mysterio enumerantur omnes dies vitæ Saræ, quia semper vixit Deo, cùm sancta esset? sicut innuit textus, dum ait, quòd mortua est in Hebron, ciuitate videlicet sanctorum patrum. Dies autem, quibus homo seruit peccato, non annumerantur inter dies vitæ, cùm eo tempore non viuat, sed mortuus sit. Hinc vitæ aliarum mulierum, quæ pro tempore seruierunt peccato, non describuntur, An (vt altiùs conscendamus) enumeratur in annis vitæ Saræ
3. centenarius numerus, denarius geminatus, & septenarius (cùm anima eius animalis per centenarium, spiritus per denariũ, portio verò superior per septenarium cum mysterio designentur) vt inde discamus, quòd vita Saræ perfecta fuit, vt illi numeri indicant? sicut sapientes optimè norunt.

VERA causa cur Abraham emerit illam speluncam, fuit, vt ab infidelibus, & idololatris non tantùm vita, sed & sepultura ipse cum suis distingueretur; vt autem non dubito, quin illa spelunca tropologicè intelligi possit, ita mihi parum arridet Veneti mysterium, quòd spiritui ex eo loco ad Deum redeunti applicat, cùm ex quolibet loco spiritus ad Deum redire possit, si meritis par fuerit.
Problema 160. In problemate 160. caue ne fortè existimes corpus in spiritum ita conuersum iri, vt non ampliùs corpus sit, quod perperam in chartis illis innuitur, quæ iudicium extremum referunt, vbi legere est corpus non ampliùs ossa, carnémve habiturum; quoniam eiúsdem naturæ tam corpus, quàm spiritus post resurrectionem remansura sunt, cuius antea fuerant. In 61. cauendum est à superstitione numerorum, in quibus nulla vis deprehendi potest, vt iam sæpissimè dixi. Problema 61.

PROBLEMA CLXII.

1. QVR Abraham vocatus fuit de terra sua ad meliorem terram, & vitam sine fratre, vel hærede? An id casu occurrit? sed quomodò casu, cùm in rebus tam sacramentalibus nil penitus occurrerit sine diuino ordine, vel mysterio? An igitur quia cùm Genes. 12. Vers. 1. & sequentes cap. 12.
2. Abraham typum misericordiæ, & pietatis gereret, nõ debebat habere cohæredem tantæ hæreditatis, ne diuideretur? Nec enim tantam eius plenitudinem habebat, quam posset alijs communicare, sicuti Christus habuit, de cuius plenitudine (inquit Iohannes) omnes nos accepimus. 1. Ioh. 1. Ideò cohæredes habuit; iuxta illud Apostoli, Cohæredes autem Christi. An quia
3. Abraham veniens ex dextera hominem spiritualem significat, cui non est frater in terra secundum carnem? Hinc Christus cœlestis homo, & pater spiritualium venit in mundum sine fratre carnali.

PROBLEMA CLXIII.

ISZAHAC cur habuit fratrem, non quidem vterinum, sed consanguineum tantum? Genes. 16. Nonne, quia Izahac totus procedens ex sinistra parte, & à tribunali iustitiæ seueræ Ismaël frater Isaac. (vnde robur ad proficiendum, & vbi est vtraque mater) non debuit generari nisi ab illa matre, per quam haberet hæreditatem roboris, & terroris, non autem ab illa, vnde generantur filij seueri iudicij, & hæredes Mammonæ Ægypto præsidentis? Ibid. 25. Hinc non sine mysterio Ægyptia fuit Ismahelis mater. Vnde & ipsi Ismaheli pater dedit munera (rerum temporalium videlicet) reseruata vera hæreditate Izahac? Qui quidem Izahac ideò sic appellatur, cùm habeat aliquam mixtionem cum dextera vnde pater erat, & vnde patris hæreditatem sortitus est. Ex quarum partium commixtione (vt norunt Sapientes) oritur verum gaudium, & risus.

SECVNDA ratio minus satisfacit, quam Venetus in probl. 162. attulit; licet enim misericordiæ, pietatísque typum Abraham gereret, aliquos non solùm eiusdem hæreditatis cohæredes, sed & alios pietatis, cæterarúmque virtutum consortes habere potuisset; nec enim virtus vnius minuitur, si sit alter virtute præditus, quin potiùs locupletior fit, iuxta Psalmi psal. 118. particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Psal. 118. In vltima ratione meminit illius dexteræ, sicut & in multis alijs problematibus, vt iã ostensum est; quomodo autem ex dextera venerit Abraham, non explicat, & quidem si per dexteram, prædestinationis æternæ mysterium intelligat, multi alij venerunt è dextera; si alio sensu, semper cauendum est, ne Platonicæ doctrinæ nimium addictus Venetus veritati catholicæ vim inferat.

Totum

Problema 163. Totum problema 163. minus placet; quomodo enim totus Izahac à sinistra parte procedit? nunquid hæ partes Manichæum redolent, qui principium tenebrarum noctis, sinistræ, materiæ, &c. distinctum à principio formæ, lucis, diei, & dextræ constituebat; quin potius si dextræ, sinistræque metaphora vtendum sit, à dextera potius, & à misericordia nostrum Izaacum, quàm à sinistra, & tribunali iustitiæ seueræ processisse dixero; quòd si Venetus rerum spiritualium mysteria per dexteram, & sinistram referre voluerit, dubio procul reprehensione dignus est, cùm diuersorum errorum occasionem huiuscemodi terminis tam obscurè propositis præbeat: quapropter cautè legendus est, quotiescunque dexteræ, sinistræque meminit.

PROBLEMA CLXIV.

CAPVT XXIV.
1. QVR Abraham contemptis Chananæis voluit, quòd Izahac acciperet vxorem de Padan Aram? An quia Chananææ erant filiæ Canahan ab auo maledicti? Gen. 24.
2. An voluit, quòd duceret vxorem Aramæam, & conterraneam, quia optimus erat illius regionis influxus? quamuis ex idolorum cultu deprauatus esset. Versiculus 4.
3. An quia faciliùs conueniebat cum domesticis, quàm cum extraneis? An, vt vtroque influxu conuenienti acquireretur maior fauor? Conuenientia au-
4. tem influxuum deprehenditur ex idiomate satis, plenissimè verò ex characteribus conuenientibus. Inde enim tota gens, & lingua Hebraica prodijt. Dicant alij, quicquid velint de Heber, cùm non ab Heber abnepote Sem filij Noeh (vt nonnulli dixerunt) sed ab עבר habar, idest à transitu Hebræi dicti sint, vt alibi diximus. עֵבֶר

IN hoc problemate de nuptijs Isaac, atque Rebeccæ agitur; hoc autem matrimonium Isaaci 40. ætatis anno factum esse D. Augustin. 16. de ciuit. c. 33. cum alijs asserit; quod Scriptura Gen. 25. docet his verbis: *Qui cùm 40. esset annorum, duxit vxorem Rebeccam*, cùm tamen ante triennium Sara mortua esset. Iussum enim Dei Sanctus Patriarcha, vt promissum semen peculiari Dei prouidẽtia dispensaretur, expectauit; vel vt habet chronologia Hebræorum, debuit ætas Rebeccæ expectari, quæ huic matrimonio destinata fuerat: nondum enim nubilis erat; cùm hoc anno mundi 2178. Isaaci verò 40. 14. annos tantummodo nata sit, quæ proinde 26. Isaaci anno nata fuerat. Anno mundi 2178. Rebecca 14. annos nata erat. Quòd autem de influxibus adiungit, cautè legendum est, nec enim idioma, aut characteres nobis ostendunt influxus cœli, aut terræ; nisi vellet alicuius regionis homines ex diuerso loquendi, scribendíue modo dignosci posse; quod etiam vix concedi debet, si homines simpliciter consideremus. Enimuerò quis in animum inducat Gallos, tametsi ab incunabulis in Arabia educatos, vbi adoleuerint, Arabicè locuturos, scripturósue, nisi illud didicerint; Linguarum varietas nõ à cœlo. itaut ad hoc loquendi, aut scribendi genus cœli, solíque influxu sese applicent? Non ergo lingua Hebræa ab influxu cœli profluxit, sed vel à Deo, qui linguam, & characteres per se, vel Angelum docuerit; vel ab aliquo homine, siue fuerit Heber, siue quispiam alius; quod alibi fusiùs discuti poterit. Abraham 140. annos mittit Eliezer. Ergo misit Eliezerum seruum suum Abraham annos 140. natus ad vrbem Nachor, nempe ad Haran, in qua erat domus Nachor distans à Bersabee, vbi tunc versabatur Abraham itinere 7. vel 8. dierum, vt filio vxorem eligeret, de Padan Aram, vt habetur in Genesi Hebraicè, vbi nos legimus de Mesopotamia: vertíque potest de regione Syriæ, vt פדן idem significet, ac שדה sade, idest regio. פדן שדה

PROBLEMA CLXV.

1. QVR Iahacob habuit germanum fratrem, ex ijsdem scilicet parentibus progenitum? An quia ipse existens in medio, ex vtróque latere participare debebat? Hinc cùm susceperit influxum ex latere sinistro, & aquilonari (vnde Ierem. 1.
2. omne malum) satius fuit, vt malum inde veniens colligeretur in Hesau (quem odit Dominus) quàm si suscepisset in se? An quia Iahacob homo complectus debuit habere deteriorem hominem, quem nascens supplantaret, & à quo primogeni- Malach. 1. Gen. 25. & 27.
turam auferret, & præriperet benedictionem? Vnde docemur castigandum esse hominem animalem, & in seruitutem redigendum, iuxta illud Apostoli: Castigo corpus meum, & in 1. Cor. 9.
seruitutem redigo. Et hoc quousque veniat tempus excutiendi iugum seruitutis (vt in Genesi dicitur) & cum ipso homine spirituali, per Iahacob figurato, regnandi. Gen. 27.

PROBLEMA CLXVI.

1. QVOD signum exegit Elihezer seruus Abraham à Deo, quo cognosceret vxorem Ibid. 24.
2. Izahac præparatam? Nonne dixit, Puella, cui dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa non solùm mihi, sed & camelis potum dederit, ipsa est? An igitur peccauit Versiculus 14.

Eliezer, cùm hoc videatur superstitio, vel indicium secundum Deum? Nam omina, & auguria per legem damnantur. Maxima est hæc difficultas, quam August. soluere conatur, probans, quòd etiam à Deo dantur signa, sicut datum fuit Achaz, & Ezechiæ. Alibi tamen damnantur signa, cùm Christus dicat, Generatio mala, & adultera signum quærit. Sciendum est igitur, quòd ex intentione, & modo damnantur, vel probantur signa. Si enim ad tentandum signa petuntur, ea quidem damnantur, iuxta illud Deuteronom. Non tentabis Dominum Deum tuum. Ex modo etiam damnatur signum, quando à bestijs, vel ab ijs, quæ ad rem non pertinent, petitur. Indicium autem, & signum valde licitum esse reor, quando quis oratione præmissa (sicut fecit Eliezer) attendit si negotium bene succedat.

Leuit. 19. Isai. 7. 4. Reg. 20. Math. 12. Deuteron.

Quo sensu Venetus intelligi possit inquiritur. Primus sensus.

RATIO prima, quam problemate 165. Venetus attigit, est omnino ridicula, debusque problema hoc, vel erroris argui, vel totum deleri; quale enim est medium illud, in quo Iacob existẽs lateris vtriúsque particeps fuit? an illud literaliter, aut mysticè capiendum est? si literaliter; an Iacob situm fuisse contendit in vteri, aut orbis medio? non primum; cùm enim vnicus sit in muliebri vtero sinus, duas tantùm partes habet, dextram & sinistram. Vnde Laurentius 8. histor. anatom. quæst.

2. An sint 7. cellulæ in vtero mulierum. Laurentius.

21. eos refellit, qui septem in muliebri vtero κόλπους, siue cellulas statuunt, tres in dextera parte maribus, tres verò in sinistra fœminis, septimam in medio Hermaphroditis destinatas; quæ commentitia, & anicularum figmentis proxima vocat. Ex quibus manifestò constat problema de vteri medio non esse intelligendum, nec enim aliquid est medium, quod sinistrum, dextrúmque sinum vteri seiungat, præter medianam lineam, quam Aristoteles διαφ. vocauit. Adde quòd eadem ratione Esau in medio situs esset, quia teste Hippocrate lib. de superfœtatione, habet vtrósque puellos geminos vna secunda, qua inuoluuntur. Quòd si gemelli contrarium situm obtineant, vt Carolus Stephanus apud Riolanum l. 5. anthropographiæ censet; vnus in posticam vteri partem, alter in anticam conuertetur, ac proinde nullus erit in medio. Hîc verò de gemellis non differo, quoniam id integram quæstionem sibi postulat. An ergò poterimus de medio terræ Venerum interpretari, vt

Riolanus.

3. Sub qua latitudine sita sit Ierosolyma.

volucrit Iacob in medio totius orbis fuisse positum, vt ab vtroque polo prædictos influxus susciperet? sed neque id dici debet, siquidem Ierosolyma, prope quam versabatur, non est sub æquinoctiali sita, cùm illius latitudo sit graduum 31. & minutorum quadraginta, vt notarunt Clauius in c. 2. Sphæræ Ioannis de Sacrobosco: & Maginus parte 2. ephemeridum c. 9. Origanus parte 1. Introductionis ad ephemerides c. 6. & alij: vnde constat à loco Iacob vsque ad orbis medium (si tamen vlla mundi pars medij rationem habere potest) idest,

Clauius. Maginus. Origanus.

Inde vsque ad æquinoctialẽ 620. leucæ numerandæ.

vsque ad æquinoctialem circulum medio Zonæ torridæ respondentem esse leucas 620. saltem, tametsi pro qualibet leuca tria milliaria constituamus. Conticescat igitur Venetus, nec Scripturæ sanctæ tenebras offundat, quam alioqui illustrandam suscepisse videtur. Nec enim vlli sunt influxus, quos ipse fingit, aut iam à quibusdam malè sanæ mentis hominibus effictos nobis ingerit. Quodnam obsecro malum ex parte sinistra, vel dextra in Esau redundare potuit, quo Iacob careret? nunquid ijsdem influxibus astrorum vterque subditus fuit? nunquid ambo ex eodem sanguine, & semine compacti sunt? Videamus tamen, an mysticè loqui potuerit: An igitur Iacob in medio situs fuit, quatenus virtutum exercitio vacauit, quas in medio positas esse Philosophi concludunt; ita

4.

5.

tamen, vt cùm ad bonum, aut malum sese conuertere posse cerneret, ipse bonum, Esau verò malum elegerit; sed hæc violenta nimis, neque problematica phrasis illud sonat; quicquid autem ipse significare voluerit, clariùs sese explicare debuit: Est autem cauendum, ne malum aliquod morale in Esau irrepsisse, eo inuito, cogitemus, cùm mali duntaxat propria voluntate fiamus; non enim de peccato loquor originis, quod non minus Iacob, quàm Esau commune fuit, sed de actuali, quod nobis adeò voluntarium est, vt si voluntarium esse desinit, peccatum non sit. Quomodo autem Deus Esau odio habuit, in propria quæstione dicendum erit.

Peccatum maximè voluntarium.

Problema 166.

In problemate 166. quæstio fit de ominibus, & augurijs; de quibus pauca hîc delibanda sunt, fusiùs enim aliàs de ijsdem differendum est. Et quidem sub diuinatione omina, tanquam sub genere comprehendi videntur, quæ sæpiùs malam in partem sumuntur, teste D. Thoma secunda secundæ quæst. 95. artic. 1. Cuius Sathan author fuit, dum Euæ mentitus dixit Gen. 3. Eritis sicut dij scientes bonum, & malum; sic enim nos omnes in primis parentibus decepit: vnde Origen. l. 1. in Iob ait. *Maleficia, auguria, diuinationes, phylacteria, & incantationes, diaboli sunt seductiones; dæmonum irrisiones, idololatriæ fœx, animarum infatuatio, atque cordium scandalum.* Hæc autem adeò latè peruaserunt, vt hodie nulla disputatio frequentior sit, quàm quæ de sortilegijs, & diuinationibus suscipitur ob vanas, & inanium hominum superstitiones, qui vt desiderijs suis impiè satisfaciant, non verentur grauissima hæc delicta, & quæ Dei lex detestatur, perpetrare, inquit Pena in direct. Inquisit. parte 2. commentar. 67.

D. Thomas Gen. 3. Origenes. Pena.

Veruntamen diuinatio sumi potest pro diuina inspiratione, & prophetia, vt cap. omnes 38. dist. cap. eos & 16. q. 1. Deinde pro scientia infusa, & naturali, Prouer. 16. Diuinatio in labijs regis, in iudicio non errauit os eius, vnde Picus l. 1. de prænot. eam in diuinam, naturalem, & dæmoniacam diuisit. At cùm nunc ex professo non agam de diuinationis speciebus, earum præcipuas enumerasse sufficiat, vt ad auguria, & omina redeamus. Est ergo diuinatio naturalis, artificiosa, monstruosa, metheorologica, prodigiosa ex elementis, astronomica, physiognomica, chyromantica, cabalistica, per oracula, per artem notoriam, per artem paulinam, necromantica, per ariolationem, per aruspicinam, pyromantica, aërimantica, hydromantica, geomantica, per sortilegia, per vulgarem purgationem, per monomachiam, per somniorum, & per dierum obseruationem, de quibus fusè satis egit Torreblanca; nosque in proprio loco Deo dante plura dicemus.

Diuersæ acceptiones diuinationis. Prouer. 16. Multiplices species diuinationũ breuiter enumerantur. Torreblanca.

Vt ergo de omine tangamus aliquid, Notandum est hoc esse discrimẽ inter auguria, & omina, quòd auguria,

Quomodo auguriũ, & omẽ differant.

auguria, sicut & auspicia circa aues versabantur, eorúmque volatus, & garritus perscrutabantur: omina verò sæpiùs ex homine, eiúsque operatione desumuntur, præsertim verò ex vocibus fortuitò, & præter intentionem prolatis teste Tullio lib. 1. de diuin. cui plurimùm Romani tribuêre teste Valerio Maximo l. 1. c. 5. Græci, & Ægyptij teste Pausania in Arcad. nec non Syrij Reg. 3. c. 20. qui cùm lumbos suos saccis accinxissent, posuissentq; funiculos in capitibus suis, vt veniam apud regem Israël pro Benadab impetrarent, sic aiunt: *Viuat oro te, anima mea*; & respondisset, *si adhuc viuit frater meus est*, id pro omine acceperunt, festinantésque rapuerunt verbum ex ore eius. Perperam verò Torreblanca l. 1. de Magia diuinatrice c. 26. dixit S. Augustinum l. 1. retract. negare, quòd ominis mentio fiat in sacris literis, non enim dixit mentionem non fieri, sed an mentio fiat, se non meminisse: hæc autem sunt eius verba c. 1. libri citati, in quo reprehendit nonnulla, quæ minus cautè libro 1. contra Academicos dixisse videbatur. *Omen quippe me legisse non recolo, siue in sacris literis nostris, siue in sermone cuiusquam Ecclesiastici sermonis disputatoris, quamuis abominatio sit inde dicta, quæ in diuinis literis assiduè reperitur.* Aliud est autem, quòd aliquid in Scripturis sanctis legisse non meminerimus; aliud, quòd in ijsdem legi negemus: Imò sæpè contingit, vt post integram Scripturæ sacræ lectionem verbum aliquod in ea non esse existimemus, quod tamen ibidem non semel legitur; sæpiùs verò, quando semel duntaxat ibidem scriptum est, id euenire solet, vt in omine patet, quod in hoc Regum loco duntaxat animaduersum est. Omina verò ex primis actibus sumi solebant iuxta id Fastor. 1.

Tullius. Pausanias. Valerius. 3. Reg. 20. D. August. vindicatur aduersus Torreblancam.

Ad primam vocem timidas aduertimus aures,
Et primam visam consulit Augur auem.

Hinc factum est, vt spe Cneus Pompeius conciderit, cùm gubernatorem de nomine interrogasset, qui respondit κακοβαδίκεα, vt apud Valer. loco cit. videre est. Hanc autem superstitionem gentiles ementitos fuisse Torreblanca putat, ex eo quòd Scripturam sacram contemplari essent, in qua non casu, sed ratione nomina posita esse videbant; vt 2. Reg. 15. constat ex illo Abigail ad Dauidem de mariti Nabal Carmeli nomine, de quo dicitur, *Iuxta nomen suum stultus est*; sic etiam Esau de fratre Gen. 27. habet. *Iustè vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me in altera vice*; sic Dauid de Achimaa 2. Reg. 18. *Vir bonus est, & bonum portat nomen*: vnde tritus ex Ouidio versus habet:

Valerius Max. 2. Reg. 15. Gen. 27. 2. Reg. 18.

Nominibus semper omen adesse solet.

Omen non solùm in vocibus, sed in scripturis subitò apertis, vel foro suspensis exercetur: hinc de Diogene Theodoretus lib. 6. de prouid. & Simanch. titul. 63. num. 26. de catholica Institutione narrant lapidem super domum cuiusdam improbi reperisse, his verbis inscriptum: Insignis victoria Herculis hîc habitat, nil mali ingrediatur, qui dixit: quomodo ingredietur Dominus ædium? hæc autem verba, vel scribebãtur, vel pronuntiabantur ad ominis auerruncationem: vnde 1. Fastor.

Theodoretus. Simancha.

Prospera lux oritur, linguis, animisque fauete:
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Ouidius.

Adde quòd circa facta subitò enata omen versaretur, vt à cibo primùm arrepto; à gleba oblata: à maculis vnguium, vt Cardan. l. 8. de Variet. c. 43. narrat &c. hæc autem omina, vtpote superstitiosa, abominanda sunt: nec ideo admittenda credideris, si quando vera fuêre; tunc enim fallit dæmon, qui cum fortissimo superstitionis vinculo nos detinere velit, belli euentum, mortem inopinatam, cæteráque per se, vel per magos, cæteróque coniuratos fieri curat, vt in eo spes nostras collocemus. Non sunt ergo attendenda omina, vt rectè concludunt Canonistæ cum Azorio tomo 1. Instit. l. 9. c. 22. q. fin. Sanches tomo 1. summ. l. 1. c. 38. n. 38. & alijs multis. De his Iul. Syren. l. 9. de fato cap. 22. Medina l. 2. de recta in Deum fide cap. 2. Conrad. Vuimp. l. 1. de diuin. c. 14. Picus l. 6. prænot. cap. 5. Perer. in 24. Gen. disput. 6. videri possunt. Sed & Tullius 1. de diuinat. omina ridet, & confutat.

Cardanus. Authores qui de diuinationibus egerunt cãtantur. Azorius. Sanches.

At quonam modo Eliezer à peccato vindicari poterit, qui prædicto omine, tam verbis, quàm rebus constante vsus est? nunquid illam difficultatem rectè Venetus soluit? Profectò non ab hac arte, credo, sed à Deo veritatem expectauit Eliezer, qui non ea verba protulit à superstitione, sed à Spiritu sancto edoctus: vnde Sanctus Doctor 22. q. 95. a. 7. ait eum puellæ verba attendisse oratione præmissa. Sed aliquis scrupulus superesse videtur, nam si præmissa oratione cuilibet ominari liceat, in multos errores præcipiti cursu plurimi abripientur, & vbi pessimè res aliqua cesserit, super omine sese quispiam excusare poterit, quod tamen oratione præmissa, atque sincera intentione factum fuerit. Caietanus scrupulum hunc eximere videtur ad hunc articulum his verbis. Accipere quandóque omen oratione præmissa, vel tanquam ex diuina datum prouidentia, non est peccatum, vt in responsione ad tertium habes; si tamen ex hoc persona non se imprudenter periculo exponat mali, quoniam non propterea excusaretur, sua enim credulitas, aut oratio non debet facere hominem præcipitem. Oportet enim diuinum percipere lumen, aut præceptum ad hæc, & non ex sola hac facili credulitate, aut fiducia moueri ad opus. Omen namque ad cognitionem, non ad operationem licitum ex nostra erga Deum fiducia intelligitur. Hactenus de omine; cùm autem de auspicijs in Genesi capite 24. quæstio non sit, in alium locum quæstionem propriam reseruandam censeo.

An Eliezer diuinatione, & omine vsus fuerit Gen. 24. D. Thomas

An quandóq; omĩnari liceat Caietani sententia. De ominibus vide Claudium nostrũ fusissimè, eruditissimè, & elegantissimè dissertentem ad 14. c. l. 1. Reg. vers. 9. & 10.

PROBLEMA CLXVII.

I. *Versiculus 44.*

QVR Eliezer petijt signum in aqua danda in potum? Nonne quia aqua misericordiam, pietatem & clementiam Dei significat? Hinc Christus ipsam obtulit, dicens, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et cum Samaritana loquens, dixit. Si scires donum Dei, (idest pietatem, quam veni impartiri vobis) & quis est, qui loquitur tecum (dator videlicet gratiæ, & clementiæ) tu forsitan petijsses ab eo aquam viuam. Eliezer itaque, qui poposcerat à Deo, vt faceret misericordiam cum Abraham, signum petiit in aqua.

Gen. 24. Ioh. 7. Ibid 4.

PROBLEMA CLXVIII.

1. *Versiculus 63.*

VR scriptum est, quòd Izahac hora vespertina secesserat ad meditandum, in agrum? Nonne quia Izahac, qui à fonte aquilonari manauit, vespertinus fuit, vt antiqui Theologi docent? Hinc hora vespertina egressus erat in agrum ad meditandum, vel orandum. Nam שוח suach vtrumque significat. Orabat autem oratione vespertina, tanquam ipsi peculiari. Habitabat nihilominus in terra australi (sicut dicit textus) quia hauriebat fauorem patris, qui totus meridionalis erat, vt alibi tactum est. De fauore autem ei à patre præstito multis in locis habetur. Ibi autem potissimè, vbi de negotio eius testamentario agitur. Nam dicitur, quòd dedit Abraham omnia quæ possederat Izahac filio suo. Gen. 24. שוח Gen. 25.

QVÆ problemate 167. Venetus affert, mystica sunt, siue allegorica; veram autem huiusce rei causam esse arbitror, quòd Deus signum hoc ei inspirasset: id enim satis ex verbis Abrahæ colligitur, qui seruo suo dixit, *Ipse mittet Angelum suum coram te:* cui simile quid habes Tobiæ 5. Vbi notare licet, quod ait Scaliger, Angelum nempe dici à Persico Angar, idest, cursor, nuncius: vnde & Hebræi Epistolam latam à cursoribus, siue angaris vocant iggeret, quasi ingeret. Simile fuit omen Ionathæ 1. Reg 14. qui Dei instinctu ex verbis Philisthinorum omen captauit, eósque cęcidit: sic etiam Gedeon victoriæ captauit omen Iudic. 7. Sic Clodouæus vtitur omine, qui contra Gothos castra mouens munera Turones misit ad S. Martinum, ea legatis præscribens: *Ingressuri templum obseruate, quæ futuri euentus ex bello, quod paramus, coniecturam possint præbere*; qui cùm ad templum peruenissent, audiunt Monachos illud Dauidicum psallentes, *Præcinxisti me virtute ad bellum:* captatóque omine fœlici, ad regem redeunt, omen nuntiant, quod euentus declarauit fuisse non vanum, sed diuinum, vt scribit Fulgosius l. 1. c. 3.

Angelus Persis Angar. Iggeret quid sit. Iudic. 7 Verba Clodouæi. Fulgosius.

At Nabuchodonosoris omen superstitiosum fuit, quia non Dei, sed suo, vel dæmonis instinctu illud captauit, cùm dubitaret, an Iudæos, vel Ammonitas inuadere deberet, capiens enim duas sagittas, vni inscripsit nomen Rabbath, (quæ erat Petra Arabiæ, metropolis Ammonitarum) alteri nomen Ierusalem, quas deinde commiscuit, mox vnam cæcè eduxit, cui cùm inscriptum videret nomen Ierusalem, statim contra eam perrexit: quale etiam Philisthinorũ omen Cornelius censuit, dum ex vaccarum arcam Domini vehentium itinere, & gressu coniecerunt, an plaga eis immissa à Deo, an casu obuenisset 1. Reg. 6.

Nabuchodonosoris omen. Ezech. 21. Philisthinorum omen. 1. Reg. 6.

Alia ratio istius signi esse potest, quod ex potu concesso facilè colligi posset, quàm prouida, strenua, officiosa, sedula, benefica, liberalis, & hospitalis esset vxor futura: quo in loco Cornelius octo documenta puellis suggerit, adeout Rebecca speculum Virginum esse videatur; nec mirum est, cùm Virginis Deiparæ typus fuerit. Itaque primò considerandum est eam non esse otiosam, sed laboriosam, cùm hydriam gestet, & aquam hauriat. Secundo post aquam haustam citò reuertitur, non in publico moratur, nec Abrahæ seruum curiosè inspicit, aut alloquitur. Tertio cùm seruus ab ea potum expetit, statim offert, benignè alloquitur, Dominum vocat, plus offert, quàm ille petierat, non grauatur incognito seruire: non ergo puellæ nostræ adeò morosæ esse debent, vt vix alloqui dignentur homines, præsertim extraneos. Quarto tametsi seruus esset Abrahæ, eum tamẽ in domum non introduxit, quod Virgini indecorum fuisset, sed currit, ac in domo matri nuntiat. Quinto non curiosè inquirit, cur seruus hic aduenerit, aut quid sibi velit, Virgo enim non debet esse curiosa. Sexto obtemperat parentibus, statim atque eos consentire videt, vt ad Isaac pergeret. Septimo nõ mollis est, sed virilis, camelum enim conscendit, & iter longum ingreditur. Octauo denique viso Isaac statim è camelo descendit, séque operit, vnde magna eius verecundia, & reuerentia erga sponsum concludenda est. Qui & 8. Laban conditiones annotat, patrifamilias congruas: tametsi enim Rebeccæ frater, Bathielisque proinde filius esset, familiam tamen ob patris senium administrasse videtur.

Octo documẽtaque nostris puellis Rebecca suggerit. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Octo conditiones in Labã patrifamilias necessariæ.

In problemate 168. easdem nugas, quas tetigerat problemate 165. repetit; ecquos obsecro Theologos antiquos nuncupas Georgi? nunquid insanos illos Caballistas qui diẽ verterunt in noctem, & tenebras lucem dixêre? ergóne vespertina oratio soli Izahac peculiaris fuit? nunquid & eadem hora Abraham, cæterique fideles orabant? an matutina Isaaci oratio feruore caruit, vt solius vespertinæ memineris? Pro שוח suach 70. legũt ἀδολεσχῆσαι, idest ad se exercendum; id enim verbum significat magno studio, & solertia alicui rei intendere, qualis est meditatio. Sed quid meditabatur Isaac? an motus syderum, réslque cæteras naturales, earúmque authorem Deum, vt Hebræi volunt? quibus Tostatus assentitur; sapientis enim vita, inquit Periander, est meditatio, & docto cogitare est viuere. Chaldæus habet; *exierat ad orandum:* vnde notant aliqui Symmachum, & Aquilam malè vertisse; *exiit ad confabulandum in agro.* De Abraham meridionali, & fonte aquilonari nugeculas an rideam, an demirer? sed de titiuillitijs eiusmodi iam sæpè diximus. *Problema 168.* ἀδολεσχῆσαι quid sit. Quænam esset meditatio Isaac. Meditatio est vita.

PROBLEMA

PROBLEMA CLXIX.

1. 2.

VR Izahac susceptur vs vxorem suam Rebeccam orauit? Nonne id fieri debuit in negotio tam arduo, quàm est indissolubile vinculum matrimonij? Primò enim orandum est, vt occurrat illa, quam Deus è cœlo tradidit. Secundò, vt vir, & vxor in illa æterna cohabitatione pacificè viuant. Tertiò, vt filij generentur grati Deo, in ædificationem familiæ, & in parentum consolationem. An orando disposuit se Izahac, vt susciperet gratiam Spiritussancti, quam videbat fulgere in Rebecca? Sicut Sapientes Hebræi docent, & Zohar præcipuè. Ibid. 24.

PROBLEMA CLXX.

1. 2. 3. *Versiculus 67.*

VR Izahac introduxit Rebeccam in tabernaculum matris suæ? An quia id communiter fieri consueuerat? At vt inuueret vxorem illam susceptam loco matris, quam ex eadem familia, & eadem refertam sanctitate susceperat? An (vt ad altiora conscendamus) per tentorium fons supramundanus, vnde venerat Sara, & Rebecca, designatur? Hinc (vt Zohar inquit) quod fuit Sara Abrahæ, id fuit Rebecca Izahac: & Rachel Iacob. Lea verò aliò tendit, vt ipsemet Zohar perhibet. Gen. 24.

IN fine 169. problematis sine fundamento asserit Isaacum Spiritussancti gratiam in Rebecca refulgentem vidisse; nisi fortè Spiritussancti gratiam, eam Rebeccæ verecundiam, & modestiam appellet, qua in salutando marito vtebatur; & quidem omnes virtutes, quibus homines tam fideles, quàm infideles præditi, sunt Spiritussancti dona, & gratiæ vocari possunt, cùm omnia ab eo tam gratiæ, & gloriæ, quàm naturæ bona procedant. In 170. supponit Rebeccam Saræ in sanctitate æqualem fuisse, quod probandum esset: Sed cùm altiùs ascendere existimat, videat ne cadat: non enim Caballistarum nugis, & erroribus indigemus, vt Scripturam sacram, siue literaliter, siue mysticè intelligamus, quàm potiùs obscurant, & inficiunt, quàm interpretentur: Fons ergo supramundanus ad easdem nugas pertinet, ad quas multa alia, quæ supra retulimus. *Problema 170.*

PROBLEMA CLXXI.

CAPVT XXV. 1. *Versiculus 1.*

VR Abraham vir adeò cœlestis, non contentus vna vxore, aliam superinduxit, & denique tertiam? Nonne Paulus mysterium secundæ referens, ait. Scriptum est, quòd Abraham duos filios habuit, vnum ex ancilla, & vnum ex libera. Sed qui ex ancilla, secundum carnem natus est, qui autem ex libera per repromissionem. Quæ sunt per allegoriam dicta, quod alibi latè disseruimus. Tertiam verò vxorem suscepit, vt adimpleretur illud, quod dictum ei fuerat. Erisque pater multarum gentium. Ex Cethura enim tertia vxore sex filios habuit, qui fuerunt pattes 6. familiarum, quæ in alios etiam ramos diuisæ sunt. Inter quas familias fuerunt Madianitæ, ex quibus Moses vxorem suscepit Nec tamen desunt, qui dicunt hanc Cethuram fuisse Hagar. Quæ si eadem fuit, in ipsa quoque eadem mysteria locum habent. Gen. 25. Ad Galat. 4. Gen. 17. Ibid. 25. Exod. 2.

PROBLEMA CLXXII.

1. 2.

VR Izahac vna tantum vxore contentus fuit? An quia nedum sacerdos, sed in sacrificium oblatus vna tantùm vxore contentus esse debuit? cùm lege sancitum sit, quòd sacerdos nec secundam, nec ab alio violatam vxorem ducat. An, quia totus igneus, & ex sinistra, & aquilonari parte, non debebat per aliud coniugium aperire fontes illos igneos? Satis enim immunditiæ contraxerat ex vno coniugio, quam diffudit in Hesau, qui idcircò nondum natus, à Deo odio habitus est, vt Malachias ait. Leuit. 21. Malach. 1.

DE allegoria cuius iterum meminit in 171. problemate, iam antea diximus: filij verò Cethuræ 25. capitis initio distinctè exprimũtur, pauca tamen facilitatis ergô huic problemati adiũgemus.

Et quidem primùm difficultate non vacat, cur Sanctus Patriarcha Ceturam duxerit, nec enim Veneti ratio satisfacere videtur, vel enim matrimonium ad prolem suscipiendam, vel ad fornicationem deuitandam contrahi debet; at iam duos filios susceperat, eique multitudinem immensam ex vtroque Deus promiserat, vt expressè legimus in Genesi c.17. & 21. de Ismaële; de Isaac verò cæterę omnes promissiones de æquanda multitudine stellarũ, & arenæ maris datæ fuerant: deinde ex eo sciebat Abraham oriturum, in quo benedicerentur omnes nationes terræ, vt propterea nulla deinceps vxor requirenda videretur. Nec etiam carnis illecebræ potuerunt esse in Patriarcha tam sancto, præsertim cùm Apostolus de centenario dixerit corpore illum emortuum fuisse. Quapropter D. Augustin. ad sensum mysticum recurrit, vt sicut per Agar veteris testamenti carnales filios, ita per Ceturæ filios post Isaacum natos carnales filios, hæreticos nimirum ad nouum testamentum pertinentes intelligamus. An ergo seorsim cum Cetura remansit Abraham, eámque in vxorem duxit, vt senectutis suæ curam ageret, & familiam administraret fideliùs, quàm simplex ancilla? constituto prius vniuersali hærede filio Isaac, vnde nec vlla mentio Abrahæ facta est in aduentu Rebeccę. An Abraham ad hoc matrimonium inspiratione, iussionéque diuina adductus est, vt quædam futura prænuntiarentur? An quia Chananitidis hæredem ex dilecto famulo suo nationes multiplicari voluit, vt quædam regiones hactenus incultæ, deinceps habitarentur? An, vt Dauidis instar, à Cetura tum adhuc iuuene calefieri posset, cùm veluti frigore nimio senes constringantur?

Cur Abraham Ceturam duxit, quinque rationes conjecturales.

Gen. 17. & 21.

Augustinus 1. ratio.

2.

3.

4.

5.

Quænam verò fuerit Cetura? An Agar ipsa, vt cum Hebræis consentire videtur D. Hieronym. tradit. in Genesim, & in Paral. initio lib. primi, & c.5. quod minus probabile est: An Chananæa, quod nec Abulens. nec Perer. reijciunt; tametsi probabile non sit eum factis in se ipso approbasse coniugia, quæ verbis in filio repudiarat: Vnde Salianus ad annum mundi 2179. vnam ex ancillis Abrahæ fuisse non improbabiliter existimat. Vt autem de Ceturę filijs nonnihil attingamus, quam post mortem Saræ 127. ætatis anno mortuæ, Abraham 137. ætatis suæ anno duxit, vt Cornelius censet; 6. filios, nepotes verò, vel pronepotes 10. habuit, imo & multò plures, cùm duorum filiorum posteri duntaxat recenseantur; horum autem nomina, & genealogiam apud Iosephum corruptam esse Salianus ostendit, vt in Assurim, Latusim, & Loomin apparet, quæ non filiorum, seu hominum singulorum, sed populorum nomina: multi esse asserunt; vnde vel linguam Hebraicam non ita benè calluisse, vel ad eam non attendisse Iosephus videtur: Eius inscitiam in lingua Hebraica Andreas Masius in notatione nominis Ierusalem prodidit, vt magis in armis, quàm in sacris literis eum versatum esse, tametsi se iactet de Græcæ, Hebraicæque linguæ scientia, Masius existimet; cuius iudicium Capellus in sua chronologia à numero 221. ad 284. multis confirmat; sed quotquot celeberrimos scriptores nostra tulit ætas idem sentire videntur, quorum alij in narrando fidem, & in scribendo diligentiam, alij chronologiam mendosissimam, alij linguæ nitiuę ignorantiam, alij timidam dissimulationem, & ambitiosam eius vanitatem exprobrant, vt in præfatione tomi 2. Annal. suorum Ecclesiasticorum Salianus, vt par erat, aduertit, qui lectorem ad Toletum in c.5. Ioan. Baronium c.1. Apparatus; Canum l.11. de locis c. vlt. Posseuinum, & alios remittit; sed præ manibus authorem habes, cuius præfationem, vtpote lectu dignissimam videre iuuabit.

Quęnã fuerit Cetura, duæ sententiæ.

2. Paral. 5.

Abrahãm 137 annos natus, quando Ceturam duxit.

Reprehenditur Iosephus.

Capellus.

Salianus laudatur.

Canus.

A filijs autem Ceturæ nonnulli Brachmannas Indorum sapientes ortos esse putant, qui Perabrammam quasi Deorum antiquissimum colunt, adeout Brachmãnæ, quasi Abrahamæ dici videantur, quod incertum est: non est autem negligenda chronologia vitæ Abrahæ, quam hîc habet Cornelius, ea enim ad meliùs intelligendam Scripturam iuuare potest, quam, vt faciliùs problemata Veneri capiantur, exscribere placet. Abraham igitur post mortem patris Thare, anno post matrimonium Isaaci 35. mortuus est, cùm Esau & Iacob iam essent 15. annorum; quæ si non ordine narrentur in Scriptura sacra, mirum esse non debet, cùm illa sæpiùs tam anticipatione, quàm Histerologia vtatur. Abraham ergo diluuij 292. anno, ac proinde 467. post diluuium mortuus est, cum esset 175. annorum, vnde quando Noë mortuus est anno post diluuium 350. Abraham 58. annos natus erat; Sem verò nonus auus Abrahæ 35. annos superuixit Abrahæ, quia post diluuium 502. annos vixit; Heber autem sextus auus Abrahæ 94. superuixit suo sexto abnepoti, vnde Iacobi anno 109. mortuus est Heber, Sem verò 50. Rursus Abraham anno mundi 2123. moritur, cùm Ismaël 89. Isaac 75. annorum essent; cùm Ceturæ filij 30. circiter annos nati essent. Ergo à morte Abraham vsque ad descensum Iacob in Ægyptum, qui factus est eius anno 130. fluxerunt anni 115. à morte verò Abrahæ ad egressum Hebræorum ex Ægypto 330. cùm Moses dux exercitus 80. annorum esset, qui proinde 250. annis post Abrahæ mortẽ natus est. Denique sequentem totius Abrahamicæ vitæ periodum accipe: Anno ętatis suæ 75. ex Chaldæa euocatus in Haram proficiscitur; anno 85. duxit Agar; 86. Ismaël ei nascitur; 99. circunciditur, & Sodoma crematur; anno 100. ei nascitur Isaac, & Ismaël eijcitur anno 125. immolat Isaac 135. moritur pater 137. Sara 140. Rebeccæ Isaacum matrimonio iungit. 160. nepotes Esau, & Iacob nascuntur: denique anno ętatis 175. deficiens mortuus est in senectute bona, prouectáque ætatis, & plenus dierum, congregatúsque est ad populum suum Genes. 25. versu 7. & 8. idest ad societatem Angelorum, vt explicat D. August. q. 268. cui Tostatus, & Burg. suffragantur; vel ad Heber, Noë, Seth, Adam, & Abel (qui primus in limbum descendit) vt idem Burgensis aduertit, sed perperam existimat omnes ante Abraham in purgatorium iuisse ob sua venialia peccata, nisi purgatorij nomine omnia loca comprehendat, in quibus animæ detinebantur. Abel enim martyr obijt, & Noë iustus, atque perfectus fuit, ideóque ad limbos iuerunt; hîc autem Pererius in tertia Geneseos parte tomum tertium finiuit.

Brachmannæ vnde.

Chronologia patrum omnium vsque ad mortem Abrahæ.

Sem nonus auus Abrahæ.

Quo anno Heber mortuus est.

Quot anni à morte Abraham vsque ad descensum Iacob in Ægyptum, & exitum ex Ægypto intercesserint.

Gen. 25. Augustinus

Quæ in 172. problemate, præsertim à secunda ratione vsque ad finem Venetus addit, ad prædictas nugas attinent: imo impia sunt, & viro Christiano indigna; quasi verò Isaac immunditiem aliquam ex tam sancto coniugio contraxerit; quam tametsi contraxisset, in alium transfundere non potuisset. Facessat igitur cum suis fontibus igneis, qui si totus charitatis ardore ignitus fuisset, non ita delirasset, non ita frigidus, & ridiculus in exponendis literis sacris esse videretur. Operæ verò pretium est, vt paucis, qua ratione Deus Esau odio habuerit,

Problema 172.

Malach. 1. Quomodo Deus odio habuit Esau

habuerit explicemus, ne quis in ea parte longiùs à veritate aberret. Et quidem si locum hunc Malachiæ, quem Apostolus ad Rom. 9. repetit, intelligere velimus de prædestinatione, & reprobatione: ita poterimus Dei odium exponere, vt Deus Esau ob præuisa eius demerita damnationi adiudicare decreuerit, atque reprobarit; vbi duplicem reprobationem Theologi distinguere solent; vnam permissiuam, seu negatiuam, aliam positiuam: per illam Deus reprobos peccare, & in peccato mori permittit, nec impedit; quam prædestinationi contradictoriè, non contrariè opponi dicunt: per hanc Deum existimant mortuum in peccato reprobare, atque damnare: primàm ante, secundam post demerita fieri censent; prædestinationem verò ob præuisa merita: iuxta quam expositionem Deus post Esau peccata præuisa eum reprobasse dicendus esset. At Iacobum vel ante, vel post præuisa merita dilexisse pro diuersis Theologorum sententijs asserere possemus: Veruntamen non est opus, vt hunc prædestinationis, & reprobationis labirynthum ingrediamur, quandoquidem locus hic Malachiæ aliam expositionem commodè patitur. Tametsi enim illam explicationem non reijciam, illa mihi arridet, quæ id de posteris eorum intelligit, déque bonis temporalibus, à quibus D. Paulus allegoricè ad prædestinationem assurgit, vt Christianorum præ Iudæis electionem significet: vnde sensus literalis esse videtur, quod tametsi Deus Iudæos, & Idumæos Chaldæis vastandos tradidisset, ita tamen Iudæos præ cæteris dilexit, vt ex captiuitate Babylonica eos reduxerit, & in patriam restituerit, Idumæos autem in captiuitate reliquerit, eorúmque terram in solitudinem redactam draconibus habitandam dederit, vt ex Malachia constat. Deinde Iacob verò dilexit, quatenus eum, eiúsque posteros in Ecclesiam, & populum suum elegit, eósque præcipuis bonis temporalibus, imò & spiritualibus afficere decreuit, vt satis postea manifestauit, dum Iacobæos multiplicauit, ex Ægypto liberauit, manna sustentauit, nubis, & ignis columna rexit, lege, instructione, sacerdotio, reuelationibus fulsit; denique tot eis spolia, tot regna, tot Prophetas concessit, vt de Iudæis cũ Psalte dicere possimus; *nimis honorati sunt amici tui Deus*, adeout ipsum Christum, eiúsque matrem eis dederit, vnde postea canerent: *Nobis datus nobis natus ex intacta Virgine*, &c. quæ in præclaro D. Thomæ Hymno continẽtur, quem in honorem sanctissimæ Eucharistiæ, ipse Doctor Sanctus non sine miraculo composuit, iuxta id Esaiæ 9. *Parvulus natus est nobis*, &c. Allegoricè verò Deus veros Abrahæ, & Iacob spirituales filios, nempe Christianos amauit, vt ex ijs constat, quibus Ecclesiam dilectissimam sponsam exornauit.

Ad Rom. 9.

1. explicatio.

Duplex reprobatio.

2. expositio.

3. explicatio.

D. Thomas

Vt autem Lia dicitur à Iacob odio habita Gen. 9. quod præ Rachele eam negligeret, & Luc. 14. iubemur odio habere, idest minus diligere patrem, & matrem, eósque Christi amori postponere; ita Deus Esau odio habuit, seu minus dilexit, & quasi contempsit, dum ei solitudinem pro hæreditate diuisit; quod iam Christus in filios repromissionis Christianos conuertit, Iudæis ob pertinaciam inexplicabilem in incredulitate conclusis, qui iure carnales dicuntur, quòd Christi fidem, & iustitiam spernentes de operibus suis gloriantur: ergo horum Esau typus fuit, vt Iacob Christianorum. Alij denique hunc locum sic explicant, *Iacob dilexi*, quia gratiam prędestinationis ei contuli, talem nempe, cui præuidebam eum cooperaturum, in eáque perseueraturum, ac proinde saluandum: Esau verò odio habui, quia dedi ei gratiam, cum qua præuidebam eum non perseueraturum, sed casurum, & damnandum, licet ei, sicut & Iacob, cooperari potuisset, si voluisset, eóque fine gratiam hanc obtulissem; præsciebam tamen eum pro mera libertate, qua pollebat, id facturum non esse: quapropter eum odio habui, & reprobaui; sic enim multi Theologi per præscientiam futuræ, vel non futuræ cooperationis, gratiam prædestinationis electorum, à communi, quæ tam electis, quàm reprobis conceditur, rectè distingui existimant. Sed quicquid amplectamur id nullatenus Veneti nugis fauet, qui dicebat Iacob immunditiem in Esau diffudisse.

Gen. 9. Luc. 14.

PROBLEMA CLXXIII.

1. VR Iahacob nec vna, nec duabus contentus, etiam cum quarta muliere coniunctus est? Nonne cum duabus sororibus commixtus est, quia in prima deceptus fuerat, & cum ancillis cedens æmulationi vxorum? Sed nunquid hæc quasi ludicra, & suis absque mysterijs, sacratissimis eloquijs interseruntur? non quippè. An igitur Iahacob perfectus, cum vtraque parte misceri debuit, & vtramque vitam ducere, contemplatiuam videlicet, & actiuam; & ex vtraque reportare fructum; nec tantùm ex dominabus, sed etiam ex ancillis; vt fructus contemplationis esset per vxorem scilicet Deum, & per ancillam scilicet creaturam; & fructum colligeret operis, non tantùm ex oblatis Deo; sed etiam proximo, vt alibi dictum est? An, vt ex quattuor mulieribus produceret familiam completam, in 4. mundi partes diuidendam? Vnaquæque enim earum ex sua parte, seu regione processerat.

2.

3.

Gen. 29. 30.

Versiculus 9. capitis 30.

PROBLEMA CLXXIV.

1. VOMODO Abraham, qui in generatione Izahac senem, & quasi ad generandum impotentem sese iudicabat, triginta, & septem annis interpositis post mortem Saræ Cethuram duxit in vxorem, & ex ea sex filios habuit? An fortè Abraham

Versicul. 1. capit. 25

Gen. 18. 25.

2. decipiebatur? Sed haud quippè hæc, digna forent tantis monumentis: An igitur renouatus fuit? iuxta illud Prophetæ, Renouabitur vt aquila iuuentus tua. Sicut enim Moses diuino fauore conseruatus fuit, vt centesimum, & 20. ætatis annum agens, nec oculos caligantes, nec dentem diminutum senserit (vt in Deuteronom. scribitur) idest, quòd non hebetauerit eius sensus, aut intellectus, nec robur virtutis defecerit, sic Abraham quoque renouatus fuit. Psal. 102. Deut. vlt.

Quot & quātis peccatis Laban se implicuerit, cùm Iacob Liam submisit.

MINVS bene Venetus quærit, cur Iacob non fuerit contentus 2. vxoribus, atque adeo problema 173. ad rem non est; cùm potiùs Iacob inuitus hisce 4. coniunctus fuerit, solam enim Rachel expetijsse videtur, cuius loco cùm Laban ei noctu Lian suppositisset, satis postea Iacob his verbis; *quare impositisti mihi*, cap. 29. Genes. sese iratum esse ostendit, iustóque dolore affici, quòd à Labano deceptus fuisset, qui propterea grauiter peccauit, cùm suæ virginis leno factus sit; eam siquidem in stuprum produxit: adulterij reus factus est, cùm filiam suam viro coniugato permisit, imo & incestus causa fuit, cùm Lia Iacobo affinis esset in primo gradu, vtpote vera soror veræ coniugis Rachelis. Insuper pellicatus, perfidiæ, & iniustitiæ reus fuit: nunquid enim eam Iacob, vt pellicem habiturus erat, si eam in vxorem ducere noluisset? nunquid pacta, promissaqfe violauit? nunquid Racheli maritum eripuit? cùm Iacob monogamus esse potuisset, vt honori Liæ consuleret, si ita placuisset? Malè ergo dicitur 2. vxoribus contentum non fuisse, alioquin libidinis œstro percitum cur non etiam Venetus eum dicat, non video. Perperam etiam rationem primam ludicram appellat, cùm textus ipse has vxorum æmulationes insinuet. Quid autem de secunda ratione dicam? sed quid opus est quidquam in eam aduertere? cùm in solitas nugas abire videatur: non quòd allegorias non approbem, quandoquidem vnus est ex Scripturæ sensibus is, quem allegoricum dicimus: vt patet ex illo vulgato versiculo,

Littera gesta docet, quid credas allegoria.

Sed quis allegorias tam malè confutas libens exciperet, in quibus insaniæ Cabalisticæ miscentur? quæ enim est illa pars vtraque, cum qua Iacob misceri debuit? nunquid ad partem aquilonarem, & meridionalem, quas toties reiecimus, alludit? Cur non dixit simpliciter, Liam & Rachelem 2. vitas referre, in quibus Iacob pius admodùm sese exerceret? Ecquis ei non succenseat, quòd tam crudè Deum vxorem esse dicat, cui licet tanquam vero nostrarum animarum sponso pro viribus coniungi debeamus, iuxta id Cantic. 1. *Osculetur me osculo oris sui*; vxoris tamen nomine vocari non debuit; quæ cùm sit coniugij pars debilior, & ignobilior, nostræ potiùs animæ nomen vxoris, quàm Deo tribuendum est. Non minùs cauendum est à parte, à qua vxores istas procedere ait, cùm easdem nugas de partibus aquilonaribus respiciat. Philo lib. de congressu quærendæ eruditionis gratia, paulo aliter allegoriam describit, eodem ferè modo, quo de Agar antea disseruit. *Quòd si quis paratus certamina pro virtute subire, & indefessus exercet se continuè, duas matronas ducet, ac totidem ancillas pellices. Singularum autem diuersa sunt ingenia.*

Philonis præclara tropologia & allegoria de Lia & Rachel.

Matronarum altera, sanissima optimè constituta, pacatissimáque motio, ex re Lia nomen habet: altera cotì similis Rachel vocatur, ad quam intellectus certaminis, exercitiique cupidus se atterens acuitur; interpretatur autè visio profanationis, non quòd profanè videat, sed contrà: quia visibilia, sensibiliáque collata cum immortali natura inuisibili, & intelligibili, non religiosa, sed profana esse iudicat. Nã cùm anima nostra bipartita sit, partim bruta, partim rationalis, vtrique sua virtus est: Lia rationali parti; Rachel irrationali: exercet enim nos altera per sensus, & rationis partes, vt contemnamus omnia contemnenda, gloriam, diuitias, voluptatem, quæ vulgus hominum suscipit, & magna contentione persequitur, corrupto auditu, cæterorúmque sensuum iudicio. Altera verò docet, vt inæqualem, asperámque viam studiosis virtutis animabus inaccessam deuitemus, & inoffensè pertritam à populo, stratámque incedamus, nusquam labente vestigio. Necesse est igitur, vt prioris ancilla, sit eloquendi facultas, & argutatio Sophistica, præstigias faciens per coniecturas quasdam persuasibiles. Alterius verò, illa victus ratio, quæ cibum potúmque requirit, nam earum nomina, Zelpha, & Bala extant in sacris literis. Zelpha idem sonat, quod oris iter, & eloquendi facultatem significat. Bala verò deglutitionem, quæ est mortalium animalium præcipuum firmamentum, & summè necessarium: ab hac enim sustinentur corpora, & vitæ rudentes ab hac religati sunt, ceu crepidine. Cum his igitur omnibus potentijs mediator ille habet consuetudinem; cum alteris, vt ingenuis, & ciuibus, cum alteris, vt ancillis, & pellicibus. Expetit enim Liam, idest motum, qui sanitatem in corpore, in anima honestatem, & iustitiam operatur. Rachelem etiam diligit, colluctans cum affectibus, & exercens se ad temperantiam, resisténs que omnibus rebus sensibilibus. Duobus enim modis vtilitatem capimus, dum vel in pace bonis fruimur, vel in bello mala profligamus, arcemúsque. Per Liam antiquissima, & præcipua bona percipimus; per Rachelem, velut ex hostibus manubias. Huiusmodi est cum his matronis consuetudo. Opus habet nihilominus etiam Bala deglutitione mediator noster, sed vt ancilla & pellice: nisi enim edat, & viuat, bene viuere non potest, quandoquidem indifferentia semper melioribus pro fundamento sunt. Opus habet Zelpha quoque differendi facultate, vt ratiocinatio duabus rebus in vnum collatis absoluatur. Hactenus Philo. Sed aliàs patrum sententiam longè gratiorem Deo dante referemus: Interim totus hic Philonis liber non inutiliter, dummodò cautè, legi poterit.

In 174. problemate meliùs virtutem generandi in Abraham conseruatam fuisse, quàm de nouo productam, seu renouatam diceret: nec ille Psal. 102. versiculus de renouatione aquilæ, de illa generandi renouatione intelligitur.

PROBLEMA

PROBLEMA CLXXV.

VR Abraham non benedixit filium suum Izahac, sicut ipse Izahac, & Iacob erga filios suos fecerunt? *An quia nondum erat expurgata familia? sicut fuit tempore Iahacob, scoria, & infecto semine priùs in Ismahelem, postea in Hesau dimisso?* An, quia debebat propagari familia illa electa in 12. ramos, numerum quidem primò crescentem, antequam benediceretur? Sed cùm Abraham esset piscina, & benedictio, cur non benedixit? An igitur, quia piscinam dedit in hæreditatem Izahac? Ipse verò accepit, & tradidit eam Iahacob, qui perfecit benedictionem. Hoc interim Deus benedixit Izahac. Gen. 25. 27. & 49.

1. 2. 3.

PROBLEMA CLXXVI.

VM Abraham noluerit nurum de Chanaan, cur voluit in terra illa sepeliri? Nonne quia regio, vel terra illa non erat maledicta, sed gens tantummodò, quæ descenderat ex Canahan maledicto, & ex Chan infami, & obscœno? Sicuti Berosus tradit. Hinc si commixti essent patres illi cum mulieribus, & genere illo maledicto, facilè infecti fuissent. Non autem inficiebantur, si habitabant, & sepeliebantur in terra illa à Deo promissa, & inde benedicta, vbi & Christus habitare, & sepeliri voluit. Gen. 24. & 25.

1.

PROBLEMA CLXXVII.

VR *Iahacob, & Hesau decertabant in vtero materno? An, quia alter ipsorum veniebat à dextris, alter autem à sinistris? Quæ loca magno conflictu sibi inuicem repugnant, non in destructionem, sed in harmoniam, per antiperistasim quandam. An quia alter carnis, alter verò spiritus typum gerebat, quorum alter in alterum concupiscit, & vterque sibi inuicem (vt Paulus ait) aduersatur? An quia (vt Zohar inquit) Hesau equitabat serpentem, (vnde, & habitauit in sehir, quod diabolum significat) Iahacob verò sedebat in tentorijs super sede sancta? An quia intelligentiæ ipsorum contrariæ Samaël videlicet, & Michaël, faciebant eos colluctari?* Gen. 25. *Versiculus 22. capitis 25.* Ad Galat. 5. Iosue. 24. Gen. 25.

1. 2. 3. 4.

Causæ inuestigantur vnde sciat Venetus Isaac non fuisse benedictum.

QVOMODO Venetus scire potuit Isaacũ ab Abrahamo benedictum non fuisse? An quia id Scriptura nõ exprimit? Nũquid ergo 175. probl. ita restringere debuit, vt quæreret, quam ob rationem in Scriptura non habeatur? An ignorat multa sæpiùs in literis sanctis reticeri, quæ tamen fuisse non dubitamus? nec quidem mihi dubium est, quin tam sanctus Patriarcha tam sancto filio omnimodam benedictionem impertitus fuerit, tametsi non exprimatur: Sed, & Veneti rationes stultitiam, & impietatem redolent; quid enim obsecro scoriæ, quidve mali perampliùs erat in familia Abraham, quàm in familia Iahacob, aut Isaac? nec vllus numerus benedictionem iuuat, aut impedit, sed benedicendorum sanctitas, vel impietas; quòd si Abraham piscina fuit, quam Isaac dederit, ergo seipsum dedit; quomodo verò benedictionem non dedit, qui seipsum communicauit? Sed his nugis omissis, ad 176. problema transeamus, in quo Berosi authoritas, quam affert parui momenti, censenda est, cùm verum Berosum non habeamus: Sed, & gratis assumit Patres facilè infectos iri, si cum Chananitidibus commixti fuissent; cur potiùs ab errore profanos homines non reuocassent, & vxores de gente Chananæa susceptas ad pietatem non conuertissent? Siccine de tam sanctorum Patrum in vero Dei cultu perseuerantia, fidéque constantissima iudicas? An, ergo malitia pietati prævalebit? Sed nos Iacob, & Esau certamen expectat, itaque problema 177. discutiamus, si tamen priùs aduerterimus Indicem purgatorium ex præcedenti 175. problemate, post illa verba, *Erga filios suos fecerunt*, delere quæ sequuntur vsque ad, *An quia debebat* exclusiuè, idque rectè, vt omnem scoriam reijciant Hispani censores; qui etiam ex 177. non aliquid tollunt, sed totum deleri iubent, sed quam ob causam, videamus.

Arguitur Venetus.

Causæ inquiruntur, cur problema 177. deleri iusserit Index.

An quia falsum est vnum à dextris, alterum à sinistris venisse? vt iam superiùs ostendimus. An quia illa harmonia, & antiperistasis ficta est? An quia pertinet ad insaniã illa serpentis equitatio? An quia Zohardi meras nugas cùm reijcere debuisset, ipse secutus est, adeout quò magis properat, vbi Scripturarum doctrina sapientior euadere debuisset, insipientior fiat. An quia consueuerat Cabalistas, aut magum aliquem, noua Angelorum nomina nobis ingerit? Nunquid Esau proiecerat Horoscopum, nominísque illius literas suo numero, & ordine à gradu ascendentis secundum successionem signorum per singulos circulos complendo gradus omnes circuli? vt ineptè loquitur archimagus 3. Philosoph. occultæ c. 27. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Agrippa reprehenditur.

An genium Esau in decima thematis natiuitatis domo percepit, genium verò Iacob in duodecima vt hic esset altero fortior; quomodo magũ refert Robertus de Fluctibus M. Antonium monuisse, vt Augustum cum quo singulari iungebatur amicitia fugeret, inquiens: *Nam, & situ natu grandior, & rerum peritia præstantior es, etiam genere illustrior; & plurium Imperator bella multa exantlasti, huius tamen adolescentis genium Genius reformidat tuus, &* 7.

Robertus Flud arguitur.

tua fortuna illius fortunæ subblanditur, ni procul fugeris, tota ad illum defectura videtur; quales inquit Flud, *sine dubio erant Genij Pompeij, & Cæsaris, Alexandri magni & Darij*; quo loco se satis magū esse, aut magica scribere prodit ille Robertus, adeout secundus illius tomus de microcosmi historia totus magicus esse videatur, quod clarissimè patet ex lectione portionis quartæ, sectionis secundæ, tractatus primi libri tertij, in quo modum edocet, quo proprius vniuscuiúsque Genius inueniri possit; c. verò 13. verba citata habet; sed aliquando fusiùs Deo iuuante aduersus impias eius errores agemus, cùm de prophetia, diuinationibus, & Angelis agendum erit. Interim explodenda sunt illa Angelorum, dæmonúmque nomina, quorum litteræ sacræ non meminerunt vtpote ad libitum efformata.

PROBLEMA CLXXVIII.

1. CVR pugna continua fuit inter Hesau, & Iahacob? An, quia ambo fuerunt pa- Gen. 25.
2. tres duarum gentium sibi inuicem aduersantium, vt oraculum perhibuit? An,
quia (vt nuper dictum est) Hesau hominem animalem, Iahacob verò spiritua- Ad Galat. 4.
lem significabat? Hinc Hesau priùs natus est, iuxta illud Apostoli: prius quod
animale, deinde quod spirituale. Propterea persequebatur eum, qui erat secun-
dum spiritum. Sicut idem Apostolus alibi docet: Vnde, & pilosus, & hispidus instar hœdi, re-
ponendus erat in sinistra; Iahacob verò læuis, & suauis, quia Spiritu Dei repletus, de quo di-
citur. O quàm bonus, & suauis est Domine Spiritus tuus! aut in dextera, aut in medio col- Sap. 12.
locandus erat.

PROBLEMA CLXXIX.

1. CVR Hesau nunquam intulit fratri mortem, quam sæpiùs minatus fuerat? An Gen. 27.
quia Iahacob à patre benedictus fuerat, & constitutus Dominus fratris sui?
Vnde collisa fuit virtus Hesau, vt non prævaleret in fratrem? An, quia (teste Prouer. 21.
2. Sapiente) non est consilium vel fortitudo contra Dominum? An id fuit in
3. documentum nostrum, vt innuatur, quòd licet caro, & qui ei prædominatur,
diabolus sæuiat, irascatur, & rugiat; velut Leo contra spiritum, non tamen prævalet, nisi
nobis volentibus, iuxta illud Hieronymi. Debilis est hostis, qui non vincit nisi volentem? Hieron. ad Eustochiū.
4. An quia Deus inter hos posuit pugnam, non vt vincat caro, sed vt vincatur à spiritu; & re-
digatur in seruitutem, vt excusso tandem à collo iugo, regnet cum spiritu? Sicut alibi quo-
que diximus.

IN problemate 178. minus placet, quòd Esau in sinistra ponendum esse dicat, ex eo quòd pilosus esset, cùm nulla corporis figura, nulli pili Deo displiceant; quomodo enim displiceret ei, quod ab ipso procedit, nec dextra, sinistra, & medium nugarum suspicione carent. Vbi verò textus noster habet: Collidebantur in vtero paruuli, 70. verterunt ἐσκίρτων, idest, secundum Ambrosium exultabant; D. August. legit, gestiebant; D. Hieron. verbum Hebræum יתרצצו, ijtrotsetsu, vertit, calcitrabant; Aquila confringebantur; Symmachus διεπάλαιον, idest palæstritarum more colluctabantur, inuicem quassabant, trudebant, & coarctabant, dum vterque nititur prior ex vtero matris exire, vt sit primogenitus; quod quidem signū fuit Iacob, & Esau de primogenitura concertaturos; allegoricè verò Christianos cum Iudæis luctam exercituros: Non immeritò autem Cornelius historiam scholasticam, & locum aliquem Carthusiani, D. Augustino attributum reijcit, quo hanc Iacob collisionem exultationi Ioannis Baptistæ in vtero matris sanctificati similem esse putat; si enim Iacob in vtero sanctificatum dixeris, cur non & Hesau? cùm neutrum Scriptura asserat.

ἐσκίρτων.

יתרצצו

Si in 179. problemate solùm intelligat paternam benedictionem erga filios id efficere, vt omnia eis meliùs cedant Deo cooperante, non repugno; si verò significare velit physicum aliquid, & aliquam imbecillitatem in Esau impressisse, vel eius virtutem imminuisse, cùm verba nihil in alienum corpus efficiant, neque robur eius per se imminuant, minus cautè loquitur.

PROBLEMA CLXXX.

1. CVR Deus prohibuit Izahac, ne descenderet in Ægyptum? An fortè, quia para- Gen. 26.
2. tæ ipsi erant ibidem insidiæ? An (vt ad Sacramenta veniamus) ne nimis indure-
CAPVT sceret intrans in regionem illam, quæ irrigabatur à fonte illo duro, vnde ipse influ-
XXVI. xum susceperat? Nec enim durum duro, nec molle molli, sed molle duro conti-
Versicu- nuè vniuntur; iuxta illud Prophetæ, Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & Psalm. 84.
lus 2. pax osculatæ sunt. Hinc Abraham, Iahacob, Moses, & nouissimè Christus, mites, & lenes,
iussi fuerunt in Ægyptum descendere.

PROBLEMA CLXXXI.

1. QVÆ altercatio fuit inter pastores Izahac, & pastores Geraræ pro effosso pu- Gen. 26.
teo? An de puteo illo (iuxta corticem literæ) inuidia, & malitia impulsi
2. Geraritæ contendebant? An (vt altiùs conscendamus) Geraritæ, qui secan-
tes interpretantur, malos spiritus significant; qui secare, & diuidere sata-
Versicu- gunt animas à fonte supremo, immò ab ipso Deo? Hinc dicuntur obstruere
lus 20. puteum (vnde gratiam Dei, & omnem diuinum fauorem haurimus) immit-
tentes terram, idest, terrena oblectamenta in illum puteum, quem fodimus, suppeditatis &
amotis omnibus terrenis, & inferioribus voluptatibus.

PROBLEMA CLXXXII.

1. CVR Philisthijm quoque dicuntur obstructores putei effossi ab Abrahā? Non- Ibid.
ne Philisthijm, qui cadentes, & ruentes interpretantur, illos significant, de Isai. 14.
Versicu- quorum principe dicitur: Quomodo cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris?
lus 15. vel (vt veritas Hebraica habet) quomodo cecidisti hulula filij auroræ? Fuit
enim filius lucis, sed in hululam nocturnam conuersus est. Hi autem conti-
nuè satagunt, vt perdamus aquam putei Bersabah, deductam ab illo fonte,
qui ait: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Et hoc per effossionem cisternarum dissipata- Ierem. 2.
rum, quæ non valent continere aquas, idest, per amorem rerum, & voluptatum terrena-
rum, quæ veras, & diuinas aquas continere nequeunt.

QVID Venete garris in 180. problemate de duritie futura Isaaci, quam sacramenta nuncupas? Vnde tantum indurescere potuisset, & quis ille fluuius durus à quo influxum susceperat? An Nilum durum ais? An idololatriam ibi vigentem intelligis? Sed nunquid in Gerara, & terra Chanaan in qua versabatur, etiam idololatria vigebat? Noluit ergo Deus Isaacum in Ægyptum descendere, ne vel malum aliquod ei contingeret, vel ne fortè Ægyptiorum delitijs, & fœcūditate nimium inescatus ad terram Canahan non rediret, vt Oleaster ait; vel ob alias causas, quas sibi Deus reseruabat: apparet autem, quàm parum ad rem locum Psalmistæ citet. Cùm autem in Ægyptum illi, quos refert, descenderint, nunquid & satis mitis erat Isaac, vt etiam descenderet? sed his nugis relictis, inquiramus de altercationibus pastorum, quas sequenti problemate attingit; de quibus, cùm præter inuidiam Geraritarum nil dicendum esse videatur, cùm textus eorū inimicitiam, malitiam, & calumniam satis ostendat, non est quòd hîc, aut in 182. problemate immorer: quomodo verò puteum animæ per tentationum cogitationes obturet dæmon, aperit S. Gregorius 31. moral. c. 22. Allegoriam verò de hæreticis catholicæ doctrinæ puteos obturantibus vide apud Orig. hom. 13. & apud Isid. tropologiam; an autem ipsius Abrahæ tempore putei effossi sint, & obturati dubium est, cùm 70. verterint ἐνέφραξαν αὐτὰ (nempe τὰ φρέατα) ἐν τῷ χρόνῳ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ οἱ φυλιστιεὶμ, καὶ ἔπλησαν αὐτὰ γῆς. Eos verò fodere voluit Isaac, quos iam à patre effossos fuisse cognoscebat, quia certus erat illic aquæ venam esse, id minus inuidiosum videbatur, cùm iustè paterno labore vti posset: denique patris gratissimam memoriam ea ratione recolebat; patres autem supra citati satis Veneti allegorijs fauent.

Quare Deus noluerit, vt Isaac in Ægyptum descenderet.

D. Gregorius.

Cur Isaac puteos iam à patre effossos iterū fodit, 3. rationes.

PROBLEMA CXL|XXIII.

1. CVR Moses enarrat tres effossos esse puteos ab Izahac? *An quia maior molestia fuit* Gen. 26.
ei illata ab antiquo serpente, cùm maius symbolum haberet cum Izahac aquilonari
serpens ille, qui sedem suam voluit locare ad Aquilonem superiorem; vnde ipse Izahac Isai. 14.
erat? Hinc inde expulsus Aquilonis inferioris tormento premitur. An quia robustio-
2. res robustioribus molestijs premuntur? An id factum fuit in exemplum poste-
3. rorum, vt videlicet discant strenui milites semper resumere vires, & reparare ea, quæ ho-
stes destruere satagunt, & aperire canales bonorum influxuum, quos ipsi obstruere co-
nantur?

PROBLEMA CLXXXIV.

1. CVR tertio, & nouissimo puteo effosso cessauit iurgium? An quia Deus post tertiam victoriam præstare solet perpetuam requiem, & triumphum? Sic post tertiam pugnam, & victoriam Imperator noster Christus quietus, & triumphans, dixit: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Sic debellatis hostibus inferni, tertia die surrexit in gloria, & pace. Sic Paulus post triplicem victoriam per triplicem orationem impetratam, quieuit securus dicēs: Propter quod ter Dominum rogaui, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. An quia diabolus, qui leo rugiens dicitur, Pardi naturam imitatur, qui si tertio saltu non capit, ab inuasione cessat? Gen. 26. Ioan. 14. 2. Cor. 12. 1. Petri 5.

2.

CENSORES Hispani deleri iubent ea quæ post illud, *esse puteos ab Izahac?* vsque ad *An quia robustiores*, exclusiuè; idque rectè, cùm istud symbolum cum Izahac Aquilonari sit omnino stultum, & fictitium: cætera cautè intellecta tolerari possunt: canales autem influxuum bonorum dici possunt animæ facultates, quibus operamur, atque diuinis inspirationibus cooperamur; nec enim id ad canales Rabinorum fictitios reuocari debet. Circa 184. problema sensus tropologicus Hugonis cardinalis videatur.

PROBLEMA CLXXXV.

1. PROPTER quod rubeum pulmentum, vel propter quam lenticulam Hesau primogenituram vendidit Iahacob? An pulmentum erat legumen decoctum à Iahacob? Sed vnde tanta esuries Hesau in ditissima domo Izahac? An Iahacob coquus effectus erat? An igitur (vt mysteria reseremus) primogenitura erat ante legem authoritas sacrificandi, aut ius benedictionis accipiendæ à patre, aut prælatura aliqua in fratres (quod innuitur in textu, vbi Iahacob benedictio datur) quam Hesau homo animalis cessit minori; & spirituali propter rubeum pulmentum, idest propter oblectamentum carnis, & sanguinis; nam caro, & sanguis (teste Apostolo) regnum, & verum Dei cultum possidere nequeunt. Gen. 25. 2. 3. *Versiculus 29. & deinceps vsque ad finem capitis 25.* Ibid. 27. 1. Cor. 15.

PROBLEMA CLXXXVI.

1. VOMODO Izahac tantum profecit, & adeo locupletatus est ex centupla hordei messe? Nonne miratur hîc Hieronymus quo pacto ex centupla hordei seminati collectione tam diues effectus fuerit Izahac? *Sed mirentur sanè, qui literæ corticem sequuntur. Nam aliò tendit negotium, quàm præ se ferat occidens litera.* An igitur quia (vt secretiores Theologi docent) hordeum aquilonare est, & ad iustitiam duram pertinens, vnde venit ipse Izahac? Vnde sicut Abraham proficiscebatur ad Meridiem, & ibi (sub metaphora) dicitur fixisse tentoria. Sic etiam Izahac (per aliam tamen metaphoram) dicitur profecisse ad Aquilonem, per hordeum videlicet aquilonare. Seminauit autem iuxta illud Apostoli: Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & meter. Hordeum verò præcepta seueræ iustitiæ significat. Centupla autem fuit messis, iuxta dictum Saluatoris, Centuplum accipiet. שערים seharim verò cùm hordea, & mensuras significet; hinc nunc centum hordea, nunc centum mensuras interpretati sumus. Gen. 26. 2. Gen. 12. 2. Cor. 9. Math. 19. שערים

2.

Mos Iudæorum in morte alicuius.

CERTVM est lenticulam, de qua problem. 185. quærit, ita coctam fuisse, vt ad cibum gratissima videretur; finguntur autem Hebræi apud Tostatum hac die mortuum fuisse Abraham; vnde Iudæi cùm aliquis moritur, in die mortis in illa domo lenticulas in cibum parant. Athenæus 4. Deipnosoph. c. 17. inter ea, quæ ad parandum iusculum pulticeum seruiunt, numerat aracum, lentem, è qua φακὴ fit, nimirum lenticula, pulmentaceus cibus: tametsi pulmentum pro quocunque cibo sumatur, vt Ioh. 21. nunquid pulmentarium habetis? Græcus Interpres habet ὄψημα φακῆ; textus Hebraicus אדם adam, quod bis repetitur, rufum, rufum; fortè quia cùm lenticulæ hæ Ægyptiæ essent, vt ait D. Augustin. in Psal. 46. mixta fuerant aliqua grana coriandri, vt Zeno iubebat: sic apud nos iam est in vsu, vt iuscula croco tingantur. Hebræi verò, vbi nos habemus petitionem Esau, *da mihi*, legunt הַלְעִיטֵנִי halhiteni, idest, obtege me, obrue me, imple me, quod nimiam auiditatem, & gulam ostendit, nam à radice עטה hata deducitur, idest, obruit. Causa verò cur Esau cibum illum tam auidè requireret, est fames, qua premebatur, sic enim qui totum diem in venatione insumpserunt, אדם הלעיטני עטה ὄψημα φακῆ.

insumpserunt, quicquid occurrit auidè deglutiunt, vt etiam ipsi reges pauperrimis rusticorum edulijs tanta fame pressi delectentur.

Quot sint iura primogenituræ.

Sunt autem multa iura primogenituræ, quæ recentiores Interpretes ex Abulensi referunt; primum est, quòd primogeniti sacerdotes essent; ita censet Oleaster de Melchisedech: in lege verò Mosis, loco primogenitorum omnium, qui Deo dicati erant, tribus Leuitica sacerdotalis facta est, tametsi præter primogenitos, alij etiam sacrificauerunt, vt in Abele, & Abrahamo constat. Secundò primogenitus reliquos in mensa antecedebat, lautiùsque excipiebatur. Tertiò, ab eo cæteri eum humili corporis inflexione benedictionem recipiebant, vt patet ex verbis Isaac Iacobum benedicentis. Genes. 27. *Incurrentur coram te filij matris tuæ.* Quartò, pretiosa veste in festiuitatibus, & actionibus solemnioribus vtebantur, vnde Iacob vestibus Esau indutus est, quarum fragrantiam cùm Isaac percepisset, ei benedixit; vnde Hieron. ait primogenitos vestimentum sacerdotale habuisse, quo victimas offerrent, & Exod. 19. horum sacerdotum mentio facta est. Quintò, quoddam in fratres dominium exercebant; dixit enim Isaac, *Esto Dominus fratrum tuorum*; Iacob verò Ruben, *Maiorem in imperio* vocauit. Sextò, duplicem hæreditatis partem sumebant, vnde cùm Ruben primogenitura in Iudam, & Ioseph translata esset: Iudas imperio in fratres donatus est; Ioseph verò princeps duarum tribuum factus est. Septimò, primogeniti 5. siclis redimebantur, ac proinde peculiari ratione ad Deum pertinebant. Octauò, denique à parentibus morientibus benedicebantur, vt ea ratione gubernationi domus, quasi patresfamilias quodammodo præficerentur. Thargum Hierosolymitanum, pro *vilipendit primogenituram*, habet, *Abijt, & contempsit Esau primogenituram, & floccipendit partem futuri sæculi, negauitque resurrectionem mortuorum.* An verò Iacob peccauerit, in proprijs quæstionibus agitabimus, vbi de simonia. Interim communis opinio fert eum non peccasse, quia vexationem redemit, & rem suam æstu data occasione ab iniusto possessore extorsit; adeout pro *vende*, dicere potuerit, redde mihi ius debitum: adde quòd, tametsi spirituale sit annexum alicui bono temporali, emi possit bonum temporale, sic enim Caietanus ait consecratum calicem tanti licitè vendi posse, & emi, quanti valet, dummodo non plus ratione consecrationis exigatur, sic enim vendi potest ager, cui annectitur ius patronatus. Denique Iacob sciebat ius illud Dei dispositione ad se pertinere, & ab Esau ad se translatum esse, id enim à matre didicerat, quæ à Domino audiuerat, *Duo populi ex ventre tuo diuidentur, populiúsque populum superabit, & maior seruiet minori.* Veruntamen Esau peccasse satis insinuat Apostolus ad Hebr. 12. Cùm eum prophanum vocat, βέβηλον, idest à sacris propter impuritatem arcendum: peccauit autem gulâ, sacrorum contemptu, & fortè simonia, si ius spirituale fuerit annexum iuri primogenituræ. Hieron. Exod. 19. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. An Iacob emēdo primogenita peccauerit. βέβηλον.

In 186. problemate supponit illud quod Isaac seuisse dicitur, hordeum esse, sic autem in nostro textu legimus versic. 12. seuit autem Izahac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum: pro quo Hebræus habet centum modios, sed nec omnino malè Venetus, siquidem מאה non tantùm modios, & æstimationes, vt voluit Vatablus, sed & res horrendas, quale solet esse hordeum hirsutum; significat, à radice שעה, quæ tantum valet, quantum, *æstimauit, horruit, turbo, pilus, hircus, dæmon siluestris, sceps auis horrenda, vt in lexico Hebraico Chaldaico* Buxtorfius annotat. Imo D. Hieron. tam Ezech. 47. vers. 13. quàm in traditionibus Hebraic. vertit *centuplum hordei*, vbi sic habet, *Licet in aliena terra seminauerit Isaac, tamen non puto, quòd tanta ei fertilitas hordei fuerit. Vnde meliùs puto illud esse, quod habetur in Hebræo, & Aquila quoque transtulit. Et inuenit in illo anno centuplum æstimatum, idest* ἑκατὸν ἐκατονταπλάσιον. Licet enim eisdem literis, & æstimatio scribatur, & hordeum: tamen æstimationes שערים Seharim leguntur, hordea verò seorim. Tacens autem scriptura genus fruguum, quod centuplicauerit, videtur mihi cunctarum in illo virtutum ostendisse multiplicationem: facile tamen fuit, vt per miraculum Isaac centuplum acceperit, idest centum modios pro vno: cum Plin. lib. 18. ca. 11. tritici centigrani meminerit, imo non desunt, qui asserant etiam in Gallia centuplum ex semine nos accipere posse, si alio modo, quàm solito terra coleretur: vt in libello cui titulus est, *La Vie*, me legisse memini, de quibus postea dicendum erit, vbi de virtute, quam habet terra ad producendum agemus. Liber dictus *La Vie* aliū serēdi, dormiendi, surgēdi, & comedendi modum docet, præter solitum.

Reliqua quæ in problemate sequuntur, deleri possent: tametsi censores tantùm deleri postulant, quod habetur post illud, *effectus fuerit Izahac* vsque ad, *An igitur, quia, vt*, exclusiuè. Cur autem reliquerint hordeum aquilonare, & cætera, quibus ad Cabalisticas nugas Venetus alludere videtur, nescio: nisi quia, de tot erroribus fatigati satis ostendunt, quod problematum initio monuerant; nempe vix fieri posse, vt omnia corrigerentur, quæ in his problematibus doctrina Platonica, Cabalistica, sæpiúsque stulta, & impia scatentibus continentur.

PROBLEMA CLXXXVII.

1. CAPVT XXVII. *Versiculus 1.* VOMODO caligabant oculi Izahac, quando voluit benedicere filium Hesau? An erat captus oculis corporeis ob ingrauescentem ætatem? *Sed nonne post ædam Iahacob benedictionem vixit sanus 20. annis, & ijs amplius? Nam Iahacob post moram in Padam Aram, & Bethel contractam sepeliuit patrem cum Hesau?* An igitur cœcus erat mente, sicut omnibus prophetis contingere solebat, vt de se dixit Elisæus: Anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi? Solus enim Christus omnia sciuit, cùm super ipso semper Spiritus sanctus manserit, vt alibi dicetur. An (vt aliqui dicunt) ascenderat Izahac per meditationem ad illum gradum, quò si quis deuenit, viuit alteri, & non sibi? Qui quidem gradus per Rebeccam designatur; hinc ille, cui viuebat, pro ipso suppleuit. Genes. 27. Ibid. 35. 4. Reg. 4. Ioan. 1. 2. 3.

PROBLEMA CLXXXVIII.

1. QVOMODO Rebecca sciuit emendare errorem mariti? An quia per Rebeccam intelligitur gradus, quo Spiritussanctus se creaturis communicat, vt sapientes norunt? Hinc ab eo Izahac fuit directus in bonum, quamuis non aduerteret, iuxta illud Saluatoris: spiritus vbi vult, spirat, & nemo scit vnde veniat, aut quò vadat. Iosue.3.
2. An quia (vt nuper dictum est) Rebecca tenebat gradum illum, cui Izahac cessit, illuc proueniens? Nec tamen mulier est superior viro, licet aliquando teneat typum superioris, sicut de Maria fratrem Mosem liberante scriptum est. Tunc enim huiusmodi mulier gerit typum illius quæ dilecto ait: veni in hortum meum, & dabo tibi vbera mea. Quæ vbera Prophetæ, & Patriarchæ lactauerunt. Exod. 2. Cantic. 7.

PRIMA ratio, quam attulit Georgius initio probl. 187. vera est, cui variæ infirmitates addi possunt, tametsi enim 20. annis post datam Iacob benedictionem vixerit, longè priùs tamen eius oculi caligare potuerunt, vt sæpè multis contingit, qui etiam cum perspicilijs sexagenarij difficilè legunt, quamuis vltra octuaginta annos vitam prorogent. Non est igitur opus, vt ad metaphoras inauditas, & allegorias fictitias de cæcitate mentis, aut ascensu per meditationẽ cõfugiat; nec vllus est gradus, ad quem homo possit ascendere, in quo si fuerit in gratia Dei, non sibi, sed alteri viuat, siue enim Domino viuat, siue proximo, sibi tamen viuit, quatenus magnum sibi meritum, & proinde præmium comparat, tametsi iuxta D. Paulum ad Rom. cap. 14. si verè Christiani simus, vnusquísque nostrum dicere possit. *Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur: siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur: siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus:* & quidem tunc nobis maximè viuimus, quando viuimus Domino: tunc Deo viuimus, quando nostra omnia in eius laudem, & honorem referimus: quod tanto magis præstare debemus, quo per vnionem Incarnationis maius in nos dominium, maiúsque per redemptionem ius Christus Dominus transtulit, quo sensu si Venetus loqueretur, tantùm abest, vt eum reprehendere velim. Quem etiam excusare possemus, si per cæcitatẽ mentis intelligat Isaacum non penetrasse omnia mysteria in ea supplantatione, qua Iacob benedictionem Esau præripuit: tametsi non existimem eum penitus ignarum fuisse: quod autem addidit omnes prophetas cœcos fuisse, illud probandum esset: Quia verò censores piè prout insinuauimus, eum interpretati sunt, iusserunt tantùm ea deleri, quæ post hæc verba, *ob ingrauescentem ætatem*, sequuntur vsque ad: *An igitur cæcus erat*, exclusiuè, delerúntque, *igitur*.

Quamquam me ignorare fateor, cur deleuerint ex hoc 187. problemate verba hæc: *Sed nonne post datam Jacob benedictionem vixit sanus 20. annis, & ijs amplius?* cùm sciamus post datam benedictionem vltra 40. annos vixisse: siquidem benedixit Iacob ætatis anno centesimo trigesimo, mundi verò 2276. mortuus est autem anno mundi 2318. ætatis 180. cùm Iacob interim 120. annorum esset: ac proinde 77. annos natus, quando suscepit benedictionem: ergo potuit Isaac post datam benedictionem sanus 20. & ampliùs annos viuere. At fortè ea verba deleuêre propter sequentia; *Nam Iahacob post moram in Padam Aram, & Bethel cõtractam, sepeliuit patrem cum Hesau*; nam author testamenti patriarcharum huius obitum in annum mundi 2325. retulit, nempe 7. annis post Isaaci obitum: sed quia de his Scriptura nihil negat, aut asserit, & leuioris momenti esse videntur, his omissis, videamus quid circa 188. problema aduertendum sit. Quo anno mundi benedictionẽ Iacob suscepit.

In eo igitur supponit Izahac errorem; sed quem? An quia errauit dum loco Esau benedixit Iacob? hoc quidem dici nequit, cùm potiùs in hunc errorem (si error appellari debet) consenserit. An igitur alium errorem intelligit, cùm Isaac erraret, dum Esau benedicendum esse iudicaret, cùm tamen Iacob benedicendus esset, sic enim Deus statuerat, vt euentus probauit, adeout hic error facti fuerit, & non iuris: profectò clariùs explicare debuit, quem errorem intelligeret: sensum autem, quem ex sapientibus ingerit de Spiritusancto per Rebeccam significato licet allegoricè sumptus nil absurdi continere videatur, non ita tamen aptè commodus est: in eadem autem allegoria persistens ait Rebeccam, vel potiùs Spiritum sanctum per eam designatum Izahac benedicẽtis locum tenuisse, siquidem totum id negotium, tametsi mediantibus hominibus Spiritus sanctus exequebatur. In quo Isaac errauerit.

PROBLEMA CLXXXIX.

1. CVR Izahac magis diligebat Hesau, quàm Iahacob? Nonne, quia venabatur ore, vt habet veritas literæ? Pro quo *mendosa* editio habet, quia comedebat de eius venatione. Sed quid hoc in tam sacramentali scriptura? An Genes. 25.
Versiculus 28.
2. (vt mysteria tangamus) quia pater ille sanctus præuidebat, quòd ab Hesau descendere debebant Idumæi, quorum multi ore, idest prædicatione venari debebant, vt de Nemrod dicitur, quòd erat robustus venator? Et hoc, quia Christus in Idumæam extendit calciamentum suæ humanitatis, faciens Idumæos seminatores, & venatores in Ecclesia, vt Marcus testatur, dicens: Et multa turba à Iudæa, Idumæa, & trans Iordanem venerunt ad eum. Ibid. 10. Psalm. 59. & 107. Marc. 3.
3. An diligebat eum, quia ex eodem latere, vnde & Izahac, aquilonari videlicet, erat?

Censores

Censores volunt loco istius vocabuli, *mendosa*, scribi, *vulgata*: siquidem in nostra editione legimus versic. 29. cap. 25. *Eo quòd de venationibus illius vesceretur.* Assuit autem Isaaci præscientiam, vt suę literæ veritatem stabiliat, tametsi non ore solo, sed potiùs armis Nemrod venatus fuerit. In fine problematis ad easdem nugas se recipit, de quibus iam sæpè diximus. Cùm autem Georgius tam sæpè vulgatam editionem contemnat, & mendosam iudicet, eique propterea veritatem (vt vocat) Hebraicam præferat, quod cum huiúsce temporis peruicacibus hæreticis commune habet, tametsi non eodem animo, vt facilè credo; operæpretium esse existimo, si semel nostram editionẽm vulgátam sanctissimi Concilij Tridentini authoritate fultam, aduersus obloquentes, eíque sine ratione detrahentes paucis defendam. Vulgata editio defenditur aduersus hæreticos & Venetum.

Itaque primò diligenter aduertendum est veritatem Hebraicam, quam D. Hieronymus lectionem Hebræam vocat, esse veram, sanctam, & legitimam; veritatem verò Hebraicam, quam nostri temporis hæretici, & alij nominant, falsam, perfidam, & Iudaicam lectionem esse, mille dolis refertam, & ad peruersam Rabinorum interpretationem contra Christum Dominum, & contra Apostolos eius, & Euangelistas, & contra omnes Doctores sacros, & Ecclesiasticos esse vt apologetici initio Leo Castrius aduertit, qui multa loca vulgatæ editionis lib. 3. tuetur aduersus Iudæos, & quosdam alios, quorum aliqua referemus. Leo Castrius.

Primus locus quem expendit, habetur Numerorum vltimo, versu 7. vbi legimus, *Omnes enim viri ducent vxores de tribu, & cognatione sua.* Quem Iudæi vitiant, vt negent Virginem fuisse de stirpe Dauid, & Christum Dominum fuisse verum Christum, sic enim Iudæi vertunt. *Quoniam quilibet in hæreditate tribus patrum suorum adhærebunt filij Israel*, quibus significant id tantùm præceptum esse, vt de eadem tribu ducerentur vxores, & in qualibet tribu. v. g. in tribu Iuda plures familias contineri, adeout necesse non fuerit Ioseph ducere vxorem ex familia Dauid: Contendit autem D. Hieronymi versionem omnino Iudaicæ præferendã, qui testatur se non verbum verbo reddidisse, sed sensa sacra expressisse. Sic autem vertit D. Hier. *Quoniam quilibet in hæreditate tribus, & patrum suorum, adhærebunt filij Israel*, idest adhærebunt coniugijs in possessione tribus, & in possessione patrum suorum, hoc est in suis familijs; meliúsque censet D. Hieron. addidisse, & ו, quod versione sua satis ostendit suppleri debere, vt & in alijs locis plurimis: sic in dictione Masa, inquit, Esai. 63. sicut & in dictione Rabba cap. 33. R. D. suppleuit coniunctionem ו, quem locum fusiùs explicatum apud Castrium videant, qui voluerint. Numer. vlt. Primus locus Scripturæ sacrę à Iudæis corruptus.

Secundus locus sumitur ex psal. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Ex quo D. Athan. lib. 1. de fide sua probat filium esse in patre à quo generetur ab æterno; ita ferè Cyrill. in 23. Ios. illa verba, *Principium, qui & loquor vobis.* Theodoret. lib. 2. de curandis Græcorum affect. Himeca siquidem, tecum significat, & Nedabot, principantes, liberales; vt hîc verti possit, tecum Pater & Spiritus sanctus, qui liberales dicuntur; sua enim liberalitate creauit omnia Deus. Iudæi verò, vt totus psalmus ad Dauid referatur, mutant puncta, legúntque hameca, idest populus tuus; vt sensum hunc efficiãt; *Populus tuus liberalitatum, ô Dauid, te sequetur, cùm exercitum contrahes aduersus filium Saulis, idest liberalis populus.* Ita R. Dauid, & R. Abraham, in dictione Nadab, & Racham, vnde, & Vatablus non citat vulgatam, sed Iudaicam translationem. Totum autem psalmum hunc à Iudæis peruersum esse latiùs ostendit Castrius, adeout veritatem Hebraicam nil aliud esse, quàm perfidiam Iudaicam contendat. Secundus locus. Psal. 109.

Tertius locus sumitur ex psal. 71. v. 5. in quo legimus, *Et permanebit cum Sole, & ante Lunã*, vbi legũt Iudæi, vi rauca ייראוך, & timebũt te, pro יכון icon, permanebit, vt locũ hunc de Salomone explicent; quasi Salomon hîc vtatur apostrophe. *Timebunt te ô Deus omnipotens, quandiu durabit sol*; deinde pro, *ante lunã*, לפני liphne, ponunt, *in conspectu*; alij, *ad facies*; tametsi nec 70. viri, nec D. Hier. nec Symmachus, Aquila, & Theodotio Iudæi ita verterint. Tertius locus ex Psal. 71 יכון

Quartus locus est eiusdem psalmi vers. 17. *Ante solem permanet nomen eius*, vbi pro *icon* permanet כ in נ verterunt, vt sit ינון ijnon *filiabitur*; vbi & pro, *ante solem* vertunt, *in conspectu solis*, vt de Salomone explicent hac ratione. *Filiabitur Salomon, & innouabitur nomen Salomonis per successionem temporis.* Sic R. Imanuel, & R. D. adde quòd ינון pro filiare, nusquam in sacris literis legatur. Nobis autem fauet Thargum, sic enim vertit, *Antequam esset sol, præparatum est nomen eius.* Quartus locus. ינון

Quintus, sumi potest ex Abac. cap. 3. vbi habemus; *In medio duorum animalium cognoscêris*, 70. ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ. quod D. Aug. c. 63. contra Iudæos, Paganos, & Arianos ad præsepe Domini retulit, cùm tamen iuxta lectionem Hebræam nunc habeamus, *In medio annorum* שנים. Sed pro *Sanim* legere possumus *Senaim*, duorum, mutatis punctis, & pro *chaiehu*, legere *chaioth*, animalium, deinde pro בקרב *Bekereb* legere *Bequarob*, idest cùm appropinquauerint, *thodiah*, notum facies: sed cùm punctum sit Holem 70. legerunt per Schurec *tudiah*, idest cognosceris, tantùm verò Messiæ inuident Iudæi, vt tot errores in vno loco committant. Quintus locus ex Abacuc. שנים בקרב תודיע

Sextus locus celebris est ex Isaia: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*: in quo Iudæi detrahunt vnum crus literæ ה ex nomine natsa, vt pro נצה idest, flos, substituant נצר idest truncus putridus, vt florem nostrum virgineum in truncum putridum conuertant; lege D. Hieron. secundis Commentar. in 14. Isai. Nec mirum est, cùm nobis Christum eripere pro viribus nitantur. Sunt & alij qui ex 70. aliquid expungant, vt illud de vacca, quæ peperit, & nõ peperit, quod se inuenire non potuisse fatetur Castrius. Tametsi Tertul. cap. 15. de Christi carne illud legat; & Epiphan. 1. de hæresib. contra Ebionitas. Clemens 7. strom. sub finem: & Grigentius in elogijs de prædictionibus propheticis. Sextus locus ex Isaię 11. v. 1. נצה נצר Quid sit vacca quæ peperit, & non peperit.

Septimus locus est Hiere. 23. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster*, vbi lectio Hebræa habet וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו ve zé schismo aser ijkereo tsid kenou. 70. καὶ τοῦτο τὸ ὄνομα αὐτοῦ ὃ καλέσει αὐτὸν κύριος ἰωσεδέκ. In quem locum Castrius hæc habet. Hîc sat scio, dicet aliquis, nihil est cur accuses, aut quendam interpretem ante Vatablum, aut Isidorum Clarium, qui hunc locum cum D. Hieronymo, & cum Doctoribus sacris de diuinitate Christi interpretantur, addúntque Christum Dominum hoc loco appellari, Iehoua, nomine tetragrammato illo ineffabili, sed mihi vt sum suspiciosus venit in mentem illud de eo, qui non magnoperè propitius est, Septimus locus ex Hieremia.

quod vbi blanditur maximè, ibi cauendum est damnum,& illud cauendum, ne altera manu ferat lapidem, panem ostendat altera: cæpi animum attendere, & intellexi mutatione vnius puncti Hebraici ablatam Christo Domino diuinitatem; nam pro, *Hoc est nomen, quod vocabũt eum Deus, iustus noster*, Hebraicè scriptũ est, *Hoc est nomẽ, quod vocabit eum Deus, iustus noster*, vt Christus à Deo vocatus sit Iustus noster, hoc factũ est vnius puncti mutatione, vt icro pro icru legatur, erasa est etiam dictio, hu, eũ. Nec mihi dixeris vetusta Aquilæ ceterorúmq; exemplaria ita habere, nam locum hunc vitiauit, vt Christo diuinitatem auferret; est enim vnus ex illorum numero, de quibus Hieron. cùm Aquilam, Symmachum, & Theodotionem blasphemos Iudæos nominat, eósque multa de Christo mysteria celasse ait. Aquila enim,& reliqui accesserunt ad faciendas translationes eo animo, vt Christo aduersarentur, & 70. viris obstreperent. Sed vt Balaam propheta dæmonum coactus est dicere, quæ non vellet, ita eos permisit Deus oracula manifesta de Christo peruertere, quæ eis notissima erant, & in ore omni populo: in cæteris fecit texere admirandas quasdam translationes, vt vsui Ecclesiæ sanctæ essent. Corrupit igitur Aquila hunc locum sic; *Veze, aser, iqro, iehoua, sidquenu. Et hic qui vocauit eum Deus iustitia nostra*, vt significaret Deum fuisse, qui vocauit populum Iudæ è captiuitate Babylonica. Et sunt è nostris, qui hanc ostentent translationem, eámque opponant vulgatæ, & 70. interpretibus. Dicat hîc aliquis Vatablum, & Isidorum Clarium hæc omnia ad Christum referre, & authores esse, Iudæos hæc etiam de Christo interpretari; nisi simularent viros bonos, nunquam postea fallerent, arte nos tractant; excutiũt de manibus vulgatam nostram,& 70. interpretationem, quæ Christi diuinitatem planè sonant, obtrudunt pro eis Iudaicam interpretationem, quæ ad Babylonicam captiuitatem hæc referat, vt germen iustum populus Iudaicus appelletur, quem germinare Dominus fecerit; sed cur Dauidi fecit germinare populum Iudaicum, non dicunt, cùm post captiuitatem Babylonicam ex posteritate Dauidis rex nullus fuerit; neque adijciunt, quomodo cap. 23. vbi hæc eadem verba legimus, subiungatur, *Et regnabit rex, & sapiens erit:* post captiuitatem Babylonicam non regnauit rex vsque ad tempora proxima temporibus Christi, vbi duo aut tres tyranni sibi regiũ diadema imposuerunt; neque germen iustum, populum Iudaicum iure quispiam appellet, vt reliqua omittam, quo pro Zarach mutatis duabus literis, Samach scripsere, idest pro oriente, scripsere germen: sed quantum apparet ex translatione D. Hieron. & 70. expunxere ex lectione Hebræa duas voces sem, & hu; vbi enim legitur ve ze, legendum erat, ve, ze, sem, *& hoc nomen*; sic enim est in vulgata D. Hier. & in translatione 70. & post illa verba, *quod vocabunt*, deest vocula Hebræa, *hu*, iuxta translat. D. Hieron. & 70. idest, *eum*, vt sic. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum*. Ergo, inquit Castro Iudæi sunt testamẽtarij, seu Dei testamẽti corruptores non solùm negligentia, sed & malitia, qui hîc pro iqru vocabunt, legunt *iqra*, vocabit; pro, *lo*, eum, legunt, *la*, eam; quam vocem Vatablus castigat ex translatione 70, aitque legendum, *eum*, non, *eam*, aut, *ei*, genere masculino,& non fœminino. Cur autem Vatablus non castigat idem ex translatione D. Hier. à quo vulgata nostra edita est; cur sicut pro, *la*, legit, *lo*, non pro *iqra*, legit *iqru*? Sensu igitur Iudaico legunt, *Vocabit eam Dominus iustitia nostra*, nempe captiuitatem Babylonicam. Frustrà ergo inclamant hæretici, & Iudæi quando illos scripturis oppugnamus, veritas Hebraica, veritas Hebraica, cùm tot locis corrupta sit, vt non ampliùs veritas, seu vera scriptura, sed potiùs mendosa dici possit, atque debeat.

De interpretatione seu versione Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis.

Iudæi Scripturæ sacræ corruptores.

8. Locus ex Iob. c. 3.

Octauo loco quædam ex Iob afferemus, qui ca. 3. ait. Maledicam ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiatan; quem locum 70. sic verterunt teste Didymo, & Olympiodoro, *Qui prouocatus erat captiuare Leuiatan:* vt de Christo intelligatur, qui triumphauit aëreas potestates; quem locum vertunt Rabbini Dauid, Leui, & Salomon, *Qui paratus est suscitare luctum eorum, vel societatem suam ad luctum*, quos aliqui Interpretes, D. Hieron. relicto, sequuntur, vt non sit sermo de peccato originis, nec de Christo, qui illud cum reliquis peccatis actualibus affixit cruci, sed de hominibus misera lamentatione lugentibus suas calamitates, & conuocantibus ad illos luctus præficas, & socios, & amicos; quod neque ratio Hebraicæ linguæ patitur; dicendum enim erat, Leuiatam cum, m, quod dissimulant alij Rabini, quos Vatablus sequitur, vt vitiata lectio Hebræa, D. Hieron. vulgatam, & eius interpretationem falsam faciat, vt corrumpatur Hebræa lectio mutatione vnius literæ, n, in, m, & falsa interpretatione. Vbi Iob 5. dicitur. *Et ipsum rapiet armatus*, aliqui reddunt, *de spinis capiet eam*, vt in Onomastico Complutensi, dictione צְנִים, videre est: vnde patet D. Hieron. fecisse vnam dictionem מִצְנִים, armatus: Iudæos verò duas, & transtulisse, *De spinis*. Et cap. 6. *An potest aliquis gustare, quod gustatum adfert mortem?* R. D. & R. Leui transtulerunt, *Num est sapor in albumine vitelli?* quos relicto D. Hieron. quidam è nostris sequuntur, cùm Hebraicè neque albumen sit, neque vitellus. Doctores Hebræi, *Cholmon*, vitellum appellant; quid quæso Cholmon cum Chalamuth? & Rir, aiunt, saliuam significat, & inde per metaphoram albumen oui; quàm ridicula metaphora? Ostendat impius Iudæus, vbi, Rir, siue propriè, siue metaphoricè oui albumen significet, & Chalamuth oui vitellum, quod nunquam poterit. Nostra Ecclesiastica scriptura cum lectione Hebrea congruit mirabiliter אִם יֶשׁ טַעַם בְּרִיר חַלָּמוּת *im ies taam berir, chalamuth*, quod sic D. Hier. vertit *im*, numquid, *ies* est, *taam* sapor, *berir* in saliua, *chala* quæ parit *muth* mortẽ, hîc enim *chalamuth* in 2. dictiones partitur, vt sit totũ: *Num est sapor in saliua, quæ parit mortem?* pro quo sententiam reddidit D. Hieron. quod sæpissimè se facere solitum profitetur: An potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem? 70. pro *chalamuth*, legerunt *chamaloth*, somniorum, & pro vna dictione acceperunt. Quædam lexica tam in dictione *chalam*, quàm *rir* locum hunc iuxta trãslationem Iudaicam, non iuxta vulgatam citant, quam ferè nunquam afferunt.

At quã benè vel malè colligat ex hoc loco Castrius sciet qui doctissimum Bolduci commentarium in hunc locum legerit, apud quem velim etiam alia loca consulas, quæ hîc Castrius tetigit, nec enim vllum vnquam commentarium me vidisse memini, qui ita perfectus sit, atque sensum literalẽ tam benè discutiat, ac P. Iacobus Bolducus.

Ex Iob. 8.

Multa loca similia refert Castrius, quæ breuiter attingemus: cap. 8. Iob vbi legimus: *Super acervum petrarum radices eius densabuntur.* 70. ἐπὶ συναγωγὴν λίθων κοιμᾶται; pro aceruo Hebraicè est גַל gal, quod Iudæi, vt nobis aduersentur, vertunt fontem: cùm tamen etiamsi se rumpant Iudæi nunquam ostensuri sint gal significare fontem, inquit Castrio. Reprehenditque Pagninum, & cæteros, qui 15. Iudic. Guloth verterunt fontes, quod à gulah de-

גל Miror Castriũ Iudæos prouocantem cùm גל pro fonte sumatur Cãt. 4. v. 11.

lah deducit Pagninus, tametsi 70. vertere noluerint, sed guloth ad nos transmiserint. D. autem Hieron. meliùs vertit, reuolutiones.

Ex cap. 6. Iob, vbi habemus, *Qui timent pruinam, irruet super eos nix*. D. Hieronym. legit יִתְעַלֶּם *ithallas* per *samech*, & non *ithallem*, per *m*. Ibidem Diuus Hieronymus deprehendit ex translatione Aquilæ, quæ ob odium Christi in lectione Hebræa impia Synagoga mutasset: Enimuerò vbi legimus, *Considerate semitas Theman, itinera sabbata, & expectate paulisper:* iuxta D. Hieronymi translationem alij reddunt, *Respexerunt semitas Thema, itinera Seba expectauerunt sibi*. Nam rerum nouarum amatores vertunt הַבִּיטוּ *hibitu*, *respexerunt*, D. Hieronym. *considerate*, nam mutatis punctis, præteritum esse potest, & imperantis modus: & vbi nunc legimus שְׁבָא Seba, vulgata D. Hieron. testatur lectum fuisse *Sabathoth*, Sabata, & non Seba. Arguit etiam eodem loco lectum fuisse, non לָמוֹ *lamo*, vt nunc, sed *lemeath*, cum ע, & ט.

הַבִּיטוּ

In eodem 6. capite versio D. Hieron. *Confisi sunt, quia speraui*, docet non esse legendum בָּטַח *batach* sperauit, sed *batachti*, in prima persona, *speraui:* & vbi legimus, *Venerunt quoque vsque ad me*, non esse legendum *hadea* עָרִיָה vsque ad illud, sed *hadi*, vsque ad me. Vbi legimus, nunc venistis, non הֱיִיתֶם *heiytem*, fuistis, sed *hetitem*, venistis, ab atah, idest venio, legendum esse versio vulgata conuincit, sicut, & לֹא superfluum esse. Cap. 7. vbi habemus, *Si dormiero, dicam quando consurgam, & rursum expectabo vesperam*, vbi habetur מִדַּת Midat, mensus est, legendum est, Midati in prima persona, Mensus sum.

עָרִיָה

מִדַּת

Cap. 11. *Excelsior cœlo est;* arguit nostra versio 2. literas mutatas esse, nam Diuus Hieronymus pro גָּבְהֵי שָׁמַיִם *Excelsum cœlum*, legisse videtur גֹּבַהּ שָׁמַיִם *Excelsior cœlo*. Iustinus autem conqueritur fraude Iudaica deletum esse tam ex Hebræo, quàm è 70. *à ligno* מֵעֵץ, dialogo aduersus Tryph. cúmque versiculum integrum legit Tertul. lib. aduers. Iud. & lib. 3. aduers. Marcion. cap. 12. & D. Aug. lib. 80. quæst. primo, quæst. 69. & in Psal. 95. Quæ sufficiunt, vt conuincamus Venetum iniuria vulgatæ editioni Hebraicam præferre, & perperam *mendosæ* voce vsum esse; clament itaque Iudæi, & post eos hæretici, quantumcúmque voluerint, veritas Hebraica, veritas Hebraica; respondebimus enim, vt sæpiùs notat Castro, perfidia Iudaica, impietas Rabinica.

Nunc autem omnia loca, quæ Leo obiecit, discutere nolo, nec inquirere, an optimè in omnibus procedat; satis enim est, vt sciamus multa loca Hebraica à Rabinis, & Iudæis in odium Christianorum corrupta fuisse, adeout vulgatæ editioni anteponi non debeat, sed magis postponi textus Hebræus, prout iam apud nos versatur, vt in alijs locis passim occurrentibus videbimus; non quòd sit vndequáq; perfecta nostra vulgata, quòd neque Tridentinum Concilium voluit, sed quia nullus est textus purior, nulla versio fidelior, & magis ad mentem Spiritussancti.

Quia verò loca, quæ Castro adducit, non adeo firma sunt, vt nullam difficultatem patiantur, imo plurima refert, quæ minus accuratè expendit, vt ex locis prædictis Iob apparet: inde fit vt alia ratione procedendum sit. Itaque ostendo vulgatam hîc non esse mendosam, cùm ait cap. 25. v. 28. *Eo quòd de venationibus illius vesceretur.* Non tantùm quia Septuaginta Interpretes ita vertêre, ὅτι θήρα αὐτοῦ βρῶσις αὐτῷ. i. quia venatio illius, (supple Esau) cibus ei, (videlicet Isaac) quod cum vulgata recidit: non tantùm quia Chaldæus Paraphrastes idem habet, ac nostra, vt fatetur Vatablus, qui ex quibusdam aduertit hîc deesse verbum, afferebat, vel dabat, quod Hebræis solemne est, vt sit sensus, quia venationem dabat, & afferebat in os eius, vel, vt alij volunt, erat venatio in ore illius, sed etiam quia vulgatus interpres eleganter textus Hebraici sensum aperuit; quid enim sibi vult, כִּי־צַיִד בְּפִיו. i. quia venatio in ore eius, nisi quia Esau ita diligens erat in venatione, vt pater cibum venatione captum, ac postea præparatum semper in ore habere videretur; quia quoties volebat cibis illis vescebatur.

Eos igitur, ac proinde venationem in ore habebat, quatenus cibis in ea captis ordinariè, vel cùm ita allubesceret, vescebatur. Vnde promptissimum Esau obsequium colligimus. Hic autem locus docet nos vulgatã minimè de verbo ad verbum textum Hebraicum sequi, sed illius sensum, atque scopum: quæ præcipua censeri debent, idque appositè, alioquin si verba tantùm præcisè explicaret, vix ac ne vix quidem intelligeremus, quid Scriptura vellet. Ratio est, quia Hebræi in sua lingua idiomata omnino peculiaria habent, quæ in alia lingua, Latina præsertim, Gallica & similibus retineri nequeunt, nisi leporem omnem ab ipsis verbis, & ipsum sensum, atque intelligentiam tollere velis, vt passim videre est. Quod etiam hîc manifestum est, nam quis non rideat Gallum, qui versiculum hunc sic verterit, *Isaac aymoit Esau, parce que venaison, ou chasse de bestes sauuages en sa bouche.* Quod etiam de Latino dicendum est. Itaque quod ridiculum foret, si de verbo ad verbum efferretur, ornatè vulgatus expressit, & captui nostro, atque idiomati accommodauit.

Non est igitur mendosa nostra litera Venete, sed vera, & ad viuum, vt ita loquar, atque genuinè vim phrasis Hebreæ explicans. Quod sanè in cæteris locis reperies, quæ vel Georgius mendosa vocat, vel hæretici vellicant, vt hic locus pro cæteris esse possit. Hinc fit vt non tantùm aduersus sectarios ex ijsdem fundamentis, quibus Leo comparere audeam, qui contendit vulgatam retinendam esse, quia vel D. Hieron. vel 70. ita verterunt, quos nostris nuperis Hebraïzantibus, siue Rabinis, siue hæreticis in lingua Hebræa doctiores fuisse non absque probabilitate censet, sed ipso puro Hebræo fultus; enimuero facillimum est ostendere textum Hebræum nusquam à vulgata discrepare; quod iam sæpè fecimus, & in progressu Deo bene iuuante præstabimus. Verùm de his in presentia satis, quapropter ad problema 190. accedamus.

PROBLEMA CXC.

1. Versiculus 3.

VR Izahac petijt venationem sylueſtremab Heſau? Nonne quia sylueſtria omnia Aquilonaria ſunt? ſicut, & ipſe Izahac erat. Vnde ipſis nutriebatur, tanquam cibo conuenienti. Hinc, & vinum exegit, ac bibit, quod ex eodem fonte emanat. Abraham verò ex loco oppoſito veniens (vnde fluit aqua ſupramundana) non vinum, ſed aquam hoſpitibus præparabat, quam & ipſe bibebat, vt ſapientes norunt. Geneſ. 27.

PROBLEMA CXCI.

1. Versiculus 9.

VR pro ſylueſtribus animalibus Rebecca præparauit hœdos, quibus Izahac libenter veſcebatur? Nonne quia hœdi Aquilonares ſunt, & à ſiniſtra teſte Chriſto, qui ait: Hœdos autem à ſiniſtris: & ex eodem fonte proueniunt, vnde & ſylueſtria: ſymbolúmque maximum habent cum ſylueſtribus indidem (vt dictum eſt) manentibus? Nam patres, qui totam Dei ſedem perficere debebant, ſic diſpoſiti fuerunt, vt Abraham teneret Meridiem, Iahacob Orientem: Dauid Occidentem: Izahac autem Aquilonem, vnde ſylueſtria, hœdi, & vinum (vt iam dicta repetam) prodeunt. Hinc ipſe Izahac dignoſcere neſciuit inter hœdorum carnem oblatam à Iahacob, & ſylueſtrem, quam expectabat ab Heſau. Ibid. Math. 25.

IN 190. problemate ad ſolita Aquilonis nugamenta redire videtur, numquid præter Aquilonaria, quædam meridionalia conſtituenda ſunt, quæ ſylueſtria ſint? an omnes regiones circa meridiem poſitæ ſyluis, & dumetis carent? dubio procul operæpretium eſſet, vt totum hoc problema deleretur cùm totum fictitium, & cabaliſticum ſit: quid enim riſu dignius, quàm vinum illud ex fonte Aquilonari emanans? ſed nec cur rectè dici poſſit Iſaac Aquilonaris non video, quandoquidem in eadem ferè patria, quam Abraham habitauit, quem velut aqueum deſcribit, quòd hoſpites aqua, ſéque ipſum potaret: tametſi enim Abraham, Iſaac, & Eſau in regionibus per trium, aut 4. dierum iter diſſitis habitaſſent, illæ tamen omnes ad eandem mundi partem ſpectauerunt; niſi comparatio cæterarum ad vnam facta ſit, qua ratione etiam quadratum palmare 4. mundi partibus applicari poteſt.

Non minus in 191. nugatur, ratio enim clara eſt, cur Rebecca hœdos præparauerit: quia nimirum in parato nihil eſſe videretur, quod ita belluas ſylueſtres repræſentaret: vel quod meliùs Iſaaci palato ſaperet: vnde nec dignoſcere potuit inter cibum hunc, & alium, qui de venatione contingebat. Cætera quæ de Aquilone habet, ad nugas pertinere videntur.

PROBLEMA CXCII.

1. 2. Versiculus 39. & 40.

VR Izahac voluit benedicere Heſau? An quia primogenitus erat? Hinc adijudicauit ipſi benedictionem competere. An quia diligebat eum (vt dicit textus) ignarus horum ſacramentorum, quòd videlicet Iahacob melioris hominis typum gerens, præferendus eſſet Heſau deteriorem figuranti? Nam, etſi Heſau benedicendus erat, non tamen adhuc tempus aderat, vt infra dicemus. Geneſ. 27. Ibidem. 25.

PROBLEMA CXCIII.

1. Versiculus 33.

VR Izahac quamuis nollet benedicere Iahacob, benedictionem tamen ipſius confirmauit, dicens: Benedixíque ei, & erit benedictus? Nonne quia priùs ignorabat ſacramenta (vt dictum eſt) ſed tandem illuſtratus à Deo, benedictionem datam confirmauit? Hinc non ab reſcriptum eſt, quòd caligauerant oculi ipſius, qui ſecundum carnem adiudicabat dandam eſſe benedictionem Heſau, quæ Iahacob melioris hominis typum gerenti iure competebat. Geneſ. 27. Ibidem.

PROBLEMA CXCIV.

1. 2.

VR ſcriptum eſt, Iahacob dilexi, Heſau autem odio habui, cùm (teſte Paulo) nondum nati eſſent, neque quicquam boni, vel mali geſſiſſent? An (vt communis eſt Theologorum opinio) quia Iahacob ab æterno Deus prædeſtinauerat, & Heſau præſciuerat? Malach 1. Rationes 3. cur Deus Eſau odio habuit.

An quia

An quia odio habuit ad tempus, vt infrà dicemus? An quia oderat odio habendũ, hominem videlicet animalem, quem & nos odiſſe docuit Chriſtus, dicens: Qui odit animam ſuam ſcilicet animalem, in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam? Quod Heſau contigit, vt ſtatim reſerabimus. Nam corpus, & animalis homo beatificabitur ſimul cum ſpirituali, ſi mundatus, & in ſeruitutem ſpiritus redactus fuerit. 3. Ad Rom. 9. Ioh. 12.

NON multum inquirenda eſt cauſa, cur Iſaac benedixerit Iahacob, cùm id ſcriptura ſatis aperiat, qui nimirum exiſtimabat Iſaac eſſe Eſau, tametſi Dei conſilio id fieret; non eſt autem quod reprehendi debere putem in tribus iſtis problematibus, dummodo cautè legãtur: attamen, quòd ait in 193. problemate ſcriptum eſſe; quòd caligarent oculi, quia ſecundum carnem adiudicabat benedictionem dandam Eſau, non eſt literalis ſenſus, ſed myſticum redolet: verùm ad alia problemata feſtinemus, nam ſuperiùs de cauſis fuſiùs diximus, ob quas Deus Eſau reprobauit.

PROBLEMA CXCV.

1. Versiculus 12. 2. 3. 4.

VR Heſau deſcribitur piloſus, Iahacob verò lenis? An id iuxta literam intelligendum eſt? *Sed nonne Apoſtolus ait; non litera, ſed ſpiritu. Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat? An igitur deſcribitur Heſau piloſus, & hiſpidus, quia rigidam, & aſperam habebat animam ex fonte ſeuerę iuſtitiæ procedentem: Iahacob verò lenis, quia ex fonte gloriæ, & pulchritudinis animam ſuſceperat benigniſsimam?* An vt innuatur, quòd Heſau, ideſt homo animalis, diabolicus erat? Nam rebellis, & aduerſans erat Iahacob, hominem ſpiritualem præfiguranti: שעיר Sahir enim diabolum, & piloſum ſignificat. An, vt denotetur, quòd opera animalis hominis, quamuis videantur blanda, & delectabilia, tamen poſtremò ſunt dura, aſpera, & mortifera? E conuerſo autem, opera ſpiritualis hominis ſunt lenia, & ſuauiſſima, iuxta illud Chriſti: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Geneſ. 27. 2. Cor. 3. שעיר Math. 11.

PROBLEMA CXCVI.

1. Versicul. 2. cap. 36. 2. 3.

VR Heſau cum tota familia ſua pro habitatione montem Sehir ſortitus eſt? An cùm Sahir, & Sehir, שעיר & שעיר ſint idem vocabulum, & eandem habeant etymologiam (vt locus eſſet proportionatus locato) conuenienter ſortitus eſt pro habitatione montem Sehir? An vt ibi reciperet influxum conuenientem? An id fuit in figuram ad denotandum quòd homines mali dæmoniaci ſunt, *& totum commercium cum dæmonibus habent*; imo filij diaboli à Saluatore dicuntur. Geneſ. 36. Ioh. 8.

PROBLEMA CXCVII.

1. Versiculus 8. & 9. 2.

VR Heſau dictus eſt Edom, & pater Edom? An, quia ſicut ille ex inceſto natus dictus fuit Hamon: & ſicut Iahacob dictus fuit Iſraël, & pater populi Iſraël: ſic Heſau dictus fuit Edom, & pater Edom, ideſt populi Idumæi? An (vt meliora ſenſa reſeramus) quia Heſau ſignificat hominem animalem, qui Edom, ideſt rubeus, vel ſanguineus dicitur: cuius filij cùm ſint ei ſimiles, eodem nomine quo & pater, appellantur, iuxta illud Apoſtoli, Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Geneſ. 36. 19. 32. 1. Cor. 15.

PROBLEMA CXCVIII.

Versiculus 39. & 40. 1.

VR Izahac, vt eiulantem filium conſolaretur, partem benedictionis dedit ei, dicens: In rore cœli, & in pinguedine terræ deſuper erit benedictio tua? Quomodo eadem portio ambobus ſibi inuicem contrariantibus competere potuit, & cur aliam quoque benedictionis partem ei non tribuit? Non quippe congruum erat, neque poſſibile, quòd vterque alteri dominaretur, neque frumento, & oleo, quæ ex auſtrali parte proueniunt, ſtabiliri potuit ille, qui totus Aquilonaris erat. Pinguedo autem terræ (per quam intelligitur panis vitæ) cum rore cœli, ideſt gratia Spiritus ſancti, vtríque ſcilicet homini ſpirituali, & animali tribui potuit, ſicut reipſa fit. Cùm panis ille vitæ toti homini tribuatur ſumendus, vt inde vtérque homo proficiat, & ipſe panis ſit in ſalutem animæ, & corporis, dummodo dignè ſumatur. Geneſ. 27.

RECTE quidem Censores deleuerunt illud, quod habetur, post hæc verba, *Iuxta literam intelligendum est*, vsque ad, *An vt innuatur*, siquidem nugamenta solita de fontibus seueræ iustitiæ reperit, quos tametsi bono sensu quis pro eo exprimeret, non ita tamen virum catholicum loqui oportuit; imo nec vllo modo catholicè intelligi posse videtur, siquidem Deus non vni rigidam, alteri lenem animam, vni ex fonte seueritatis, alteri ex fonte misericordiæ tribuit; nisi quis dixerit animas à corpore his aut illis dispositionibus ornato suam indiuiduationem accipere, indéque fieri, vt alij natura sua iracundi, & inuidi, alij iucundi, alij tetrici sint; hæc enim omnia ex diuersis humoribus pullulare videntur: At de temperamentis fusè proprijs in quæstionibus agendum erit.

Quid varia temperamenta producant, quod intellige rātùm dispositiuè, quatenus verbi gratia biliosus faciliùs quā phlegmaticus excandescit, ita tamen vt in actibus elicitis, & imperatis libertas remaneat.

Ex sequenti 196. problemate deleri iubent ea quæ sequuntur post hæc verba, *Dæmoniaci sunt* vsque ad, *imo filij diaboli* exclusiuè, & pro, *imo*, scribi, *idest*: sed tota responsio digna est quæ deleatur, ad quid enim meminit influxus? quasi verò montis Sehir influxus hispidus, ferus, & pilosus esset. Nugæ.

Problema 197. maiori ex parte mysticum est, pars tamen prima literalis est. Hic autem filij Hesau, ducésque, qui ex eo prodierunt, enarrantur in 36. capite. Notant autem Aben-Ezra, & Rabbinos insulsè, & imperitissimè Edom putasse Romam, vnde Pontificem Romanum vocant monachum Idumæum: meliùs Iudæos, Plinius Idumæos vocauit. Status diuersi posterorũ Esau.

Esau autem posteri, primo nudè ponũtur, secundo vt duces, tertio vt reges, quarto iterum vt duces, qui non toti Idumæ pleno iure, vt reges, sed suæ tribui, & toparchiæ præerant; vtríque verò electiui fuêre: priúsque Aristocratiam, posteà Monarchiam, denique Aristocratiam amplexi sunt.

In 198. ad nugas Aquilonares redit, quasi verò Esau frumento viuere non potuerit, imo potiùs ipse frumento abundauit, cùm benedictionem in pinguedine terræ, & rore cœli habuerit, à quibus abundantia frumenti, vini, & olei prouenit. Cætera sensum mysticum satis præclarum continent. Non est autem mirum, quòd tam importunè benedictionem petierit à patre Esau, quippe qui discere potuerat benedictionem, vel maledictionem patris multum valere: vnde Eccles. 3. *Benedictio patris firmabit domos filiorum, maledictio autem eradicat fundamenta.* Benedictio Noë, Genes. 9. Iacob, Gen. 48. Mosis, quam dedit 12. tribubus Deuter. 33. Tobiæ, quam dedit filio c. 5. Matathiæ, qua filios Machabęos 1. Mach. 2. benedixit necnõ maledictiones Cham, Ruben, Leui, & Simeonis videri possunt: D. August. 22. de Ciuit. cap. 8. memorabile habet exemplum de 10. prolibus à matre maledictis, & statim tremore correptis; è quibus 2. ad reliquias sancti Stephani sanati sunt. Plura de vi benedictionis, maledictionísque parentum alibi dicenda erunt.

Variæ benedictiones & maledictiones parentum.

Genes. 9.

Deut. 33. Tobiæ 5. 1. Mach. 2.

D. August.

PROBLEMA CXCIX.

1. VR Izahac Hesau dixit: viues in gladio tuo, quoúsque excutias iugum fratris de ceruicibus tuis? Nonne in gladio, vel arcu suo viuit ille, qui secundum vires proprias operatur, vt Hieronymus ait? Hunc Iahacob moriens dixit Ioseph, Do tibi partem, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. Et alibi, In baculo meo transiui Iordanem. Sensus itaque est. Tu homo animalis viues secundum proprietates animales, & seruies fratri tuo. i. spirituali homini, obediens ei, quoúsque excutias iugum eius de collo tuo, idest libereris ab eius dominio.

Genes. 27.

Genes. 48. 32.

Versiculus 40.

PROBLEMA CC.

1. HESAV quando liberatus fuit ab illo seruitutis iugo? An fortè quando Idumæi percusserunt multos ex Iehuda, & prædam magnam ceperunt, vt in libro Paralipomenon legimus? An (vt verum sensum tangamus) tunc excutitur iugum seruitutis ab homine animali, quando in se mortificatus viuit homini spirituali? iuxta illud Apostoli, Viuo autem iam non ego, viuit in me Christus. An liberabitur, quando (vt idem Apostolus ait) animale surget spirituale? An (vt ad allegoriam veniamus) id fuit in aduentu Christi, qui (teste Marco) vocauit tam Idumæos, quàm Israëlitas, ac reliquas mundi nationes, seruos omnes libertate donans, ac filios regni faciens? Iuxta illud Apostoli: Qua libertate Christus nos liberauit. Et alibi. Qui eripuit nos (pater videlicet) è potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.

2. Par. 28.

2. Ad Gal. 2. 1. Cor. 15.

3. Marc. 3.

4. Ad Gal. 4. Ad Col. 1.

PROBLEMA CCI.

1. VR enarrantur multi duces, & principes, qui emanarunt ab Hesau? An quia Deus ab initio statuit malum contra bonum? sicut in Ecclesiastico legimus. Vnde Trismegistus, & Plato dixerunt duos esse crateres, alterum superiorum, ac meliorum rerum; alterum

Gen. 36.

Eccl. 33.

CAPVT XXVI.

In his 2. problematibus totum ca. 36. explicatur: hic etiam 196. & 197 referri potest.

alterum verò inferiorum, ac deteriorum rerum: quarum alteræ alteris correspondent: hinc sicut melioris hominis, Iahacob videlicet, progenies in duodecim principes, ac familias diffusa describitur sic & deterioris hominis, scilicet Hesau familiæ in multos principes creuisse enarratur. Verùm illa ordine quodam mirabili, hæc autem confuso quodammodo, vt rerum inferiorum moris est, de quibus Iob, ibi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. An id factum est, vt compleretur, quod Abrahæ dictum fuerat: faciámque te in gentem magnam, collectam videlicet ex omni familiarum genere, vt omnium quodammodo pater esset.

Iob. 10.

2.

PROBLEMA CCII.

1. VR duces Hesau describuntur nunc per ternarium, nunc per septenarium, nunc per octonarium numerum, tandémque terminantur in vndenarium, numerum satis infaustum? Nonne (vt diximus) quia inferiora, & deteriora debito ordine carent? Et quamuis hîc innuatur bonum semen, & ex alto proueniens per ternarium, denotatur tamen elementare per quaternarium, & per septenarium ex vtróque mixtum, & per octonarium, bifarium elementarem. Concluditur autem per vndenarium infaustum, vt innuatur, quòd familia illa sit infausta, & infœlix, quoúsque seruitutis iugo subiacet; à quo quidem iugo liberanda est ex alto, sicut in se habet illud semen ex alto proueniens. Verùm seruituti obnoxia debet esse, quoúsque expurgetur illud semen terreum, ac deterius, & cœlestis efficiatur.

Genes. 36.

CIRCA 199. problema quidam aduertunt Idumæos Esau posteros iugum excussisse, cùm tempore Ioram filij Iosaphat aduersus Iudæos rebellarunt 4. Reg. 8. & ab eorum iugo liberi per 800. annos manserunt vsque ad Hyrcanum, qui eos rursum subegit: Ac rursum Herodes Antipatri Idumæi filius regnum Iudææ adeptus fuit, tenuítque per se & filios suos vsque ad excidium Hierosolymæ per annos 130. Hinc factum est, vt tempore Titi, & Vespasiani, Idumæi cum Romanis Ierosolymam expugnarint, & vastarint, de quibus videri potest Iosephus 14. Antiquit. & 1. de bello Iudaico: malè verò citatur D. Hieron. in margine homil. 49. in Genes. cùm ipse non fecerit homilias in Genesim: existimabam D. Chrysost. fortè legendum, cùm ipse scripserit homilias, sed neque id habet, quòd sanè Librariorum errori, non autem Veneto tribuendum est.

4. Reg. 8.

Iosephus.

In sequenti problemate causas aliquas præsertim mysticas affert de iugo excusso, adeout præsens 200. problema præcedentis explicatio esse videatur.

Vltima ratio problematis 201. cæteris preferenda est: aliæ mysticæ sunt; in quibus cauendum est ne Platonicis erroribus imbuamur, aut in Manichæorum errores incidamus, qui vnum principium bonorum, malorum aliud velut duos summos principes constituebant, vt patet ex D. Augustini libris, quos aduersus istos nebulones scripsit.

In 202. problemate, primùm aduerti debet minimè verum esse, quod ordine inferiora careant, cùm & suum pondus, numerum, & mensuram habeant, tametsi ea per actus inordinatos sæpius ordine suo priuemus.

Quòd autem numeros mysterijs, aut potiùs mysteria numeris applicet, mirum non est, cùm Pythagoræorum, atque Platonicorum sententiæ, non minus quàm veritates sacræ, ei allubescere videantur. Gratis autem per ternarium affirmat bonum semen ex alto proueniens intelligi, quandoquidem numeri nullam ex se vim habent, vt potiùs hoc, quàm illud significent, sed tantùm ex mera hominum voluntate: tametsi enim ternarius tres personas Trinitatis significare possit, attamen tria quædam mala, vt concupiscentiam carnis, oculórum, superbiam vitæ, & cætera id genus repræsentare potest; id enim ex applicantis instituto, atque voluntate pendet: Venetum ergo spiritusancti sensum, aut scripturæ veritatem per hos numeros assecutum fuisse minimè credendum est. Superest vt videamus an numerus vndenarius sit infaustus, & infœlix.

Scio denarium applicari decalogo, sed non ita statim vndenarium significare velim eum, qui transgreditur decalogum, quantumcúnque Math. 28. 11. discipuli in Galilæam, quæ est volubilitas seu transmigratio, abierint: faciunt tamen vndenarium pœnitentium proprium, quorum vestimenta sint 11, saga cilicina Exod. 36. quandoquidem ex pilis caprinis fiebant, & hœdi pro peccatis offerebantur. His vestimentis Dauid vsus est psalm. 34. *Cùm mihi molesti essent, induebar cilicio*; qui & in vndecimo psalmo ait defecisse sanctos: adde quod D. Aug. 2. de concord. Euang. cap. 4. & 15. de c. 20. denarij transgressionem per vndenarium figurari velit, qui videri poterit 2. quæst. Euang. cap. 6. In generatione filiorum Cham hic numerus reperitur. D. Hieron. cap. 1. in Zach. ait vndenarium ad res sæculi pertinere: vnde & Apoc. 17. cornu vndecim bestiæ Antichristum significant teste Beda ibidem Gen. 37. 11. filij Iacob vendunt Iosephum. Exod. 17. in 11. mansione filij Israël. 2. peccata commiserunt, vnde locus dictus est, tentatio Raphidim: in psalm. 82. sunt 11. pugnantes aduersus sanctos, vt D. Hieron. notat. Quæ omnia tametsi sobriè intellecta nullum periculum includere videantur, attamen cauendum est, ne plus nimio numeris tribuamus: Possumus quidem per numeros omnia pro libito significare, nec enim quidquam impedit, quominus Pythagoricorum instar virtutes per numeros perfectos, vitia verò per abundantes, & diminutos intelligamus, cùm virtus tam quod abundat, quàm quod deficit vetet;

De numero vndenario.

Math. 28.

Exod. 36.

Psalm. 34.

Psalm. 11.

Augustin.

D. Hieron.

Apoc. 17.

Genes. 37.

Exod. 17.

Psalm. 82.

Numeros vim nullam habere.

Virtus & vitium per numeros intelligi possunt.

Mos Pythagoræorum.

An sint aliqui dies, vel horæ non nullæ periculosæ.

sed nulla virtus eis tribuenda est, nec propter vlum numerum siue dierum, siue horarum ab aliquo opere abstinere debemus, prout antiqui fidei, imo & rationis veræ luce destituti faciebant, qui hoc dierum numero vmbras errare, ac siliqui pasci existimabant; quapropter dijs superis non sacrificabant, ignes non accendebant, nuptiæ à viris secubabant, nec se nobiles ornabant, quorum Ouidius in fastis meminit: hunc etiam numerum nothis, vt vndequaque imperfectis applicabant. Vnde & nothi dicti sunt 11. vnciarum, vel 11. digitorum: non enim perueniunt ad spithamam, quæ est 12. digitorum, vt libra 11. vnciarum: de nothis, cur interdicti sint à sacris Ecclesiæ muneribus Bungus videri potest, qui aduertit nothos digitum auricularem legitimis breuiorem habere, adeout non perueniat ad extremum annularis articulum, vnde nec possunt per integram spithamam manum extendere, quo signo Chiromantici vtuntur ad adulteros aut illegitimos natos dignoscendos: Hæc autem omnia falsissima sunt meræque nugæ, siquidem nulla est ratio cur hoc dierum numero, potiùs quàm alio laruæ discurrant; nec in generantibus ex adulterio, vel genitis materia semper deest, quominus digitus auricularis efformari, & debitam longitudinem obtinere possit: nec si deesset, mancus auricularis, potiùs quàm alter, aut digitus, potiùs quàm aliud membrum futurum esset; nulla ergo vis vndenario, nec cæteris numeris tribui debet, sed tantùm aptitudo, & facilitas, quibus multa pro libito exprimere valeamus: quod enim illis tribuitur amplius, id ἄλογον est.

Quid facerent & fieri arbitraretur antiqui pagani dierum vndenarijs.

Nothi numero vndenario significati.

Falsum esse auriculare digitum in nothis, quã in alijs breuiorem esse

PROBLEMA CCIII.

I. QVR signati ex familia Israël per duodena millia describuntur? Nonne describi debebat familia illa fertilissima per duodenarium, numerum primò crescentem? Quo quidem numero cœlum, & cœlestia multa (vt etiam Plato asseuerat) descripta fuerunt. Complicatur autem per millenarium, numerum quippe diuinitatis (vt alibi dictum est) vt innuatur populum illum esse diuinum, diuinóque fauore tantùm creuisse quantum millenarius diuinus excedit duodenarium naturalem. Nec enim Deus dedignatur agere nobiscum portione longè ampliori.

Apoc. 7.

Plato 6. de legib.

PROBLEMA CCIV.

I. QVOMODO tam citò creuit familia Israëlitica ex 12. filijs Iahacob? An ex virtute duodenarij numeri primò crescentis: quo præcipuè ordine diuino distributa erat familia illa diuina? An quia suscipiebat totum influxum duodecim signorum cœli? sicut patet ex castrametatione, diuina ordinatione ad aspectum signorum facta, vt ex libro Numerorum discere possumus, immo suscipiebat influxum ab Angelis ipsi præsidentibus, & à virtute nominis diuini in eadem signa duodecim suis reuolutionibus (vt alibi dictum est) influentis. Hinc non sine causa dixit Deus Izahac: Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli.

Genes. 35.

2. Num. 3.

Genes. 26.

IN his duobus problematibus in duodenario numero efferendo totus esse videtur, quem virtutis consummatæ dicunt aliqui; tum quia diuisiones facillimas patitur, vt videre est cùm senarius per binarium, ternarius per quaternarium, & quaternarius per ternarium multiplicatur: tum quia in eius compositionem quinarius, & septenarius ingreditur; quinarius verò ex copulatione binarij cum ternario consurgit: & binarius materiam, ternarius formam designat, vt ideo quinarium primum compositum dixerint; septenarium verò secundum compositum, ac velut ex crassiori materia, seu binario duplicato conflatum, ex quibus duodenarius Platoni ciuitatis numerus efficiatur. Quæ omnia ex Pythagoricorum, Platonicorúmque schola orta sunt. Sed nullatenus Veneti nugeculis fauent, siquidem vel illi philosophi id solius explicationis causa numeris tribuerunt, vt philosophica compendio breuiori discerent, & docerent, vel itaut in numeris vim aliquam esse crederent: si primum, non est quòd reprehendantur, nisi quatenus erroris ansam multis tribuere potuerunt: si secundum, ipsi cum Veneto redarguendi sunt. Potuit ergo Venetus numeros mysterijs applicare, vt ostenderetur omnes scientias, tam naturales, quàm mathematicas scripturæ deseruire posse: sed quòd filij Iacob duodenarij virtute creuerint, omnino ridiculum, & falsum est, cùm nullam ex se virtutem numeri habere possint.

De numero duodenario.

Duodenarius ciuitatis numerus.

Quomodo numeris vti possimus.

Nec obstat quòd numero duodenario concentus omnes explicari videantur, influxúsque cœlestium astrorum ab astrologis, sicut & Zodiaci partes explicari soleant: Concentus quidem, quatenus prima sesquialtera nascitur inter tria & duo, vt quinarius sit prima proportionis istius radix: deinde prima sesquitertia inter 4. & 3. vt septenarius sit radix sesquitertiæ; ex quibus duplex proportio, cuius radix est duodenarius, nascitur: hinc diapente, diatessaron, & diapason habemus.

Quinarius radix sesquialteræ. Per duodenariũ omnes consonantiæ explicantur. Septenarius sesquitertiæ.

Cœlorum verò partes, imo & mundi totius, & ciuitatis Plato per 12. secabat; siquidem octauæ sphęræ motui 36. millia annorum tribuit, vt tribus millium duodenarijs compleretur, itaut in primo duodenario mundi iuuenilis ætas, in secundo virilis, in tertio senilis intelligi posset; numquid eam ob causam 12. dijs suam ciuitatem Plato commendat, qui 12. Zodiaci signis à Pythagoræis assignarentur; vt in corde Arietis, Pallas particularis; in Tauro, Venus; in Geminis, Phœbus; in Cancro, Mercurius; in Leone, Iupiter; in Virgine, Ceres; in Libra, Vulcanus; in Scorpione, Mars; in Sagittario, Diana; in Capricorno, Vesta; in Aquario, Iuno; in Piscibus, denique Neptunus ab eis inhabitare crederentur. Quę omnia sunt antiquorum fabellæ, sub quibus partes aliquas suæ philosophiæ occultare potuerunt, ne singulis aperirent, quod sentirent. Sic in Phædone totum orbem formis 12. Plato describit, in Critia, 12. regna ante diluuium agnoscit; in Phædro Deos sub Ioue hoc numero dispont: sicut & in legibus, custodias, magistratus, agros, vicos, atque ciuitatem: & 8. de Rep. numerum hũc, vt diuinum celebrat: qui cùm 5040. magni faciat in ijsdem agrorum diuisionibus, quòd in 12. partes secari possit, nempe in 420. quod rursus duodecies in 35 & hoc in duodenos binarios diuiditur, ætq; insuper vndecim duodecimas partes: pari ratione numeros omnes celebrare debuit, qui duodenariam diuisionem patiuntur.

Cœlestes motus per numerum duodenarium explicantur.

Dij gentiũ dæmonia.

Duodenarij Platonici.

Nescio certè an Venetus in 204. problemate ad animam mundi, eiúsque duodecim principes alludat, quorum 8. cœlestibus orbibus, 4. verò elementis præsideant, qui cognoscendi, viuificandi, corpúsque regendi virtutem habeant: quàm vt in cœlis existentem Bacchum, alteram Musam Orpheus vocabat, cùm velit Iacob à 12. Angelis præsidentibus, & à 12. signis influxum suscepisse. At quicquid voluerit, id loquendi genus explodendum est, non enim sapit Catholicum, sed Platonicum, & Pythagoricum: nec alio modo 12. signorum influxum susceperunt Iacob, aut eius filij, quàm alij quicunque in eodem cœlo, solóque positi, imo non ampliùs quàm belluæ, in quos non minus astra, quàm in homines influunt: Tametsi verò non denegem Angelos Israëlitas adiuuasse, eísque Deum magnoperè fauisse, nego tamen id mediantibus astris eo modo, quo explicat, contigisse. Ab his igitur loquendi modis abstinendum est, nobísque sufficere debet, si numeris vtamur ad ea explicanda, & illustranda, quæ in scientijs, & artibus tractare solemus: Hac enim ratione Sol, Venus, & Mercurius Zodiacum 12. mensibus: Iupiter 12. annis percurrit: Luna quotidie 12. gradus facit: 12. mansiones habet: facítque annum mensium 12. sed quorum singuli 29. vel 30. dies alternatim habeant, vt annus Lunæ 354. diebus constet: quibus si 11. Epactas, & quadrantem adieceris, 365. dies 4. pro solari anno tenes. Adde 4. elementa pati à 12. signis, adeò vt tria ignea ♈, ♌, ♐, in ignem: tria aërea ♊, ♎, & ♒, in aërem: tria aquea ♋, ♏, & ♓, in aquam: tria denique terrea ♉, ♍, & ♑, in terram agant, vt patet ex Ptolomeo, Aydimone, Astaphan, Alcabitio, Albumasar, Omar, Bonato, Pezelio, Origano & alijs, qui diagramma, seu themation in 12. partes diuidunt.

Periodi Planetarũ

Signa ignea, aërea, aquea, & terrea, quæ.

Multi astrologi cõmemorantur.

Dodecaedri anatomia.

Hinc etiam Plato Duodecaëdram figuram 12. facies habentem mundo propter 12. sydera tribuit, vt enim quælibet duodecima Zodiaci pars in 30. partes secatur, quæ per duodenarium numerum ductæ numerum 360. efficiunt, ita in dodecaëdro 12. pentagonos habemus, qui sigillatim in 5. triangulos æquilateres diuiduntur, quorum rursus quilibet ex 6. triangulis scalenis conficiatur, vt in dodecaëdro 360. trianguli reperiantur: siquidem duodenarius numerus est metrum totius corporeæ pulchritudinis, non enim circa orbem aliquem plures orbes, quàm 12. constitui possunt, qui primum attingant, séque inuicem premant, sicut non possunt plures circumferentiæ circumferentiam ambire, quam 6.

Sunt qui multa naturalia ad 12. numerum referant, vt quòd lepus 12. in anno generet, pauo 12. oua ponat, &c. Cynocephalus duodecies in die singularum horarum initio vlulet, quem Serapidi dicatum esse Trismegistus ait. In Cantabria tres fontes octonis pedibus distantes duodecies in die exsiccentur, teste Bacio lib. 6. de Thermis cap. 23. Georgius Cedrenus ait hoc duodenario spatio cunctas creaturas preces offerre Deo: prima quidem hora in cœlo: secunda ab Angelis: tertia à volucribus: quarta à iumentis: quinta à bestijs: sexta hora Angeli assistunt, omnésque creaturæ discernuntur: septima Angeli ad Deum intrant, & exeunt: octaua laudatio, & sacrificia fiunt Angelorum: nona precatio, & cultus ab hominibus: decima aquarum inspectio, precésque cœlestium, & terrestrium: vndecima mutua confessio, & exaltatio omnium: duodecima interpellatio hominum Deo acceptorum. Hæc tamen valde ridicula sunt, & exsibilanda.

Quæ duodenario numero administrari dicantur.

Cedren. in compend. historiæ.

Hæc duodecim horarum partitio admodum inepta est.

Quando verò Scriptura sacra significat aliqua duodenario numero facta esse, caue ne credideris eam in numeris vim aliquam agnoscere, sed quia hoc aut illo numero quædam peracta sunt, ideóque rem, prout reuera peracta est, enarrat: quod tamen non impedit, quominus aliqua mysteria, sensúsue reconditos beneficio numerorum in scripturis inuestigare possimus, dummodo nulli veritati opponantur. Sunt igitur non pauca, quæ duodenario numero comprehendantur, siquidem in montem Sinai, 12. mansione post exitum ex Ægypto Dominus descendit: electa est Dei familia numero duodenario: fuere 12. duces Ismaël. 12. inquit, Philo lib. biblic. Antiquit. lapides pro turre ædificanda sumere noluerunt, quorum vnus fuit Abraham: 12. vituli: 12. fontes Helym: 12. lapides altaris, quos ferrum non tetigit: 12. lapilli in pectorali: 12. exploratores, Numer. 13. 12. leunculi in solio Salomonis 2. Paralip. 9. 12. fructus ligni vitæ Apocal. 22. ex vnaquáque tribu 12. millia signati. 12. Apostolos Christus elegit: duodennis disputat. 12. boues mare æneum sustinent 3. Reg. 7. 12. lapides è Iordane sublati Ios. 4. 12. stellæ in corona sponsæ Apocal. 12. panes propositionis 12. Leuitic. 24. & Apocal. 21. sunt 12. fundamenta ciuitatis Hierusalem, eiusdemque portæ 12. Math. 19. sunt 12. sedes iudicantes 12. tribus Israël. 12. cophini fragmentis pleni Ioan. 6. quibus multa similia passim occurrunt.

Quomodo Scriptura sacra numeris vtatur.

Multa ex Scriptura referuntur, quæ numero duodenario comprehendũtur.

Vbi verò Caballam refellemus, qua ratione Dei nomen per 12. signa, eorúmque intelligentias influat, aut non influat, dici poterit: vera autem ratio cur tam citò Iacobi familia creuerit, non est alia, quàm quia Deus ei benedixerat, & necessaria ad incrementum suppeditabat. Nec præteriri debet incipientes, proficientes, & perfectos numero significari senario, qui tribus partibus constat, ternario, binario, & vnitate: 12. autem ex duplici senario componitur; est autem duodenarius primus impariter par, surgit enim ex ductu primi imparis, in primum pariter parem, nempe ternarij in quaternarium: qui propterea

Incipientes, proficientis & perfecti numero senario designati.

perfectum mixtum, hominem ſcilicet, exprimit, qui 4. elementis, & anima ad Dei trini & vnius imaginem facta componitur.

De duodenario plura deducũtur ex Arithmetica.

Denique vt 203. Veneti problema clarum fiat, duodenarius numerus eſt primus creſcens, & iuxta Pythagoræos primus numerus vitæ, fœcundus, & vitalis, quia partes illius 1. 2. 3. 4. & 6. ſexdecim conflant, & ſimul ductæ 144. duodenarij quadratum pariunt: vnde ſuis ſeipſum partibus quadrato ſuperat, ijſdémque quadratum efficit: nam 4. eſt quadratus ſecundus: 16. verò quartus, quòd ſi duodenario iungas 16. quod ſuis partibus efficit, perfectorum numerorum ſecundus, vt pote 28. producitur, quem numerum Aſtronomi lunæ tribuunt; At de duodenario hactenus, déque 2. problematum præcedentium cautione ſatis, vt exiſtimo, diximus; itaque ad ſequentia procedendum eſt.

PROBLEMA CCV.

Capvt XXVIII. *Verſiculus 2.*

CVR Iahacob fugiens à facie Heſau, iubente patre profectus eſt in Pa- Geneſ.28.
dam Aram? An quia recedens à natali ſolo, nullum tutiorem acceſ-
ſum, quàm ad regionem maternam habere potuit? An quia ſymbo-
1. lum habebat regio illa Aramæa cum Hebræorum familia? Nàm ex nullo
loco poterant ducere vxores magis ipſis conformes: Hinc tres illi patres,
2. Abraham videlicet, Izahac, & Iahacob inde ſuſceperunt vxores. Et id
quoúſque familia illa in vtróque ſexu aucta fuit, adeout ex ipſa vxores
ſuſcipi poſſent. An Iahacob iuſſu patris illuc ſe contulit, vt nullo pacto coniugem Chana- Ibid.
3. næam ſuſciperet, ſicut præceperat ei pater?

PROBLEMA CCVI.

QVÆNAM fuit ſcala, quam Iahacob vidit in Betel, & cur in ſomnis Geneſ.28.
1. eam vidit? An fuit ſcala illa, de qua propheta canit, Aſcenſiones in corde Pſal.83.
Verſiculus 12. ſuo diſpoſuit? Quæ ſcala forſitan erat triginta duorum graduum, quot
reddit in numero nomen cordis apud Hebræos, quod dicitur לב leb, ſicut
aliqui opinantur. An ſunt triginta duæ ſemitæ, de quibus Abraham in
2. libro de formatione? An ſunt 32. gradus virtutis, de quibus ſubinfert
idem vates: ibunt de virtute in virtutem? Nam totus ille pſalmus in-
3. cipiens, Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum (vt opinor) pertractat de myſterijs peractis in Betel, quæ domus, aut tabernaculum Dei dicitur. Illuc enim aſcendunt Angeli, vel pulchræ formæ (vt Ioſephus inquit) portantes opera, & orationes noſtras coram Deo (vt de ſeipſo Raphaël Tobiæ perhibuit) & inde deſcendunt, ad nos diuinos Tob.12. influxus deferentes: hanc autem ſcalam Iahacob vidit in ſomno, quod eſt primus gradus viſionis, veluti non adhuc bene initiatus in reuelationibus diuinis.

PROBLEMA CCVII.

CVR paciſci voluit Iahacob cum Deo dicens: ſi fuerit Dominus mecum, & Geneſ.28.
1. quæ ſequuntur? An fortè, quia voluit inde ſe conſtituere mercenarium ſer-
2. uum Dei? Sed non quippe commendabilis fuiſſet huiuſmodi ſeruitus. An
Verſiculus 20. igitur, quia non ignorabat regulam à Deo Moyſi poſtea datam? Quòd videlicet ſi euenerit, quòd quiſpiam in nomine Domini locutus fuerit, Dominus ei locutus eſt, & è conuerſo? Hinc (cùm omnium viſionum incertiſſima ſit illa, quæ per ſomnium habetur) dixit Iahacob: Habebo te (quicumque es, qui mihi locutus es) in Deum, ſi euenerit, quæ promiſiſti. Propterea reuertens, cùm iam omnia comprobaſſet, obtulit Deo ſacrificium in Betel. Geneſ.35.

Scalę Iacobi varię explicationes.

PRÆCLARA fuit illa ſcalæ viſio, quam Dominus oſtendit Iacob Meſopotamiam profecturo: quam viſionem plurimi diuerſimodè interpretantur, per eam ſiquidem Hebræi ſignificant
1. Scala catena aurea. omnia hæc inferiora dependere à ſuperioribus, ad quod fortaſſis alludebat Homerus dum Iliad.8. ait Iouem cœlitus demiſiſſe catenam auream in terras, per quam nos ipſos, agendo, & contemplando, ad cœlos

Scala Chriſtus.

ad cœlos vſque leuemus. Alij ſecundo per ſcalam Chriſtum intelligunt, cuius diuinitas humanitati
2. coniungebatur, qui ad nos deſcendit, per quem & aſcendimus ad Deum Patrem, iuxta id Iohan. 3: Nemo enim venire poteſt ad patrem, niſi per Chriſtum, cùm ipſe dicat: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo:* Angelos verò deſcendentes, & aſcendentes Hebræi dicunt ſignificare Angelos, qui prouincijs, & populis deputati ſunt, vt illi aſcenderent, quibus terra Chanaan curæ erat, deſcenderent verò, qui Meſopotamiæ præficiebantur; nam illi à terra Chanaan Iacob deduxerãt, hi verò ad Meſopotamiam ducebant, vnde ad Hebr. 1. dicuntur λειτουργικὰ πνεύματα, *adminiſtratorij Spiritus miſſi in prædeſtinatorum ſalutem.* Ita ferè Diodorus Tarſenſis. In quo maximè diuina bonitas relucet, quæ pro tribus, quibus Iacob affligi poterat, nam parentes, patriámque reliquerat, fratríque exoſus erat, ſeipſam, ſcalam & Angelos ei exhibuit.

3. Scala crux Chriſti.

Tertio ſcala crucem Chriſti ſignificat apud D. Auguſt. ſerm. 79. de tempore: & quidem ſcalæ fuerunt genus tormentorum, vnde & Gemoniæ ſcalæ dicuntur: ſcalæ incumbens Chriſtus eſt in cruce pendens inquit D. Auguſt. quæ explicatio allegorica eſt.

4. Scala anima.

Quarto ſcala ſignificat animam inquit Philo de ſomnijs, cuius baſis ſit ſenſus, & appetitus terrenorum, caput verò mẽs puriſſima per gradus contemplationis ad Deũ aſcendẽs, ſicut appetitus per gradus cupiditatis ad terrena deſcendit, ac proinde non baſis, ſed caput intuendum eſt, vt ad illud
5. aſcendamus, id verò ſymbolicum eſt. Rurſus vitæ huius incõſtantiam ſcala, eodem Philone teſte, deſignat, in qua alij ex imo aſcẽdunt in ſummum, alij è ſummo deijciuntur in imum, prout Deus voluerit, qui ſcalam regit, quomodo Pittacus apud Ælian. l. 2. ſcalam fortunæ, viciſſitudiníſque imaginem fecit, quod vulgò fortunæ rotam vocant, in qua fœlices aſcendant, deſcendant infœlices.

Scala vitæ huius incõſtantia, ſeu rota fortunæ.

6. Scala religioſi ordines.

Sexto religioſos ordines ſignificat ſcala, cuius latera ſint humilitas, & aſperitas vitæ; gradus verò tam variæ regulæ, quàm diuerſi virtutum actus, vt D. Bernard. innuit in illud: *Ecce nos reliquimus omnia,* ſic enim B. Romualdus in ſcala Monachos aſcendentes, deſcendentéſque vidit; ſic Prior Brixienſis eadem hora, quâ S. Dominicus obijt, vidit 2. ſcalas quas Chriſtus, atque Virgo tenebant, quas, dum in fine S. Dominicus fuit, in cœlum retraxerunt, quod eſt partim tropologicum, partim allegoricum.

7. Septimo ſignificantur varij chori Sanctorum, & Angelorum, qui deſcendunt, cùm ad hominum cuſtodiam mittuntur; aſcendunt, quando redeunt, & iuſtorum animas in huius ſcalæ gradibus collocant, vt ſedes Angelorum vacuæ reparentur, quod eſt anagogicum, vnde ſanctis quibuſdam, vt B. Stephano; 40. Martyribus: S. Nicolao Tolentino: S. Franciſco: S. Vitali, alijſque plurimis corona, locúſque in cœlis oſtenſa ſunt, vt in eorum vitis legere eſt.

8. Tertulian. Scala, via iuſtorum & ſtudiũ perfectionis.

Octauo viam monſtrat, inquit Tertul. 3. contra Marcion. in fine, qua iuſti aſcenſiones in corde ſuo diſponunt; tunc autem 2. ſcalæ latera, ſunt fides, & opera; vel Dei verbum, & ſacramenta; vel agere, & pati; gradus ſunt incipientium, proficientium, atque perfectorum; Angeli aſcendentes vitam contemplatiuam, deſcẽdentes actiuam oſtendunt teſte D. Thom. 22. q. 181. art. vlt. id autem tropologicum eſt; adde quod habet D. Baſil. in Pſal. 1. nempe ſcalam eſſe aſcenſum ad perfectionem; cuius culmen ſit charitas; gradus verò 10. quorum primus ſit abdicare terrena, cùm Apoſtolis, *Ecce nos reliquimus omnia*; ſecundus, eadem obliuiſci Pſal. 44. *& obliuiſcere populum tuum:* tertius eadem, vt ſtercora auerſari cũ Apoſtolo, vt Chriſtum lucrifaciamus: quartus parentum, cognatorúmque amorem exuere: quintus odiſſe animam ſuam propter Chriſtum, vt ne de vita quidem ſua quicquam affectus ſit omnino, etiamſi mortis habeat reſponſum: ſextus abnegare ſuum iudicium, & voluntatem: ſeptimus mortificare ſuas cupiditates, & abnegare ſemetipſum: octauus ſequi Chriſtũ, & diſcere ab eo quia mitis eſt, & humilis corde: nonus amare conſtanter, & efficaciter proximos, etiam inimicos. Denique Deo adhærere, & vnus fieri ſpiritus cum eo. Ita Pererius.

D. Thomas D. Baſilius. Gradus 10. Scalæ huius qui ſint.

9. Scala ſunt duo Teſtamenta.

Nono ſcala 2. teſtamenta ſignificat, quæ per quoſdam obſeruantiæ gradus hominem à terrenis perducant ad Deum, & cœleſtia; Angeli deſcendentes ſunt qui à ſpiritualibus ad ſæcularia redeũt, aſcendentes verò, qui quærunt ea, quæ in cœlis ſunt, non quæ ſuper terram; nemo verò hîc ſtare dicitur, quia inter profectum, & defectum inquit Bernard. Epiſt. 253. nihil eſt medium; Si non proficis, deficis, quapropter, quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare. D. Bernard.

10. Scala an ſit tranſanimatio.

Decimo ſignificat μετεμψύχωσιν, inquit Origen. apud D. Hieronym. Epiſt. 161. quaſi anima cuiúſque hominis ante corpus extiterit, & dum peccauit in corpora deſcenderit, donec per illa tanquam per pœnitentiæ gradus in cœlum reuertatur: ſed hæc ſunt Pythagoræ deliria penitus reijcienda.

11. Scala verbi incarnatio.

Vndecimo per ſcalam verbi diuini incarnatio repræſentatur, nempe generatio Chriſti per diuerſos generationis gradus è Iacob deſcenſuri, quorum vltimus eſſet Ioſeph cum beata Virgine, primus autem Adamus: eius brachia ſunt miſericordia, & veritas; tangit cœlum & terram, ſicut verbum incarnatum, quo ima ſummis, terreniſque cœleſtia coniuncta ſunt: diuerſi gradus ſunt, humilitas, paupertas, charitas, obedientia, cæteræque Chriſti virtutes, vel Angeli Patriarcharum, deſideria, & orationes in cœlum ferentes.

12. Scala Dei prouidentia.

Denique verus, & genuinus literæ ſenſus eſt magna Dei prouidentia, qui mœſtos conſolatur, eiſque opem tribuit iuxta id; *Cum ipſo ſum in tribulatione* Pſalm. 90. Varij gradus, ſunt modi prouidentiæ, quibus omnia Deus ſuauiter diſponit, omniáque fortiter attingit; voluit ergo Deus in ſomnis oſtendere Iacob, quàm libenter afflictis ſuccurreret, & quomodo ſpes noſtras in eo collocare debeamus.

Cùm autem Venetus ad 32. ſemitas Abrahæ redeat, de quibus iam egerat 3. problemate, eiuſque libri toties meminerit, operæpretium me facturum exiſtimaui, ſi paulò exactiùs librũ illum, quem de creatione ſeu, Sepher Iezira vocant, examinemus; quod melius fieri poſſe non videtur, quàm ſi totum, vtpote 4. breuibus capitulis contentum afferamus, cùm toties in his problematibus de eo agatur. Sic ergo incipit Liber Iezira, quem ſucceſſiuè filiis ſuis tradidiſſe volunt Abrahamum. At rebus Iſraël iam inclinatis, ne deficeret per ſapientes Ieruſalem, arcanis, & profundiſſimis ſenſibus literis commendatum fuiſſe: ſic ergo ſeſe habet.

CAPITVLVM PRIMVM.

Tres libri.

VIGINTA duabus vijs ſcientiæ, maximè mirabilibus, & occultis יה Deus צבאות ſculpſit nomen ſuum. Creauit mundum tribus libris, videlicet ספר, ספור, ספיר, ideſt *ſcriptis*, *numeratis*, *pronuntiatis*. Decem Sephiroth, ideſt decem proprietates, præter id quod eſt ineffabile, & viginti duas literas. Fundamenta ſunt tres matres, ſeptem duplices, duodecim ſimplices. Decem Sephiroth, præter ineffabile: numerus 10. digitorum, videlicet 5. contra 5. & pactum ſuperlatiuè vnius intentum in medio. In interpretatione linguæ, & circuncisionis: Decem Sephiroth, abſque ineffabili. Decem, & non 9. Decem, & non vndecim. Intellige in ſcientia, & ſapias in intelligentia; experire in illis & inueſtiga illa, & nota, & cogita, & imaginare, & ſtatuerem in integritate ſua, & fac ſedere Creatorem in throno ſuo. Decem Sephiroth præter ineffabile, proprietates illorum 10. infinitæ. Profundum primum: profundum vltimum: profundum bonum: profundum malum: profundum ſuperius: profundum inferius: profundum orientale: profundum occidentale: profundum ſeptentrionale: profundum meridionale, & Deus ſuperlatiuè vnus; Rex fidelis ex throno ſuo dominatur omnibus in ſæcula ſæculorum. Decem Sephiroth præter ineffabile, quorum intuitus ſicut flammæ ſcintillantes; & finis illorum eſt infinitus, verbiſque Dei in illa egredientibus, & reuertentibus dictum diuinum, vt turbo ſtatim ſequuntur, & ante ipſius thronum inclinantur. Decem Sephiroth præter ineffabile. Fige finem eorum in principio ſicut flammam prunæ coniunctam, quia Dominus eſt ſuperlatiuè vnus; & non tenet ſecundum. Et ante vnum quid potes numerare? Decem Sephiroth præter ineffabile. Compeſce labia, & meditationem; & ſi cor tuum labitur, redi ad locum. Ideo ſcriptum eſt: Egredere, & regredere, & propterea pactum præciſum eſt: Decem Sephiroth præter ineffabile.

Sephiroth decem.

Varia profunda.

Vnum. Eſt Spiritus Dei viui benedictum, & pluſquam benedictum nomen eius viuentis Dei ſæculi: Vox ſpiritus, & verbum, & hic eſt Spiritusſanctus. *Duo*. Et ſpiritus ex ſpiritu. Et ſculpſit, & incidit cum illo 22. literas. Tres matres, 7. duplices, & 12. ſimplices, & quælibet illarum eſt ſpiritus. *Tres*. A qua de ſpiritu & ſculpſit & incidit cum illis inane, & vacuum, & cœnum, & lutum, & fecit ſicut cumulum frumenti, & ſtatuam rectam, vt murum, & interſecuit ſicut iuncturas trabium. *Quatuor*. Ignis ex aqua: & cum illis ſculpſit thronum honoris Ophanim, Seraphim animalia Sancta, & Angelos miniſtrantes, & ex Dominatione eorum fundauit atrium ſuũ, vt ait textus: Qui facit Angelos ſuos, ſpiritus, miniſtros ſuos, ignem coruſcantem. *Quinque*. Sigillauit ſuperius, & ſuſpexit: ſigillauit cum יהו. *Sex*. Sigillauit inferius, & deſpexit: & ſigillauit cum יהו. *Septem*. Sigillauit oriens, & anteſpexit, & ſigillauit cum יהו. *Octo*. Sigillauit occidens, & retroſpexit, & ſigillauit cum יהו. *Nouem*. Sigillauit meridiem, reſpexit à dextra, & ſigillauit cum יהו. *Decem*. Signauit ſeptentrionem, & reſpexit à ſiniſtra, & ſigillauit cum יהו. Hæc ſunt decem ineffabilia ſpiritus Dei viui, aër, aqua, ignis, ſurſum, deorſum, oriens, occidens, ſeptentrio, & meridies.

יה

ספור
ספיר
ספר

CAPITVLVM SECVNDVM.

VIGINTI duæ literæ, fundamenta, tres matres; ſeptem duplices, 12. ſimplices; tres matres, Emes, ideſt, aër, aqua, & ignis. A qua quieta, ignis ſibilans, aër ſpiritus, hoc פה, ideſt, examinis medius. Viginti duas literas ſculpſit, ponderauit, tranſmutauit, compoſuit, & creauit cum illis omnem animam creatam, & creandam. Viginti duæ literæ ſunt ſculptæ in voce, inciſæ in ſpiritu, collocatæ in prolatione, in 5. locis. In gutture, in palatio, in lingua, in dentibus, in labijs. Viginti duæ literæ, fundamenta, collocatæ in ſphæra cum ianuis ducentis triginta, & vna. Sphæra directè rotata, bonum ſignificat. Retrograda è conuerſo, ponderauit ſcilicet Aleph cum omnibus, & omnia cum Aleph, & ſic de ſingulis. Ita rotando ſingulas per omnes, reſultant ianuæ 23. Et omnia idiomata, & omnis creatura ex illis, & inane de inani, & de nihilo fecit aliquid: & excidit columnas ingentes in concauo orbis, & aëre non comprehenſibili, & ſignum huius rei, viginti duo Iotalia, & vnum corpus.

CAPITVLVM

CAPITVLVM TERTIVM.

RES Matres Emes אמש, fundamenta illorum: Statera procurationis, & ſtatera contradictionis, & lingua hoc פה examinis ſtat media. Tres matres Emes. Secretum magnum, maximè mirabile, & occultiſſimum, ſex annulis ſigillatum, & ex eis exeunt ignis, aqua, & aër, quæ diuiduntur in mares & fœminas. Tres matres Emes, & ex illis tres patres, cum his omnia creata ſunt. Tres matres Emes in mundo, aër, aqua, & ignis. Principio cœli ex igne creati ſunt. Terra ex aqua, & aër creatus eſt ex ſpiritu, qui ſtat medius. Tres matres Emes in anno calidũ, frigidum, & temperatum. Calidum ex igne eſt creatum, frigidum ex aqua, & temperatum ex ſpiritu, medium in illis. Tres matres Emes in homine, caput, venter, corpus. Caput ex igne creatum, venter ex aqua, corpus horum medium ex ſpiritu. Tres matres Emes. Sculpſit, incidit, compoſuit, & cùm creatæ ſunt tres matres in mundo: Tres matres in anno, tres matres in homine, mares, & fœminæ. Regnare fecit Aleph in ſpiritu, & deuinxit nodo, & aliam cum alia compoſuit, & cum illis ſigillauit aërem in mundo, temperiem in anno & corpus in homine, mares, & fœminas. Mares in Emes, ideſt in aëre, aqua & igne. Fœminas in Aſam, ideſt in aëre, igne, & aqua. Fecit regnare Mem in aqua, & deuinxit nodo, & aliam cum alia compoſuit, & cum illis ſigillauit terram in mundo, frigidum in anno, fructum ventris in homine, mares, & fœminas. Fecit regnare ש in igne, & deuinxit nodo, & aliam cum alia compoſuit, & ſigillauit cum illis cœlos in mundo. Calidum in anno, & caput in homine, mares, & fœminas.

CAPITVLVM QVARTVM.

SEPTEM duplices בגדכפרת: Syllabarum fundamenta, vita, pax, ſcientia, diuitiæ, gratia, ſemen, dominatio. Duplices quia conuertuntur in oppoſita, loco vitæ eſt mors, pacis bellum, ſcientiæ ignorantia, diuitiarum paupertas, gratiæ abominatio, ſeminis ſterilitas, dominationis ſeruitus. Septem duplices contra ſeptem extrema, oriens, occidens, ſurſum, deorſum, ſeptentrio, meridies. Et ſanctum palatium eſt intentum in medio, & ſuſtinet omnia. Septem duplices ſculpſit, incidit, compoſuit, & creauit cum illis ſtellas in mundo. Dies in anno, & portas in homine, & ex illis ſculpſit 7. cœlos, 7. climata, 7. animalia, ab opere vacantia. Et ideo elegit ſeptimum ſub cœlo. Duæ petræ ædificant duas domos. Tres ædificant ſex. Quatuor 727. Quinque 1040. Et hinc progreditur numerus inenarrabilis, & inauditus, & hæ ſunt ſtellæ in mundo, Sol, Venus, Mercurius, Luna, Saturnus, Iupiter, Mars: Et hæ ſunt dies in anno, 7. dies creationis, & hæ ſunt portæ in homine, videlicet duo oculi, duæ aures, duæ nares, & os.

Fũdamenta Syllabarũ.

CAPITVLVM QVINTVM.

DVODECIM ſimplices הזחטילנסעצק. Fundamenta illarum, viſus, auditus, odoratus, locutio, comeſtio, coitus, opus, ambulatio, ira, riſus, cogitatio, ſomnus. Menſura illarum 12. termini orbis, terminus oriens ſeptentrionalis, terminus oriens meridionalis, terminus oriens ſuperior, terminus oriens inferior, terminus occidens ſeptentrionalis, terminus occidens meridionalis, terminus occidens ſuperior, terminus occidens inferior, terminus meridionalis ſuperior, & inferior, terminus ſeptentrionalis ſuperior & inferior, &c. Iſti propagantur, & progrediuntur in ſæcula ſæculorum, & ſunt orbis brachia.

Fũdamenta ſimpliciũ.

Duodecim ſimplices ſculpſit, incidit, compoſuit, ponderauit, & tranſmutauit, & creauit cum illis 12. ſigna in orbe: videlicet Arietem, Taurum &c. & 12. menſes in anno: Et hæ ſunt 12. gubernatrices hominis: videlicet manus dextra, & ſiniſtra, pes vterque, renes, iecur, fel, ſplen, colon, coagulum, & ventriculus. Tres matres, 7. duplices, 12. ſimplices. Sunt 22. literæ, cum quibus יהוה tetragrammaton, ideſt Deus noſter Zabaoth, Deus Iſraël ſublimis, excelſus; ſedens in ſæcula, & ſanctum nomen eius creauit 3. patres, & deſcendentes ex illis, & 7. cœlos cum exercitibus ſuis & 12. terminos orbis. Probatio horum, fidele teſtimonium, orbis, annus, & homo. Aſtrinxit teſtimonia, & ſculpſit 3. 7. & 12. Et 12. ſigna, & duces in tęli, & ſphæra, & corde. Tres, ignẽ, aquam & aërem: ignem ſuperiùs, aquã inferiùs, & aërem

in medio. Cuius signum est, quòd aër est particeps vtriusque. Teli, id est intelligentia in mundo, sphæra in anno, & cor in homine. Tres, ignis, aqua, & aër, ignis superior, aqua inferior, aër in medio. Et signum horum est, quòd aër particeps vtriusque. Teli in orbe, sicut rex in solio suo; sphæra in anno, sicut rex in ciuitate. Cor in homine, sicut rex in bello: Et his oppositæ fecit Deus, bonum, & malum, bonum de bono, & malum de malo. Bonum probat malum, & malum bonum. Bonum reseruatur iustis, malum impijs: Et tribus vnum stat separatum. Septem partibus insunt duo ternaria, in quorum medio stat vnum. Duodecim stant in bello. Tres amici, tres inimici, tres viui viuificant, tres occidunt, & Deus rex fidelis ex suæ sanctitatis atrio dominatur omnibus. Vnus super tres, & tres super 7. & 7. super 12. & omnes sunt stipati, alius cum alio postquàm Abraham pater noster vidit, respexit, inuestigauit, intellexit, sculpsit, incidit, & composuit, statim adeptus est creaturam in manibus. Tunc illi se aperuit omnium Dominus, fecitque federe, & osculatus est caput illius, & ex nomine suo nuncupans amicum suum appellauit, & cum illo, & semine eius pepigit fœdus in sæculũ, vt scriptum est: Credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Pepigit inter digitos pedum fœdus, circuncisionem, & pepigit inter digitos manuum suarum fœdus linguæ. Ligauit 22. literas in lingua sua, & Deus aperuit secretum suum; Tranat per aquam, accendit in igne, grandine signauit in aëre. Disposuit cum 7. & gubernauit cum 12.

HACTENVS liber de creatione dictus Ietzira, qui totus ænigmaticus esse videtur: quem si literaliter prout verba sonant accipere velimus, quàm multa sint absurda, quàm ridicula, quàm stulta, nemo est, qui non videat: nec certè potest ita explicari, quin falsitatis conuincatur, vt cùm tertio Capitulo ait terram ex aqua creatam esse, cùm ex Genesi manifestum sit terram omnium primam creatam esse, aut saltem cum aquis, & cœlis, vt satis per se constat: cùm enim terra semper aquis subsiderit, quomodo potuit aqua præcedere, ex qua postmodum terra fieret?

ANIMADVERSIONES IN LIBRVM IETZIRA, SEV DE CREATIONE MVNDI ABRAHÆ TRIBVTVM.

IMPRIMIS autem statuendum est librum hunc non esse Patriarchæ Abraham, nec enim isti primores quidquam scripserũt, quod ad nostras manus peruenerit, siquidem illud nulli authores fide digni literis mandarunt. Optimè verò demonstratur librum hunc non esse Abraham, quòd absurda, atque ridicula, tantóque viro indigna contineat, nec enim Cabalisticos libros, mysticè sanctarum Scripturarum instar interpretari, nec vsque ad extremum apicem rimari debemus, sed eos prout sonant intelligere, alioquin vnicuique facillimum erit, quibuscunque verbis licet absurdissimis etiam augustissima mysteria velare. Itaque cùm initio capitis primi Rabinus ille, qui fortè eodem cum Patriarcha nomine dictus est, 32. vias scientiæ maximè mirabiles inculcat, quibus nomen suum Deus sculpserit, trésque libros, quibus mundum crearit, prorsus insanit, cùm vnicam in Deo scientiam, atque voluntatem agnoscant Theologi, quibus mundum producit: & ad summum facilioris intelligentiæ causa scientiam triplicem admittunt, vel potius vnicam affirmantes, eandem triplici nomine vocant, nempe scientiam simplicis intelligentiæ, scientiam futurorum conditionalium, seu mediam, & scientiam visionis, seu practicam: voluntatem autem beneplaciti, & signi communi calculo comprobant. De semitis illis 32. iam dictum est in additione ad tertium problema Veneti. De decem numerationibus, seu ספירות Sephiroth agit Reuchlinus l. 3. vbi refert ex istis 10. & 22. literis, semitarum 32. summam confici; quas si quinquaginta portis intelligentiæ, seu prudentiæ iunxeris, 72. Angelorum seriem comperies, quibus Semhamaphoras, seu nomen Dei expositorium constare perhibetur; putant enim Cabalistæ Mosem sua miracula patrasse istis Angelis auxiliantibus; Vnde R. Ioseph Ben Carnitol ait relictas, traditásque gẽtes in potestatem 70. præfectorum, seu Angelorum: quibus Racanat Gen. 48. septuaginta palmas applicat; adde columnas duas, quibus Angeli 2. præficiebantur. Sed huiuscemodi nugas diutiùs persequi nolo, vt ad meliora pergam. Satis, existimo, hunc librum, & similes me carpsisse iudicabis, si legeris quæstionem, quam de virtute vocum, & nominum institui, in qua latè Cabala refellitur, & exploditur.

Cũm autem diu perquisitos Postelli commentarios in hunc librum tandem aliquando nactus fuerim, quæ sit eius mens paucis aperire libet. Hunc igitur librum, quem Abrahami Patriarchæ esse ait, Patribus Abrahamum præcedentibus reuelatum fuisse putat: ab ipso tamen Abrahamo expositum Isaaco, & per Prophetarum manus posteritati conseruatum: ipsis autem 72. Mosis auditoribus in secundo diuinæ veritatis loco, hoc est in ratione, quæ est posterior authoritate, habitum. Antequam librum Ietzira aggrediatur, epistolam dedicatoriam scribit, in qua falsissimæ, ac pernitiosissimæ doctrinæ semina iacit; in ea siquidem rei cuiuslibet sacræ, atque spiritualis, imo totius mundi, atque religionis præfecturam, administrationem, & imperium Gallico Senatui rationũ, inquit, diuinarum arbitro, concedere videtur. Deinceps vbi paulo aliter librum Abrahæ, quàm à nobis relatus est, conuertit, in prima particula, Bariota, vult librum hunc esse ex tertio genere authoritatis, cùm enim in primo

Cõmentarius Postelli in librum Ietzira, & de eo iudicium.

in primo loco sacra constituat, in secundo Talmud, & Misna, ait Barietoth esse tertio loco ponendum, vt pote scripturam externam, in qua primum locum Sepher Iesirah obtineat; qui per modum rationis omnem Cosmopoëiam exprimat, quam Moses per modum authoritatis docuit. Fidelissimè, inquit, receptus est, & scriptus à R. Iuda authore libri Bithchon, idest spei, qui ait Ieremiæ præceptum esse, vt triennium in eo libro insumeret, adeout virtute illius scientiæ nouum hominem ante se compactum viderit, vt erat in prima intentione, qui in fronte scriptum habebat Deum hominem futurum, eúmque moriturum, cuius finis erat, vt cùm inscripta essent in præstãtissimo mundi puluere 22. alphabeta secundum humani cordis desideria sancta, homines ipsi (qui sunt puluis præstantissimus) viderent, & sentirent in se omnino ipsum nouum hominem transfundi. Vult igitur Postellus librum hunc eò tendere, vt noscamus, quomodo nos Deus creauerit, quomodo humanatus nos in se trãsfundat, sibique tam animo, quàm corpore similes, immortaléque reddat. Verùm præterquam quòd nugas plurimas, & liber, & eius Interpres habet, multos errores continet; nec mirum, cùm ille Postellus etiam in rebus naturalibus facilè lapsus fuerit: quapropter leuissimus ille fuerit, qui eũ de rebus Theologicis verba faciẽtem audierit; insanus omnino, qui sequetur: sed pauca ex eo referamus. Semitas 32. explicat per circulum, vbi supponit Mathematicorum doctrinam de cælorum numero denario, tametsi inconstantissimã, quorum octauum vnico gradu moueatur 106. annorum spatio: deinde circulum cuiuslibet sphæræ, seu maximum ambitum 22. septimas diametri partes continere, itaut quilibet ambitus cœli duas, & viginti partes contineat, quales illius diameter septenas habet, quas 22. partes si 10. sphæris iunxeris, 32. semitæ exurgunt; per quas Deus in inferiora influat, cum totidem vijs ante mundi creationem influere decreuisset. Admiranda profectò secreta, quæ etiam pueruli Platonici geometricis disciplinis imbuti percipiunt, quasi verò Deus hominum inuentis subdatur: sed nec illud vsquequáque verum est, quandoquidem ambitus non continet 22. partes, quales sunt in diametro septenæ, sed minus aliquid, vt latissimè Clauius in sphæra demonstrat.

Quòd autem liber hic sit alicuius Rabini, & non Abrahæ patet ex eo, quòd Psalmum citet: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem flammantem*, quicquid Postellus dicat multos Psalmos ante Dauidem scriptos, & vsitatos fuisse; quis enim ei reuelauit hunc ab Abrahamo, vel alijs patribus vsurpatum fuisse? Finem his facio, vt pote indignis, quibus diutiùs inhæreamus, si Postelli dementiam ex ipsomet subiunxero. Si dixero, inquit, in hanc particulam Iesirah (*Viginti duas literas fundamenti decreuit*) me in cœlo vidisse in ipsis linguæ sanctæ characteribus ab Ezra primùm publicè expositis ea omnia, quæ sunt in rerum natura constituta, vt vidi non explicitè, sed implicitè, vix vllus mihi crediderit. Tamen testis est Deus, & Christus eius, quia non mentior, sed scio certissimè me fuisse non in corpore, sed in animo raptum vsque ad superiorem cœlestium orbium partem, & ibi vidisse ea, quæ si velit homo, licet quidem nunc, sed non posset homini alteri narrare. Non tantùm itaque in mente, & voluntate sunt depicti diuinitus instituti characteres, sed reuera itain se sũt expressi cum suis figuris, quotiescunque voluerit homo beatus visibilibus vt possint oculis cerni. Quod si quis voluerit contendere, aut illi negandum est, quidquid est in sacris, aut fateri actu & non tantùm in mente, aut spiritu Dei esse diuinitus depictos characteres. Siquidem tabulæ diuinæ legislationis digito Dei scriptæ, idest à Spiritu sancto, creato, & actu mobili exaratæ testantur esse inter beatos vsitatum hoc characterum genus. Cùm enim Adamo nomina omnibus rebus impositurò sint reuelata, itaut Chanoch eius amanuensis in ipsis scripserit prophetias suas, cúmque Mosi in lege, & in tabulis sint dati, & cùm Christus illas literas, quas non didicerat, sciuerit (nam nec Græcas, nec Latinas sciebat) certissimum est ab ipso Christo totius naturæ moderatore fuisse ab æterno in superficie terræ cœlestis exaratos, itaut æternæ Dei laudes in illis celebrandæ sint. Quòd si dixerim me eo instauratum esse spiritu, atque immutatum, quo debebat esse primus homo, qui ex traduce natus sit, vt duce hoc ipso spiritu, in quo præsens Adamo aderam, possim ista cognouisse, & ante omnes mortales exposuisse, multo minus fidei mihi sunt daturi, qui superficiei cœlestis sunt expertes. Sed nisi legem naturæ, scripturæ, & gratiæ negabunt, quicunque spiritu Dei esse exaratos sanctos characteres asserent, & sic ex hominum numero meritò tollentur. Decreti itaque sunt, demùm delineati, suisque figuris adumbrati igne diuino in aquis expresso sancti characteres, & tanta virtute in cœlis expressi, vt possit etiam solis figuris aptè depictis in mundo inferiori veritas futurorum haberi, cuius scientiæ adhuc vestigium in Marocho, & multis alijs Ismaëlitarum ciuitatibus seruatur: licet sint admodum deprauatæ, & adulteratæ figuræ sanctæ apud Arabes, & Ismaëlitas, qui sunt 10. tribuum Samaritanarum instauratores adulterini ex notho Ismaële, in hanc notham, & characterem, & legis diuinæ formam sensim diuinitus conducti. Sicut itaque in tabulis lapideis primis ita sunt depicti characteres hi, vt transacto lapide ex vna parte in aliam ferrentur, & miraculosè in aëre medio relinquerent medium litteræ Meim finalis, & Samech, sic opus est, vt ab æterno apud Deum immutabilem fuerint depicti ijdem characteres, vt suo emergerent tempore.

In his omnibus spectare potes magiæ, & inanis Cabalæ descripta fundamenta, quæ magna ad Atheismum via esse possint.

Historiæ Naturales, Christianæ, Ismaëliticæ, Iudaicæ hoc confirmant, quòd Moses cœlitus characteres acceperit. quare sub Deo immutabili opus est ab æterno fuisse delineatos, cùm ante Mosem, & Scripturæ, & nomina scripta fuissent in labio vno Sancto, & Hebraico: quòd si quis contenderet fuisse Chaldaica verba, ne litigando amittatur veritas, sat fuerit obtinuisse, quòd quicquid superest in Chaldaica lingua scriptum, illud est eodem sancto charactere exaratum. Sic verò in aëre populus videbat voces. Quia sicut elementa omnium prolationum sine confusione in medio aëre ad audientium aures feruntur, sic in aëre characteres igniti in sacrosancta legislatione non tantùm audiret voces, sed videret instar lampadum accensarum super mentem, vbi ductu Angelorum, sic formabantur instar fulgetrorum, sicut ab æterno Deus per spiritum suum Deiformem illos depinxerat. Propterea absque doctrina vlla erant depicti in mente, Spiritu, & animo Christi, ita vt sciret, quos non didicerat characteres, & grammaticos sermones scripturæ pridẽ ordinatæ, & depictæ ab eodem spiritu. Hactenus Postellus Barentonius.

Vel librarius erraut, vel Postellus, quia hic inexplicabilis est. Nam legendum esset, characteres &c. videbantur &c. & delendæ dictiones illæ, *nõ tantùm audiret voces.*

Insignis Postelli impudentia atque dementia ex eius verbis clarissimè apparet.

QVÆNAM IN ILLIS REPREHENDENDA, ET DE GVILELMO POSTELLO IVDICIVM.

MIROR hominis insaniam, qui Pauli alterius instar se ad tertium vsque cœlum raptum esse nobis persuadere nititur, tametsi neque suasurus sit se catholicum fuisse; & quidem vt libenter fatear, nescio quos inter Postellum referre debeam, etenim si Atheum dixero, refragare videntur illi libri, quos de concordia orbis appellauit, cùm in primo Deum esse, & animæ immortalitatem astruat; si putaris hæreticum, non video cui sectæ illum ascribas, quandoquidem minimè satis aperit, quibus faueat, nisi quædam alia opera scripserit, in quibus suæ hæresis argumenta maiora tribuat. Si catholicum à vero longissimè aberras, nec enim vllus Christianus sibi fingit aliquem senatum, cui omnia parere debeant, quin potius omnis senatus Ecclesiæ catholicæ morem gerere, & obsequium præstare debet.

Apagesis religionis nouæ figule, qui Christi iugum subire non vis, qui nescio quos characteres in Deo, in te, in cœlis, in omnibus fingis, & refingis, quibus perceptis vnusquisque omnia scire possit, vt fortè periculum diuinę sciętiæ imminеat, ne eam exhauriamus. Ergo tu nouus es Adam, imo veteris putida soboles, qui ob quasdam peregrinationes à te peractas, quibus nequidē obolo sapientior factus es, vis mundus credat te nouis terris nouum hominem euasisse. At oculatis nunquam impones: sciunt omnes te nouarū regionum prospectu, & peragratione nouos stultitiæ modos adinuenisse; nec scio vnde tantum cerebri malum, nisi fortè quia cùm esses Europæus, nec orientalibus caloribus sustinendis aptus, quod cerebelli reliquum erat, absumptum est. Itaque nouis speciebus malè formatis, vel antiquis variè confusis facillimum fuit, vt stultitiæ segetem amplissimam in tuis libris proderes, & Galliæ funderes. Nulli sunt ergo characteres, quos fingis, nec vllus in cœlo, vel in se legere potest, quod in dies librorum discimus lectione. Quapropter & liber Ietzirah quatenus nostris veritatibus aduersatur, & tui raptus, characteres, & cæteræ næniæ penitus explodendæ sunt. Nec obstat, quòd aliqui catholici te aliquo modo tueantur, inter quos Florimundum à Raymundo legimus, si quidem fieri nō potest, vt opera tua, quæ vidi, nec etiam pauca, quæ hîc ex professo attuli ex commentario tuo in Ietzira legerint, quin statim atque te non tantùm hæreseos, sed impietatis omnimodæ, sed Atheismi insimulent, nisi benignioribus verbis te malè sanum, & stultitia insanabili laborantem dicere malint. De tua Ioanna taceo, quæ diuinitate potiri fortè potuisset, si per alium, quàm per te non stetisset. Verùm ne pluribus mortuis insultemus, vtinam posteri eius exemplo sapiant, & vbi diuersarum circa religionem opinionum vento quassati fuerint, ad veram cynosuram respiciant, morúsque suos, & tempestates ad petram, qui est Christus allidant. Iam verò ad alia problemata pergamus; Si quidem omnia, quæ retuli, per se satis refelluntur.

PROBLEMA CCVIII.

1. 2. CAPVT XXIX. *Versiculus 9.*

VR Iahacob inuenit Rachelem ad fontem? An id fuit casu, vt textus innuere videtur? An (vt altiùs conscendamus) quia Iahacob inuenire debuit ad fontem aquarum viuentium Rachelem, quæ ouem significat; & est mater omnium ouium, in dextra summi Iudicis reponendarum? Nec enim alibi reperiri debuit mater filiorum vitæ, quàm apud fontem vitæ. Quæ quidem mater, aut ouis est, aut vita contemplatiua (vt aiunt) vel illa mater filiorum exultans, de qua secretiores Theologi fusiùs pertractant. Ob cuius connubium tam ardenter seruiuit Iahacob non voluptate carnis allectus, vt nonnulli malè opinantur. Hæc est enim illa sponsa, de qua tot tantáque dicuntur in canticis, vt ipsorum declaratio volumen ingens exigeret. Gen. 29.

PROBLEMA CCIX.

1. *Versiculus 10.*

VEM lapidem Iahacob amouit à puteo, & quomodo? Nonne (vt sacramenta expeditè reseremus) lapis iste est cor perseuerantis in malo? iuxta illud Iob: Indurabitur cor eius sicut lapis. Vnde in Ezechiele dicitur, Auferam à vobis cor lapideum. Quod quidem cor sic induratum impedit, ne hauriri possint aquæ vitæ. Quemadmodum erat ante hanc familiam, cuius gratia amotus fuit lapis, & data ei aqua sapientiæ legalis, cultus diuini, & multiplicium gratiarum. Quam quidem aquam Christus obtulit, dicens, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Et quòd huiusmodi lapis amotus fuerit à Iahacob, ipse Christus apertè innuit, dicens, Non sum missus nisi ad oues, quę perierunt domus Israël. Nam Iahacob, appellatus est Israël. Amouit autē ipse Iahacob hunc lapidem, liquefaciendo, iuxta illud Prophetæ: Mittit chrystallum suam, sicut buccellas. Gen. 29. Iob. 4. Ezech. 36. Ioan. 7. Math. 15.

SCIO

Rachel Ecclesiam, & Virginem. & animam, & virtutē, & gratiam, atque gloriam referre potest, sicut Iacob Christum. Quare putei lapide aduoluto clauderentur.

SCIO Rachelem repræsentare posse Ecclesiam, & sicut Iacob verum Ecclesiæ sponsum Christum Dominum refert, ita etiam Virgo Virginum à Rachele præsignata fuit, quæ si voluisset Venetus, nec illis verborum ambagibus, quæ Cabalisticas nugas insinuare videntur, sed alijs vsurpari solitis vsus fuisset, sensus ille allegoricus verus esset: Amplectitur etiam in 209. problem. mysticum sensum, qui non ita reijci debeat, si per Iacob Christum intelligamus: hic enim est, qui tollit peccata mundi, ac proinde chrystallum, seu duritiem cordis nostri emollit, atque dissoluit; sensus autem literalis retinendus est, verè siquidem Iacob lapidem à puteo amouit; propterea namque putei claudebantur, ne quilibet pro suo arbitratu hauriret; regio siquidem aquis destituta non multos habuit fontes, aut puteos; vt ergo aquarum fieret æqua distributio, condicta erat hora in meridie, ad quam omnes pastores illius viciniæ ad puteum conuenire deberent, vt omnes simul aquarentur, & ne res mala fide ageretur, aduoluebatur lapis tanti ponderis; vt neque ab vno, aut altero moueri posset: nonnulli tamen Hebræorum scribunt id propterea peractum fuisse, ne quid immundum decideret in aquas, quod tamen leui operculo, vt apud nos assolet, caueri potuisset. Nec mysterio carere putant, quòd Isaac, Iacob, & Moses ad puteos vxores inuenerint, imo allegorias comminiscentes faciunt puteum templum Domini, quasi inde esset hauriendus spiritus, & gratia, qua Ecclesia, vel Synagoga Deo copularetur. Alij volunt montem Sinai referri per istos puteos, quòd ex eo loco lex hausta sit à populo. Nos verò illis sua relinquentes, quæ suspicione non carent erroris, sensu literali contenti erimus. Tradunt autem ijdem Hebræi certas quasdam notas extitisse, vnde qui ex stirpe Abrahami erant, cognosci possent, inter quas referunt & corporis robur, quo præditos fuisse aiunt Abrahamitas, qui ex patre Abrahamo prognati erant. Istud robur, inquiunt, etiam exeruit sese in Iacob, quando solus lapidem à fonte remouit, & postea in lucta, quam cum Angelo habuit: quæ si ad mysterium referantur, nempe ad Christum verum Israëlem, cuius fortitudo in istis patribus adumbrata fuit, iucunda sunt; ipse enim est leo de tribu Iudā, qui lapidem mortis ingentem, sub quo omnes premebantur, sua gloriosa resurrectione reuoluit, nósque debellatis Sathana, peccato, morte, & gehenna, in vitam asseruit.

Sensus literalis lapidis à puteo amoti.

Allegoriæ quędam referuntur.

Notæ quibus discreti fuisse dicūtur ij, qui erant ex stirpe Abraham.

PROBLEMA CCX.

1. *Versiculus 17.* 2.

VR Rachel pulchra, Lea verò lippis oculis describitur? An quia pulchra erat mater illa, & sponsa (de qua nuper diximus) vt in Canticis canitur: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te? Nam veniebat à pulchro, à quo omnia pulchra. De quo pulchro sciscitabatur Socrates ab Hippia. Lea autem Aquilonaris, quamuis fœcundior, tamen aliquantisper deformis erat. An quia per Rachelem (vt suprà dictum est) intelligitur vita contemplatiua, cui seruiens pulcher, & suauis est; per Leam verò vita actiua designatur, quæ licet fœcunda sit, lippientes tamen oculos habet? cùm diuina clarè contemplari nequeat, sicut contemplatiua anima, quæ volat ad superna veluti columba. Gen. 29. Cantic. 4. Plato in Hippia minori. Rachel vita contemplatiuam, Lia actiuam designat.

PROBLEMA CCXI.

1. 2. *Versiculus 24.*

VR Iahacob supposita fuit Lea pro Rachele? An vt maior prius nuptui daretur iuxta morem patriæ, vt in textu dicitur? An (vt mysteria tangamus) id fuit in morale documentum eorum, qui Deo seruire cupiunt? Hi enim (iuxta priscorum patrum sanctionem) debent addici priùs vitæ actiuæ per Leam figuratæ, quàm contemplatiuæ per Rachelem designatæ. Ad contemplatiuam verò non debent accedere, nisi bene initiati, in actiua vita videlicet, quæ fœcundior, & vtilior est, vt etiā Theologi conueniunt. Hinc enumerantur sex filij Leæ, Rachelis autē duo tantummodo, quamuis contemplatiua sit iucundior, & (teste Christo) melior. Vnde, & Iahacob Deo plenus eam appetijt, & pro ea seruiuit. Et ideo tristabatur, quia ex illa iucunda ad laboriosam deiectus fuerat; hinc amore illius allectus septem adhuc annis seruiuit. Gen 29. Vita actiua fœcundior, & vtilior. Contemplatiua tamē melior, & iucundior. Luc. 10.

DVBIO procul Rachelis pulchritudo soli Deo accepta referri debet, quæ Ecclesiam allegoricè significat, sicut & animam iusti, aut beatam, ipsamque beatitudinem. Lia verò dicitur oculos lippos, debiles, aut hebetes, vel longos, & ideo deformes habuisse, רכות Racot enim significat molles, delicatos, & teneros, 70. vertunt ἀσθενεῖς infirmos, qui scilicet obiecta vehemētia ferre non possent, sed vbi diu nimis connitebantur, & obiectis inhærebant, ad lachrymas cogebantur, quod ad lippitudinem aliquam pertinere videtur: Iudæi volunt ideo eius oculos corruptos, quòd nimium fleuerit, cùm audiret se futuram esse vxorem Esau, nam primogenita erat Labani, vt ille fuit primogenitus Isaac. Esau verò cùm malè audiret, quòd ferox, parúmque Deo probatus, Leæ videbatur parū commodus maritus. Paraphrasis Chaldaica vertit pulchros; quod enim tenerum est, pulchrum esse solet, & רך rac tenerum significat. Nugantur verò, qui literam א abesse putant, volúntque dici ארכות

De lippitudine Liæ. רכות

רך ארכות

M

Deformitas non est in Deũ referenda, vt in causam efficiẽtem, sed vt in permittentem, & postea ordinantem.

Fœcunditas in Deũ referenda.

Non est spernenda pulchritudo in vxore deligenda, & quare.

aracot, idest longos; hanc autem deformitatem diuinæ prouidẽtiæ adscribere possumus, qua factum est, vt non omnes homines eadem forma, & pulchritudine commendentur, vt eius dona, vbi contingunt, meliùs agnoscantur, siquidem insigniora sunt, cùm rara, & non ita passim omnibus offeruntur. Eadem verò prouidentia Deus fertilitatis dono Lian compensauit, vt quæ minus pulchra est, fœcundior existat. Lia verò quæ lippis erat oculis, Synagogam adumbrat, quæ prima Deo peperit, nec tamen visu, & oculis tantùm valuit, vt quæ modò nos videmus post Christi aduentum, videre valuerit. Sunt autem qui hîc quærant, an pulchritudinis causa vxorẽ ducere liceat: id certè tametsi fieri non debeat ob solam pulchritudinem, si tamẽ quis matrimonio iungi velit, cæteris paribus formosam vxorem deformi anteponere licet, sic enim faciliùs concupiscentiæ medebitur, & maritus ab alienarũ desiderijs faciliùs arcebitur, virtus enim quãuis ex se amabilis sit, gratior est pulchro veniens de corpore; & pulchritudo est Dei donum, adde quòd ex pulchris parentibus saniores liberi procreentur, coniuctúsque suauior esse soleat, tametsi dictum illud Domitiani sæpiùs verum sit; Decore nihil gratius, nihil breuius. In hoc problemate cauendum est, ne formam suam ab aliqua parte aquilonari, nori autem à Deo Liam habuisse putemus, cùm eam Venetus Aquilonarem vocat, quem terminum, & alios similes reprehendimus, ne fortè sub verborum cortice venenum lateat.

In problemate 211. prima ratio causam affert, quam Laban prætexit, nempe legem quãdam municipalem, quæ tametsi iusta esse potuerit, ne maiori natu iniuria fieret, attamen non præcipiebat illa lex, vt aliquis ideò falleretur: Priùs enim de hoc monere debuit, neque vnam pro altera supponere. Ceteræ causæ sunt allegoricæ, pulchræ tamen, & vtiles. Quæ de vita contemplatiua refert, quam actiua excellentiorem, minus tamen fœcundam, & vtilem esse asserit, in proprijs commentarijs discutiemus: de his interim Maximus Tyrius Platonicus serm. 5. & 6. legi potest.

PROBLEMA CCXII.

CAPVT XXX.

1. VR Iahacob duarum sororum connubio non contentus, etiam ancillis se commiscuit? *An hæc carnis petulantia sine mysterio descripta fuit?* An id factum fuit, vt ex 4. mulieribus ex 4. aspectibus cœli prouenientibus susciperet patres, & principes electæ Dei familiæ? Hinc ipsi castrametati sunt ad 4. cœli aspectus iuxta quadruplicem signorum ternariũ. Aspectus enim ipsorum 12. signorum 3. sunt orientales, 3. occidentales, 3. australes, & totidem aquilonares. An (iuxta ea, quæ superiùs diximus) quia vnaquæque vita habet ancillam suam, cum qua oblectari licet? Habet enim contemplatiua diuinarum rerum contemplationem, quæ domina est, & contemplationem rerum creatarum, vt inde ad Deum conscendat, & hæc est ancilla: Habet quoque actiua opus factum in Deum, quod vicem dominæ gerit, & opus factum in proximum propter ipsum Deum, quod ancillæ nomen sortitur.

Gen. 30.

2. *Versicul. 5. & 10. hoc & sequenti problemate referantur.*

Numeror. 2.

3.

PROBLEMA CCXIII.

1. VR Iahacob primò coniungitur cum ancilla Rachelis, postea cum domina? è contrario autem, prius cum Lea, deinde cum ancilla? Nonne id magno sacramento factum est? Nam contemplatiuus non dũ initiatus radios supramundani solis sufferre nequit; hinc vt assuefiat, necesse est priùs contemplari creaturas, vt inde ad Deum conscendat corroborato meliori oculo. In actiuis autem operibus primum obiectum est ipse Deus, propter quem primò, & circa quem vnusquisque operari debet; deinde verò in proximum propter ipsum Deum dirigenda est actio. Et quia actiuus versatur aliquando circa Deum ipsum, aliquando autem circa creaturam agit. Idcirco Iahacob nunc cum domina, nunc cum ancilla ipsius operatur. Priùs autem cum domina, deinceps cum ancilla miscetur.

Gen. 30.

EX problem. 212. post illa verba, *ancillis commiscuit*, Indicis iussu delendum est vsque ad, *an id factum fuit*, exclusiuè, id tamen non asseruit Venetus, vt satis colligitur ex ratione allegorica, quam subiungit de 4. cœli aspectibus, quæ reprehendi potuisset, quandoquidem gratis affirmat 4. illas mulieres ex 4. aspectibus cœli prouenisse: vnde enim obsecro scit illas sub istis aspectibus natas esse? quid per aspectus intelligit? an oppositum, trinum, quadratum, & sextilem? sed quorum planetarum, aut asterismorum? Vereor quidem, ne ad suos influxus regredi velit, quos iam toties reprehendimus.

An licita fuerit Tetragamia Iacob.

Quod autem Tetragamia Iacob licita fuerit, & honesta docent D. Hieronym. Epist. 83. ad Oceanum. D. August. 22. lib. contra Faust. cap. 47. & 3. de doctr. Christ. cap. 12. nec id arguit Iacob hominem voluptuarium, & libidinosum fuisse, vt satis ex ipso textu constat, & asserit Theodoretus quæst. 48. in Genes. Diuus autem Gregorius l. 6. moral. in cap. 5. & homil. 14. in Ezechiel. matrimonium Iacob cum Lia, & Rachele allegoricè de vita contemplatiua, & actiua interpretatur, sicut & Rupert. 7. lib. in Gen. in 31. caput fusissimè; imo & D. Aug. 22. contra Faust. cap. 52. & sequentibus: qui cap. 54. & 55. de mysterio coniugij Iacob cum 2. ancillis, & Rupert. in 39. cap. edisserunt; & quidem argutam allegoriam Venetus habet in fine; nolim autem hîc de aspectibus edisserere, cùm id facturus sim, vbi de astrologia, & alibi quædam de ijs attulerim. In Seder olam habetur Liam, & Rachelem fuisse gemellas, adeo ut in his nuptiis vtrãque

D. Hieron. D. August.

Theodoretus. D. Gregor.

Lia & Rachel à quibusdam gemellę dicte sunt.

De natali Balæ, & eius patre Rethæo.

vtrãque 22. annum ageret. Bala verò vt est in Patriarcharum testamento, fuit Rethæi fratris Deboræ, nutricis Rebeccæ filia, quæ eodem die cum Rachele nata est; Rethæus verò erat Chaldæus de genere Abraham Deum venerans, liber, & nobilis, qui cùm captiuus à Laban emptus esset, dedit ei Euam ancillam suam in vxorem, quæ peperit filium Zelipham cognomine castelli, in quo captus erat. Deinde peperit Balam dicens, nouiter festinans filia mea, quia confestim nata festinauit lac sugere; quæ tantam habent fidem, & authoritatem, quantam author ille testamenti. Hoc autem matrimonium, ad annum mundi 2283. diluuij 627. Iacobi 85. Salianus retulit, ante Christum natum 1770.

Hæc ad annum mundi 2283. idest ante Christum natũ 1770. referuntur.

Quod autem inquirit in probl. 213. clarum responsum habet; & quidem primò stulta est, atque falsa interrogatio, nec enim dubium est, quin Iacob Racheli coniunctus fuerit, antequam ancillam eius Balam agnosceret, cui propterea commixtus est, quod antea Rachel concipere non posset, quæ cùm à Lia genitos fuisse 4. filios cerneret, Ruben, Simeonem, Leui, & Iudam, ipsa verò parere non posset, ancillam suam ei importunè supposuit, ex qua Dan, & Nephtali habuit. Secundò patet veram istius suppositionis causam vnicam Rachelis sterilitatem fuisse, quæ in ancilla substituenda Saram maiorem suam auiam imitata est. Cur autem Rachel hoc excogitarit, hanc Iudæi rationem afferunt, quòd illi in mentem venerit se non habere in suo nomine literam ה ad tetragrammaton pertinentem, & fœcunditatis participationem; idémque Abrahamo contigit, quamdiu enim tale elementum eius nomini diuinitùs non fuit additum, tandiu procul dubio fuit sterilis; vnde illi vulgatum habent prouerbium, Abram non generat, Abraham generat; ideò cum illi in mentem veniret Balam ancillam suam non carere illa litera, voluit eam viro suo tradere: Hebraicè enim dicitur בִּלְהָה bilhah. Quo commento fortè voluerunt ostendere fœcunditatem hominibus contingere per diuinæ efficaciæ, atque virtutis participationem, qua destituti steriles relinquuntur; illámque vim, & facultatem voluerunt exprimi elemento diuini nominis, adeò ut cùm Rachel se hoc dono carere videret, cogitarit ancillam suam illo fortè donatam, quapropter experiri voluit, vtrum per illam resarciri posset, quod sibi minimè datum erat. Quibus fabulis prætermissis, vera causa est, quòd cùm annis quibusdam Rachel maritalem copulam experta esset, frustrà se niti animaduerterit. Literæ verò quas Deus abstulit, vel addidit, non sunt causæ, cur aliquis sit fœcundus, aut sterilis, sed ad summum illam fœcunditatem de nouo concessam significant non ex se, & natura sua, sed ex Dei arbitrio; alioquin literæ nullam ex se vim habere possunt. Quapropter ridenda sunt illa mysteria Iudaïca, quæ literis, aut punctis, & accentibus solùm innixa esse videntur.

An litera ה fœcunditatem afferat aut illã significet.

בלהה

PROBLEMA CCXIV.

1. VR Rachel post omnem Leæ partum peperit filium, & vocauit ipsum Ioseph? Nonne (vt expeditiùs ad sacramenta veniamus) quia (sicut dictum est) perficere primò debet homo opus vitæ actiuæ, & postea contemplatiuæ debet operam nauare? Vocauit autem ipsum Ioseph, idest augmentum ad vitam actiuam, ipsam præsupponens. Hinc melior est portio vitæ contemplatiuæ, quia iam opera, & merita actiuæ præsupponit. Et hoc de eo intelligitur, qui primò actiuæ vitæ, deinde contemplatiuæ inseruit. Nam ille qui in vtrãque simul versatur, non vna tantùm parte, sed tota simul gaudet. Et hæc est perfectior vita, quàm quælibet pars seorsum. Et hanc coluit Christus, & Apostoli, omnésque viri vitam Apostolicam verè prosequentes.

Gen. 30.

Versiculus 24.

Vita contemplatiua melior actiua, sed mixta optima.

PROBLEMA CCXV.

1. QVAS mandragoras inuenit Reuben in campo, à Rachele adeò concupitas? Nonne mandragora frigida conceptui & partui inimicatur? *Inepta est igitur communis* editio, habens pro דודאים dudaim mandragoras, cùm lilia *debuissent* exponere *interpretes*? Lilia enim calida sunt, & conceptui valdè propitia. Eiusmodi quoque *error* habetur in Canticis, vbi dicitur, Mandragoræ dederunt odorem, *cùm non sit proprium mandragoræ odorem reddere*. Lilia itaque adinuenit Reuben, idest visionis, aut videns filius in campo illo, de quo scriptum est: Saturabuntur ligna campi. Pro quo veritas Hebraica habet, Adonai. Idem enim est campus, quod sylua illa supramundana, in qua plantatæ sunt cedri Dei. Quorum quidem liliorum odorem sentiens diuina illa Rachel (vt dictum est) illum sibi congeneum odorem ac florem appetijt.

Gen. 30.

Versiculus 14.

דודאים

Cantic. 7.

Psal. 103.

CIRCA 214. Veneti problema, cuius rationes allegoricæ sunt, aduertendum est maxima Dei prouidentia factum esse, vt Iosephus vltimò nasceretur, vt qui minimus esset omnium, maximus apud Deum haberetur, qui deponit potentes de sede, & exaltat humiles.

Iacob autem dum Labano famularetur, de 4. mulieribus 12. liberos suscepit, 7. de Lia, vnum de Rachele, & 4. de 2. ancillis. Cùm autem Lia septennio liberos 7. pepererit, licet parere cessauerit biennium; quo Zelpha eius ancilla 2. peperit; debuit Lia 2. vno anno concipere; nec enim cum Genebrardo cogimur ad chronici Hebræi septimestres partus recurrere; sed omnia rectè intelli-

De numero filiorũ quos Iacob apud Labanum genuit.

guntur, si Lia denis quibúsque mensibus filium conceperit, vt post Demetrium, Abulensem & Tornielum Salianus supponit, itaut Lia 40. mensium spatio, Ruben, Simeonem, Leui, ac Iudam peperérit, qua per 14. menses à partu cessante, Zelpha, Gad, & Aser peperit; deinde mensibus 30. Lia peperit Issachar, Zabulon, & Dinan; deinde Bala Rachelis ancilla, cùm Lia parere cessasset, concepit, & peperit Dan, & Nephtali; denique ipsa Rachel post sex annos secundi septennij peperit Ioseph, cuius ortum Salianus in annum mundi 2289. retulit, Iacobo interim vitæ suæ annum 91. agente. Iosephum D. Hieronym. ouem interpretatur; dicitur, & augmentum, quòd mater alium sibi addi postulasset, quem Iosephus προσθήκην, seu additamentum vocat, & Philo ait Iosephum à Græcis dici κατὰ πρόσθεσιν; nunc verò Deus habitare fecit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.

4. filij spatio 40 mensiũ geniti.

Anno mundi 2289 Ioseph nascitur, & quid significet.

προσθήκην.

Paraphrastes Hierosolymitanus notauit 4. claues in manum Domini traditas esse, quas nec Angelo, nec Serapho commiserit, nempe clauem pluuiæ iuxta Deuteronom. 28. *Aperiet tibi Dominus thesaurum suum bonum*, secundo clauem cibationis. Psalm. 145. *Aperis manum tuam, &c.* Tertio clauem sepulchrorum. Ezech. 37. *Cùm aperuero sepulchra vestra*, quarto clauem sterilitatis, vt patet hîc, cùm Rachelis recordatus est; sed tot Deo claues meritò tribuere possumus, quot sunt opera, quæ solus efficere potest, quæ prorsus innumera sunt; qualia sunt surdis auditũ, cœcis visum, mutis sermonẽ (vt cætera nunc prætermittam) restituere.

4. claues Domino traditas esse.

Problema verò 115. eo accuratiùs examinandum est, quò magis editioni vulgatæ opponi videtur, quod tametsi Sixtus Senensis lib. 5. annot. 109. D. Hieronymo fateatur opponi, minimè tamen eum reprehendit: imo idem censere videtur, & confirmat ex 7. Cantic. vbi errorem irrepsisse asserit, cùm dicitur; *Mandragoræ dederunt odorem suum*, cùm, inquit, mandragora prorsus inodora sit, vt Rachel nunquam expetere potuerit mandragoras, vt pote frigidissimas, & conceptibus præsertim infestas, imo & sumentibus lethiferas, teste Dioscoride: vnde & ex eo, quòd mandragora homines interimat, dicitur Andraclon, vel Andricelon ab hominis effigie; quod tamen falsum putat Senensis, nisi de mandragora sermo fiat, quæ Circæa dicitur, cuius radix amoribus deseruit, cuius tamen vsus pastoribus capitis grauedinem, & stuporem inducit, teste Dioscoride; imo dragma in potu sumpta de mandragora Morion appellata dementiam inducit. Idem ferè censet Oleaster, qui nescit, vbi Hebræi, & nostri repererint Dudaim significare mandragoras, cùm radix Dad significet mammam Ezech. 23. *confregerunt vbera*, habetur, dadés. Dud verò patruum, idest patris fratrem significat, fortè quòd patre defuncto filium eius nutrire teneatur, & quasi lactare, ei siquidem loco patris succedit: præterea significat amorem, vel potiùs collactaneum in canticis c. 5. & 6. deinde testibus Hebræis ahenum, aut cacabum, aut canistrum; quia hæc modum obtinent alicuius mammæ; cantic. 7. dudaim significat odorem; denique censet esse lilia, quanquam non multum curet, si mandragoris delectemur, cùm secundũ aliquos medicos vulua muliebrem ad conceptum mirificè accommodét, quod Aben Ezra miratur, cùm sit frigidissima; R. verò Dauid genus herbæ putat, quæ sit instar masculi, cuius 2. sint genera, cãdidus mas, nigra fœmina. Antequam locum hunc de mandragoris discutiam placet Iudæorum figmentum referre, qui Rachelem perperam fecisse credunt, quòd ita vendiderit mariti coitum, fueritq; prodiga seminis eius, quasi pluris fecerit mandragoras viri se diligentis amplexibus, vnde volunt illam propterea à Deo hac pœna fuisse mulctatam, vt cum viro eodem sepulchro nequaquam humata fuerit. Præterea R. Salomon ita Rachelis opprobrium ablatum explicat: quia vxor, quæ non habet filios, si quid mali domi committitur, non habet, in quem illud deriuet, sicut illa cui sunt filij, nam marito se obiurgante, atque obijciente, quis hoc, aut illud damnum dedit, protinus respondere potest, filius tuus; quòd si liberis careat, non potest facilè diluere crimina, & itato marito os oppilare, quod tametsi fictitium sit, bono tamen sensu interpretari posset, quandoquidem faciliùs in vxore multa vitia maritus patitur, si fertilis sit, atque fœcunda. Veruntamen ad mandragoras redeamus. Fagius ait ex scriptor. Hebræis certò colligi non posse, quid sit mandragora; quidam enim volunt esse radicem herbæ hominis effigiem præ se ferentis; alij genus floris odoriferi cantic. 7. vbi pro mandragoris, violas explicant. Nam Thargum habet, mandragoræ, seu violæ dederunt odorem balsami, 70. vertunt μῆλα μανδραγόρου, poma mandragorarum; & quidem non ita reijcit editionem vulgatam Fagius, nec Martyr, licet homines hæretici sint, sicut Venetus, & Sixtus. Natura mandragoræ est, vt facultatem refrigeratoriam habeat, adeout sit tertij ordinis refrigerantium, inquit Galenus lib. 7. simplic. medic. tametsi poma cuiusdam caliditatis, & humiditatis participia sint; hinc fit vt vim soporiferam habeat, quod in se ipso Lemnius expertus est, qui cùm mensibus æstiuis in Museo speciosum mandragoræ pomum collocasset, adeò somnolentus factus est, vt soporem ægrè discuteret, quamuis somnolentiæ pro vtribus obluctaretur; qui cùm tanti veterni rationem inire non posset, pomo ablato factus est alacrior, omni stupore discusso. Bibitur, & contra serpentes, & ante sectiones, pũctionésque ne sentiantur; hinc fit vt fœcunditati prodesse non possit, quin potiùs sterilitatem inducit, nisi fortè nonnihil in æstuantibus terris, & vteris valdè calidis, & aridis prodesse possit; vnde Lemnius putat in Africa, Hispania, Iudæa, Mauritania, Numidia, & Ægypto in quibus fermè mulieres adustos, squalidos, & strigosos vteros habent, poma hęc ad fœcunditatem valere. Illis enim vterus ad temperiem reducetur, & retinendi seminis virtutem accipiet, ne in fuliginem euanescat. Quod autem in causa fuisse videtur, vt tã audacter editionem vulgatam hîc reprehenderint prædicti, aperio. Rachelem virtute mandragoræ fœcunditate donatam fuisse, vel saltem id experiri voluisse arbitrati sunt; quod tamen esse falsum cõstat ex eo, quòd ipsa diu postea sterilis remanserit, nec si vim illam mandragoræ haberent, vnica planta, vel poma pauca id præstare potuissent, sed continuus multorum vsus, & esus. Adde quòd non ob fœcunditatem, sed ob raritatem, vel pulchritudinem, vel odorem Rachel mandragoras expetierit, quas D. Augustin. pulchras, & suaueolentes esse reperit, vt ipse testatur 22. contra Faust. c. 36.

De mandragorarũ nomine, & proprietate.

Mandragora Circæa.

Morion.

Quid significet Dudaim.

Fabulæ Iudaicæ.

Mandragora est frigida in tertio gradu. Galenus.

Lemnius l. 4. de occult. natur. mir. c. 10. circa finem, & in explicat. herbar. Script. Sacræ.

Quare nonnulli hîc vulgatam arguant.

Augustinus

Scio quidẽ aliquid ab Epiph. referri c. 4. Philologi, quòd vim fœcundãdi mandragoris tribuere videatur; quãdoquidẽ Elephas fœmina mandragoræ gustu coëundi cupiditate accenditur, quo postea eodem

Epiphanius

eodem libidinis œstro mas percitus fœminę miscetur. Pythagoras vocabat Mandragorã ἀνθρωπόμορφον, fortè quòd eius ætate iam nostris Agyrtæ similes circunforanei radices fictitias ex Bryoniæ radice pro Mandragoræ radicibus venditarent; vt enim plebi imperitæ illudãt in Altheæ, Arundinis, Bryoniæ, aut aliarum plantarum radicibus adhuc recentibus humanam vtriúsque sexus effigiem sculpunt, insertis in ea loca, in quibus pili exoriri solent hordei milijque granis: deinde has radices facta scrobe tenui sabulo obruunt, vt grana illa radiculas emittant, quod euenit viginti dierum spatio; eas autem radiculas ita concidunt, & aptant, vt barbam, capillum, cæterósque corporis pilos referant. Has autem sub patibulis, & rotis ex vrina supplicijs affectorum enatas persuadent, monstrosósque eorum vsus pollicentur. Nec nisi magno vitæ periculo effodi posse nugantur, cane, qui effodiat, radicibus, alligato, & auribus pice obturatis, ne radicis clamorem exaudiant effodientes, qua audita illis pereundum sit; quam imposturam ex Iosepho natam putat Mathiolus in 4. Dioscor. c. 71. De mandragoris Theophrast. & Plin. loquuti sunt: sed omnium fusissimè Dalechampius; Clusius verò l. 5. c. 3. versus Malacam mense Februario se vidisse mandragoras refert: dicitur etiam mandragora ἀνήμαλον; fœmina verò, quæ nigra est Tridacias. Album verò mandragorarum genus vocant Arsen, vel Morion, vel Hypophlomon. Vires autem, quas habet mandragora, quilibet apud Dalechamp. l. 17. c. 7. & apud Bauhinum videri possunt: inter quas vltima non est, quòd ebur sex horis cum ea bulliens emolliatur, adeout quamlibet figuram in eo efformare possis; omnes strumas, & tubercula discutiunt mandragoræ, ac plurimum serpentibus, erysipelatibus, podagricisque doloribus aduersatur. Romani mandragoræ fructus mala terrestria, siue canina vocarunt. Quòd verò Circæa illi nomen antiquitus fuerit, à Circe est deriuatum, muliere poëtarum figmentis venefica, quasi huiusmodi radicibus vsa fuerit. Perhibent enim mandragoras philtris, & amatorijs potionibus idoneas habitas esse. Auicenna testatur Iabro, idest mandragoram purgare vterum: quinquennis autem fuisse Ruben dicitur, cùm mandragoras attulit matri. Quid verò de verbo Hebraico דודים dudaim dicemus, quod negãt authores prædicti mandragoras significare? nunquid illi D. Hieronymo, imo & 70. doctiores fuêre? sed nunquid dictionaria Hebraica inter alia huius nominis significata mandragoram reposuerunt? vt in pentaglotto videre est? Nec quidem bene censuit Oleaster dudaim lilia significare, sed susanim, vt egregiè contra Venetum ostendit Delrio in 7. c. Cantic. in quem vide Sotum, Chisler. & cæteros: nos interim versionem nostram vulgatam, vt omnium verissimam, & præstantissimam amplectemur, maximè cùm odorem mala illa reddant. Ex quibus patet, quàm sapienter Index expungat ea, quæ sequuntur post illa verba, *partuì inimicantur*, vsque ad, *lilia exponere*, exclusiuè, & vbi legitur, *exponere debuissent*, legi volunt, *exponere potuissent*, & inferiùs, vbi legitur, *eiusmodi quoque error, eiusmodi quoque vox*, & post *dederunt ordorem*, deleri, vsque ad, *lilia itaque*, exclusiuè. Quæ verò sequuntur in isto problemate sunt allegorica, vel potiùs fictitia, nec enim auribus catholicis illa sylua supramundana bene sonat, ac proinde totum problema meritò censores expungere potuissent.

ἀνθρωπόμορφον.

Iosephus 7. de bello Iudaic. c. 25.

Mathiolus.

Dalechampius

Clusius.

ἀνήμαλον.

Tridacias.

Arsen.

Hipohlomon.

Mala canina.

Circæa cur dicta mandragora.

Iabro.

דודים

Dudaim non significat lilia, sed susanim.

PROBLEMA CCXVI.

1. *Versiculus 14. & 15. hoc & sequenti proble. explicatur.*

2.

3.

VR Rachel tam solicitè curauit sibi dari lilia illa? An quia propitia conceptui? Et præcipuè oleum ex ipsis confectum, suáque arte compositum, vt Dioscorides longo sermone edisserit, dicens quòd vuluæ duritiem mollit, contractionem laxat, & mulierum vitijs occurrere solet. An (vt meliora sensa tangamus) illa quæ, videns principium, interpretatur, curauit habere partem liliorum aut odoris, de quo dicitur. In odorem vnguentorum tuorum currimus? An odorem quem reddunt Deo sacrificia, & bona opera? sicut scriptum est: Odoratúsque est Dominus odorem suauitatis. De quo etiam Paulus ait: Christi bonus odor sumus. Quem odorem Lea reddiderat Deo, producens primum fructum ventris. Ideo dicitur, quòd Reuben primogenitus ipsius Leæ inuenit lilium, idest odorem in agro cœlesti, quem & Rachel desiderabat, per conceptum videlicet filiorum.

Gen. 30.

Dioscor. c. 64.

Cant. 1.

Gen. 8.

2. Cor. 2.

PROBLEMA CCXVII.

1.

VR Rachel propter lilia cessit virum sorori? Nonne, quia cessit carnali copulæ propter odorem cœlestem, seu meliorum operum Deo oblatorum? Quod *minimè* de mandragoris intelligi potest, quæ malæ, ac venenosæ sunt, vt Dioscorides longo sermone prosequitur. Hinc & Andraclon ipsa mandragora dicitur, quia frangit, & occidit hominẽ, quamuis alij velint dici Andricelon ab hominis effigie. Quod falsum experientia comprobamus, nisi fortè intelligatur de alio mandragoræ genere, quam Circæam vocant, cuius radix amoribus deseruit. Huius tamen fœminea radix (vt ipse Dioscorides prosequitur) pastoribus eam manducantibus grauedinem capitis affert,

Gen. 30.

Dioscor. c. 688. & 689.

Andraclon.

Andricelõ.

Circæa.

& ſtuporem inducit. Similiter & de alio mandragoræ genere, quod Morion dicitur, ait quòd illius dragma in potu, vel offa, aut obſonio ſumpta dementiam inducit. *Non igitur pro tali peſte Rachel ceßit ſorori maritum, ſed vt interim melioribus operibus vacaret, vt dictum eſt.* Morion.

IN 216. problemate ſupponit quod priùs, lilia mādragorarum loco reponi debere, ac proinde inſulſum problema dici poſſet; myſtica verò interpretatio, quam in toto problemate lilijs applicat, non ita placet, nec ita benè applicatur, quin Venetus nobis ſuſpicionem ingeneret, ne fortè ad antiquas nugas recurrat, dum affirmat Rubenum in agro cœleſti hunc odorem reperiſſe.

Nec in 217. problem. veram rationem tangit, cur Rachel virum Liæ ceſſerit, quandoquidem ſatis ex textu conſtat, ideò ceſſiſſe, vt pulchritudine, & odore mandragoræ pro libito frueretur, tametſi rationes aliquæ huic literali ſenſui superſtrui poſſint, quæ vel allegoricæ, vel tropologicæ dicantur; quæ verò de mandragora refert, ſatis excuſſimus, vbi ſuprà. Rectè verò cenſores deleri iubent *minimè*, ex his verbis, *quod minimè de mandragoris*; & in fine poſt illa verba, *dementiam inducit*, vſque ad finem problematis delent.

PROBLEMA CCXVIII.

1. CVR dixit Iahacob in baculo meo tranſiui Iordanem? An vt indicaret, Gen. 32.
Verſicul. 10. cap. 32. quàm pauper in Meſopotamiam venerat? Sed mirum videtur, quòd
pater ditiſſimus, & mater, quę ipſum tantoperè diligebat, dimiſerint eum
2. cum ſolo baculo ſuo. Sed nonne ſatis ei donarunt dantes baculum, ideſt
virtutem, qua ſibi omnia facilè comparare poſſet? Nam vt habetur in libro, qui Porta lucis inſcribitur, (& priùs à Zohar reſeratum eſt) baculus Porta lucis. Quis fuerit baculus Iacob myſticè
iſte, eſt fons, vel puteus dictus Berſabah, effoſſus, & acquiſitus ab Abraham: datúſque Izahac, & deinde Iahacob, quo facilè omnia ſibi comparare poſſet. Hinc כל col, ideſt, totum vel omnia dictus eſt. De quo loquens Iahacob cum Heſau, dixit: De toto, vel de omnibus dedit mihi Dominus. Vel (vt habet vulgata editio) Deus dedit mihi omnia. Gen. 33.
Quod donum nunc vocat baculum, ſicut virtus faciendi miracula Moſi collata, dicta fuit virga. Exod. 4.

PROBLEMA CCXIX.

QVOMODO Iahacob arte virgarum diuerſicolorum ſibi tam grande pecu- Gen. 30.
1. lium comparauit? An id arte magica effectum eſt? Sed abſit hoc à tanto viro.
Nec enim potuiſſet Iahacob in hac arte contendere cum Laban Aramæo
2. omnium orientalium (vt Zohar perhibet) celeberrimo Mago. An igitur diſ-
Verſicul. 37. & deinceps hoc & ſequenti problemate. poſitione quadam naturalium rerum conuenienti attrahebat diuina? ſicut
enim cum ſacramento aquæ, & verbi attrahitur virtus illa, vel gratia baptiſmalis, quæ meliorem hominem lauat, & purgat; & ſicut Moſes percutiens puluerem terræ eduxit cyniphes, vel pediculos (vt habet veritas literæ) ſic Iahacob huiuſmodi obſeruationibus non perperam, ſed ſapienter vſus diuinum influxum excitauit.

PROBLEMA CCXX.

CVR Iahacob vſus fuit virgis caſtaneis, amygdalinis, vel auellaneis, & po- Gen. 30.
1. puleis ſemidecorticatis? An quia huiuſmodi virgæ præſtigioſæ ſunt, præ-
cipuè auellaneæ? De quorum virtute non eſt dicendum in præſenti. Se-
Verſiculus 37. midecorticatæ autem reddebantur variæ, vt ex illa imaginatione in hora ſpermatis caſus, & feruescente voluptatis æſtu, oues varios fœtus conciperent. Sicut etiam mulieribus euenire ſolet. Vnde Quintilianus ex Æthiopis imagine, in pariete tori pendente ſumpſit, vnde defenderet matronam, quæ Æthiopem pepererat. Pari modo & Hippocrates tutatus eſt aliam mulierem, quæ
2. filium ediderat elegantiori, & pulchriori forma, quàm imago parentum exigebat. An quia
hæc requirebantur (vt nuper dictum eſt) pro ordinaria ſuperni influxus attractione?

DVBIO procul Iacob dixit, in baculo meo tranſiui Iordanem ſuæ tenuitatis, paupertatiſque memor, cuius baculus indicium eſt: ac ſi diceret, tametſi pedo innixus, & ſolo veluti baculo fultus venerim in Meſopotamiam, nunc diues, & potens egredior: an verò talis eſſet apud antiquos Quomodo explicari debeat tranſitus Iacob in baculo.

Patriarchas

Patriarchas conſuetudo, vt ea ratione filios veluti nudos, & omni ope deſtitutos ad vxores quærendas emitterent, ex noſtro contextu prorſus colligi videtur; ſed hæc paupertas dum in patriam redibant, bonis paternis abundè compenſari poterat. Allegoria verò, qua Venetus vti videtur, non parum coacta eſt, tametſi verum ſit Iacobi parentes ei virtutem indidiſſe, qua cæteros vrbanitate, & comitate faciliùs ad ſe pertrahere, ſibíque conciliare poſſet, tum quia eum genuerūt, tum etiam quia verum Dei cultum, & virtutem, qua facilè cum omnibus conuerſaretur, docuerunt. Sed quid obſecro baculus cum puteo cōmune habet? Quaſi verò in baculo fons, aut puteus deferri poſſit; elegans certè figmentum; cur non potiùs dicebat aureum baculum incluſum corneo cauato, aut ſambuceū tuliſſe, prout de L. Iunio Bruto legimus l. 1. Titi Liuij, qui ſimilem baculum donum Apollini obtulit per ambages effigiem ingenij ſui. Quòd ſi quis id eo ſenſu capiat, vt tantùm Venetus Dei amorem, atque fauorem, quo filios Abraham, vt electum populum, vel electi populi radices proſequebatur, intelligat, non renuo: ſed neque termini Zoardici Catholicis obtrudendi ſunt, vbi res paucis, ijſque clariſſimis verbis, omníque ſuſpicione carentibus explicari poteſt. Titus Liuius.

Diuinat cum Zohar in probl. 219. dum Laban maximum magum efficit, quod Scripturæ textus non innuit; perperam etiam aquæ baptiſmalis virtutem cum diſpoſitionibus naturalibus, quibus Iacob diuina ſibi conciliaret, comparat, videtúrque in aſtrologorum inſaniam propendere, qui cœlorum influentias quibuſdam figuris, & characteribus attrahi poſſe credunt; imo vereor, ne per diſpoſitiones naturales diuinam gratiam acquiri poſſe cenſuerit, quod iamdiu condemnatum eſt; ſed neque velim hîc de diſpoſitione ad gratiam agere.

Denique in probl. 120. ad nugamenta recurrit; quis enim non impiam illam ſententiam iudicet, quæ virgas illas, quibus Patriarcha tam ſanctus vtebatur, magicas, & ſuperſtitioſas fuiſſe ait; & in fine problematis è diuerſo nugatur, dum ait hiſce virgis ſupernum influxum attractum eſſe: Quæ verò de vi imaginationis habet, vera ſunt, de qua nos alibi plura dicemus. Si quis tamen magiæ deditum Labanum ſentire vellet, inde quandam occaſionem arripere poſſet, quòd vbi verſ. 27. huius 30. capitis habemus, *experimento didici*, verbum נחשתי, verti poſſit, augurio, vel diuinatione deprehendi, vt aduertit Vatablus, qui tamen fatetur tantundem eſſe, ac ſi diceret; ego tam clarè video me meáque omnia propter te, ô Iacob, Deum benedixiſſe, ac ſi res vaticinio teſtata, vel augurio comperta foret. Quanquam huic opinioni fauere videantur illa Teraphim, ſeu idola, de quibus poſtmodum agemus in 31. capite. נחשתי

Pro virgis autem 70. habent ῥάβδον στυρακίνην χλωρὰν, καὶ καρυΐνην, καὶ πλατάνου, ideſt, virgam ſtyracinam viridem, & nuceam, & platani; aliquando verò D. Hieron. pro plataninis reddit, virgas mali granati, tametſi nomina Hebraica quamlibet arboris ſpeciem indifferenter ſignificare videantur. Septuaginta interpretes.

PROBLEMA CCXXI.

CAPVT XXXI.
CVR Laban toties Iahacob ſortem mutauit? An quia malus, addictus erat mu- Geneſ. 31.
1. tationi, vt de Chaim legitur? Hinc Ieremias ait. Peccatum peccauit Ieruſa- Geneſ. 4. Thren. 1.
Verſiculus 7. lem, propterea inſtabilis facta eſt. Et Sapiens. Stultus, vt luna mutatur. An quia Eccleſ. 27.
omnem (vt aiunt) lapidem mouere voluit? An id diuina prouidentia factum
eſt, vt intelligatur, quòd non eſt prudentia, neque conſilium, ſiue aſtutia con-
2. tra Dominum? ſicut idem Sapiens perhibet. An decies mutauit (ſicut ei dixit Iahacob) vt Prou. 21.
3. decem gradus incantationum, quibus ipſe pollebat, contra ipſum experiretur, vt etiam Geneſ. 31.
4. Zohar aſſerit.

PROBLEMA CCXXII.

1. CVR ad omnia peracta in Chanaan, & fugam in Aram Rebecca mediatrix Geneſ. 27.
Verſic. 43 & 44. cap. 27. fuit? Nonne quia Rebecca diligebat ipſum Iahacob, vt in textu dicitur? Sed
cur ipſum potiùs diligebat, quàm Heſau? An quia Rebecca, quæ interpreta- Ibid 25.
tur, multum accepit, plus luminis à Deo tunc habuit, quàm vir eius, vt præ-
eligeret diligendum? An quia ſpiritus (teſte Chriſto) ſpirat vbi, & quando
2. vult: & multoties, (vt Sapiens ait) cum ſimplicibus eſt ſermocinatio eius? An (vt Sapientes
antiquos ſequamur) quia Rebecca ſignificat illud ſupremum, & diuinum donum (quod co- Prou. 3.
3. pulatum cum Abraham dictum fuit Sarach, cum Izahac Rebecca, & cum Iahacob Rachel?
4. Quod quidem diuinum dirigit nos in bonum, & ad optima ſemper deprecatur, nec vnquam errat.

PROBLEMA CCXXIII.

CAPVT XXVII.

1. *Vers. 9. & 10. ca. 27.*

2.

QVR Rebecca suasit Iahacob, vt ea calliditate sutriperet paternam benedictionem? An quia ambo neglexerunt peccatum mendacij, modò fierent voti compotes? Sed absit hoc à muliere, & viro tam sanctis. An igitur non mentiebatur Iahacob, cùm iam primogenitus esset? Nam Hesau primogenituram ei vendiderat. Sed nonne dixit se esse Hesau? Non quippe interroganti patri, an esset filius eius Hesau, dixit se esse Hesau; sed tantùm respondit, Ego sum, scilicet ille, cui de iure competit benedictio, quam tu intendis dare primogenito. Genes. 27. Ibid. 25. Ibid. 27.

Iacob excusatur à mendacio.

PROBLEMATE 221. tantam habet authoritatem illud quod de 10. gradibus incantationum affert, quantam liber Zohar, à quo ea decerpsit. Est autem aduertendũ Hebraicè legi עֲשָׂרֹת מָנִים haseret monim, decem mnas, vnde patet mnam esse vocem Hebraicam, inquit Steuchus, tametsi eam Latini, atque Græci vsurpent, & centum drachmas significat, vel quemlibet numerum. 70. habent τῶν δέκα ἀμνῶν decem agnis, vel agnabus, vt paulo post ἀμνάσι, pro quo Steuchus reponit μνᾶσι. מנים monim autem pertinet ad numerum, ממנו manach enim numerare significat: vnde Aquila vertit δέκα ἀριθμοὺς, Symmachus, δεκάκις ἀριθμῶ, decies numero. Eusebius vertit ex Syro decies, pro multoties, vt & Origenes interpretatur, adeout concludat Eugubinus Septuaginta corruptos fuisse etiam Origenis tempore, fuit enim facillimum pro δέκα μνᾶς, duplicare α extremum δέκα ἀμνᾶς. Eugubinus.

Cùm autem sex annis dena mutatio acciderit, oues bis in anno peperisse dicẽdum est, itaut quaeliber vice Iacob ditaretur, cuius mutationis Iacob pertæsus aufugit: hac autem ratione possemus aliquo modo agnas explicare, vt ipsa tempora denotent, in quibus concipiebantur, sic enim per messes, anni sæpius intelliguntur; vel denique per decem, numerus completus sæpius intelligi potest, vt iam insinuauimus.

In 222. probl. in fine videtur ad Caballisticas nugas redire, nam per Rebeccam donum illud supremum significat; tametsi multa in sensu allegorico liceant; at rationes, quibus vtitur (excepta prima) coniecturæ probabilitatem ad summum obtinent, quamuis probabile sit Rebeccæ totum negotium à Deo reuelatum fuisse, de quo iam aliquid diximus; quam, sicut & Iacobum Venetus in 223. probl. excusat; qui licet vice secunda dixerit tantùm, *ego sum*, à patre interrogatus, antea tamen dixerat, *ego sum Hesau*, quod minus, quàm par erat Venetus aduertit. Rabbi Salomon vult ita legi, *Ego sum*, itaut ibi sit stigme, deinde sequatur, *Esau primogenitus tuus*: quæ tamen suffugia fundamento carent, quandoquidem nec Hebraicus, nec Græcus, aut Latinus textus fauent. Quomodo nõnulli Iacobum à mendacio excusent.

Alio verò modo possumus matrem, & filium à peccato excusare; sæpiùs enim fieri potest; vt actiones, quæ alioquin malæ forent, bonæ, si Deus ita iubeat, aut consulat, efficiantur; quales sunt, interfectio filij, & expoliatio Ægypti, quæ in Abrahamo, & in filijs Israël laudantur. Potuit ergo dicere Iacob non præteritum, aut præsens tempus, sed futurum respiciens, Ego sum tibi futurus Esau primogenitus; mihi debetur ille locus, posteri mei habebunt, quod Esau deberi videbatur. Videatur D. Aug. de mendacio ad Consentinum: nos alibi decernemus, quoties hisce loquendi formulis vti possimus, aut debeamus, quæ mendacium redolere videntur. Alio modo Iacob excusatur.

PROBLEMA CCXXIV.

1. *Versic. 15. & 16. cap. 27.*

RECCÀVIT-ne Iahacob tegendo cœlum, & manus, & adeundo patrem loco fratris: Nonne Christus etiam simulauit se longiùs ire? Nec enim est propriè mendacium, neque damnabilis simulatio, nisi abducat à Deo, & adhærere faciat diabolo si benè Christus nos docuit, dicens. Diabolus mendax est, & pater mendacij. Hinc adhærens ei, mendax efficitur. Si quis autem aliquid simulat, vt opus Dei perficiat, mendacium non committit. Alioqui mendax fuisset ipse Christus, quando simulauit se hortulanum, & peregrinum, & manducauit velut viator. Et si quid erroris, aut peccati commisit Iahacob, debitas pœnas luit, quando oblata fuit ei vestis Ioseph, hœdi sanguine intincta. Nam valde doluit figmento illo filiorum. Genes. 27. Luc. 8. Ioan. 8. & 20. Luc. vlt. Genes. 37.

PROBLEMA CCXXV.

1. *Vers. 13. cap. 27.*

2.

QVR Rebecca spontè se obtulit suscepturam pro filio maledictionem, si Izahac dedisset. An vt maternum affectum in filium ostenderet? Nam mater semper est parata multa incommoda subire pro filio. An quia ab eodem spiritu, qui hæc omnia ei suggesserat, certior facta fuerat, quòd Izahac nullam Iahacob maledictionem inferret? Genes. 27. Ibid. 25.

Accedente

Accedente ad hoc oraculo, quo ei dictum fuerat, Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex vtero tuo diuidentur, & maior seruiet minori. Et quia hoc latebat ipsum Izahac, ideo cæcus describitur. Ibid. 27.

PROBLEMA CCXXVI.

1. *Versic. 1. cap. 30.*

2.

3.

QVR Rachel pro tempore sterilis, & infæcunda fuit? An cùm alijs muneribus, pulchritudine videlicet, & huiusmodi dotata esset, distulit Deus fœcunditatem ei dare? An in pœnam mariti, & aliorum exemplum, ne quis in vxore ducenda pulchritudinem præferat? An cùm gereret typum vitæ contemplatiuæ (vt dictum est) distulit Deus fœcunditatem ipsius, vt actiuæ fructus præcederent? Genes. 30.

PROBLEMA CCXXVII.

1. *Versic. 18. & 19. c. 30.*

QVR Rachel mortua est in partu Beniamin? Nonne (vt ad allegoriam expeditiùs accedamus) quia, cùm homo deuenit ad fastigium contemplationis, moritur sibi ipsi, & viuit Deo? Iuxta illud Apostoli, viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus. Vocatur autem partus iste filius doloris, imo mortis hominis animalis, & filius dexteræ, & gaudij hominis spiritualis. Genes. 35. Ad Gal. 2.

PROBLEMA 224. allegoricè solet explicari de Christo, qui sub peccatoris specie sæpè per hœdum significati, nobis meruit benedictionem, nec homines Deo patri possunt approbari, nisi sub alieno vestitu, qui enim Christum non induerit, minimè benedictionem assequetur. At dum Martyr noua mysteria fabricare contendit, se satis hæreticum probat, qui ait ministrum verbi, & sacramentorum (qui apud nos est verus sacerdos, apud Caluinistas, & cæteros hæreticos huius sæculi, rabula quilibet) esse quidem organum Dei, cùm illa exhibet, nihilominus non pro sua voluntate illa applicare, sed pro Dei prædestinatione, & voluntate, quòd ei non sit arbitrium verbo, aut sacramentis prodesse cuicúnque voluerit, adeout energiæ spiritus, & efficaciæ diuinæ totum tribui debeat. Quibus insinuat sacramenta esse nuda signa, non autem quod pollicentur, exhibentia, quod falsum esse tam in Bellar. quàm in cæteris Controuertistis, & Theologis videre est, sed de his aliâs; in præsentia sufficiat, si dixerimus Dei prædestinationem non impedire, quominus sacerdos omnibus prosit sacramenta conferendo, si suscipientes non fuerint impedimento. Iam verò dixi me de simulationibus licitis nolle hîc agere. Aduersus Petrũ Martyrem.

In 225. problemate fictitium est, quod asserit in fine, videlicet ideo Izaac cœcum dici, quia latebat illum, quæ de Iacob Rachel cognoscebat: Hebræi verò dicunt, quòd filio impio habuerit deuinctum animum propter munera, itaut illum præferret Iacobo. Alij dicunt Izaacum in monte Moria dum immolaret, vidisse Dei præsentiam, quare merebatur occidi, verùm quia Deus noluit Abrahamum amicum suum contristare, tantummodo enim in ea re eum tentabat, idcirco illius pœna est dilata, & in hanc senilem cœcitatem reiecta est. Alij cœcitate hac Izaaco consultum fuisse volunt, ne si vidisset, aut certò cognouisset pimogeniti sui Esau impia opera, fuisset mœrore grauissimo confectus; quæ omnia parum aut nihil probabilitatis habent, tametsi quædam de iudice præcepta inde sumi possint; vt iudices illos excœcandos esse, qui muneribus capiuntur, quod in animo experiuntur; cœcitatem verò sanctis in bonum cedere. Cur Isaac cœcus dicatur, quorũdam Rabinorum opiniones.

Causa verò, cur cœcus esset, in senilem ætatem referri debet. 3.

In problemate 226. in quo quærit sterilitatis causam, miror quòd non assignet eandem causam, quam pro Sara attulerat, quod nimirum Rachel in suo nomine non haberet ה literam nominis tetragrammati; siquidem Cabalistæ volunt ipsum Abrahã non ideo genuisse, cùm vocaretur Abram, quia deerat illi ה prædictum, quod 5. significat, denotátque numerum illius augeri vsque ad 248. vt planè 248. præcepta affirmatiua obseruaret, quæ humani corporis ossibus correspondent, vnde postea iussit illi, vt esset perfectus, quia cùm adderet ה addidit & robur, seu virtutem, qua posset Abraham mandata obseruare: Addunt nomen Abrahæ tantundem valere, quantum Bar Adam, id est renouauit, seu creauit, Deus hominem, quia formando Deus Euam, ex Adamo costam accepit, & tribuit mulieri, & sic vir perfectus non remansit vsque ad Abraham, adeout hominis perfectio in mulieris productione diminuta, reddita fuerit Abrahæ, & ipse cæteris maioribus suis præluxerit, & perfectiùs vixerit; mulieres verò imperfectiores remanserint, quia à Sarai demptum est Iod valens 10. quod ita diuisum est, vt vnum ה Abrahæ, aliud Sarah tributum sit, vt pars animalis in hominibus diminueretur, & spiritualis augeretur: ideóque litera coronæ, videlicet Iod, ablata est mulieri, & ei vitæ litera data, vt viueret sub imperio mariti. Præterea volunt Cabalistæ teste Archangelo in dogmata Cabalist. ה esse sigillum intelligentiæ, quòd Deus notitiam portarum intelligentiæ Abrahamo contulerit, quem etiam dicunt primum de 50. portis intelligentiæ in Sepher Ietsira tractasse, quem librum integrum attuli in additione ad problema 206. & refutaui. Discutitur 226. problema. Ea iam anteà dixeramus ex parte. Multa hîc ex Cabala referuntur, quæ vniuscuiúsq; iudicio permitto. De Abrahã & Sara literisque additis ad eorum nomina.

Denique nugantur isti, quòd ה fuerit additum, quia sicut in creatis est masculus, & fœmina, ita & in diuinis, pater est Thiphereth, mater verò Malchut, & quælibet Sephirah respectu suæ superioris dicitur mater, respectu inferioris dicitur pater: Binah igitur inquiunt, est mater respectu Chocmah, ideo vocatur mater filiorum; à Binah enim filij proueniunt, ideo eius sigillum ה Deus Abra- Si quis sapiat, ei consulo ne bonas horas in Cabalistarum lectione insumat, nisi illas perdere velit: expertus loquor, nam si quid eos

boni cum nugis, & fabellis iungere cõtingat, nos in Theologia, vel Philoſophia clari⁹, breuiùs, & ſubtiliùs deductum habemus. hæ contulit, vt eſſet pater omnium ſaluandorum, vnde, & per hoc Beracha vocatus eſt, ideſt benedictio, & piſcina, vt iam alibi aduertimus. Quæ omnia ſuo more Cabaliſtæ anagogicè explicant. Veruntamen quicquid hiſce nominibus, & literis intendant, non ita debuerunt ingeri à viris Catholicis ſine vlla cautione, neque enim indigemus verbis obſcuris, vbi clariſſima lux Euangelij refulget; quapropter meritò prohibetur opus illud Archangeli in Indice, quem ſæpè retulimus, donec expurgatio prodeat, quam vix prodire poſſe credo, quia hiſce Cabaliſtarum nugis vbique addictus eſt. Non autem video quomodo ſterilitas illa Rachelis in pœnam mariti inflicta fuerit, quod tamen in 2. ratione Venetus inſinuat.

Diſcutitur 227. probl. Senſus myſticus problematis 227. eſt admodum iucundus, nec reijciendus. Hebræi verò putant Rachel pariendo mortuam eſſe, quòd ſimul duæ ſorores in matrimonio fuiſſent, quod Deus ferre noluit in terra ſanctis patribus repromiſſa ob pręſtantiam, & dignitatem loci. Alij verò quia Laban idola furata eſſet, Iacob enim morti deuouerat huius criminis authorem, at ſanctorum preces, imo & execrationes minimè funduntur incaſſum. Addè quòd ea plerũque nobis ſint noxia, quę magnoperè deſiderauimus, ipſa verò nil potiùs habuiſſe videtur, quàm filios generare, ac proinde in partu obijt. Sed harum rationum neutra ſatisfacit, neque forſitan vera eſt. Qui profundiùs ad diuinam voluntatem recurrentes ratiocinari voluerint, permitto. Quare Rachel pariẽdo mortua ſit. 1. ratio. Secunda. Tertia.

CAPVT XXXI.

PROBLEMA CCXXVIII.

1\. *Verſic. 19. hoc & ſequenti problemate.* CVR Rachel furata eſt idola patris Laban, & quæ? An vt ditaretur ex auro, & argento ipſorum idolorum? Sed quomodo tam ſancta mulier id fecit? An vt patrem ab idololatria dimoueret? Sed nonne alia idola erigere facilè potuiſſet? An igitur (vt Zohar aſſerit) idola illa, Teraphim denominata, erant imagines quædam, quibus Laban omnium Orientalium Magorum celebetrimus Geneſ. 31.
2\. diuinabat, ligabat, & offendebat hoſtes? Hinc ea furata eſt Rachel, ne citò cognoſceret, quò De idolis Laban quid eſſent.
3\. iuiſſent; & ne per illas imagines aliquid mali inferret eis, qui tanquam hoſtes furtim receſſerant. Et quia in ipſis tota vis Laban poſita erat, ideo dixit, Furatus es cor meum. Vbi vulgata editio tantùm habet, vt clam me abigeres filias meas.

PROBLEMA CCXXIX.

1\. *Verſic. 19. & 44.* PECCAVIT-ne Rachel furando idola, & cur abſcondit ea in clitella cameli? Geneſ. 31.
Nonne ſicut peccat, qui dat gladium in manu furioſi in alterius detrimentum, ſic non peccat, imo bene, & ſapienter agit, qui aufert inſtrumentum
2\. maleficij è manu malefici? In clitella verò cameli, animalis immundi, velut in loco conuenientiſſimo, idola immunda abſcondit. Nec mentita eſt dicens ſe pati muliebrem immunditiam, cùm forſitan eius tempus adeſſet. Erat quoque immunda, quia contrectauerat idola immunda, & ſuper ipſis ſedebat.

PROBLEMA CCXXX.

1\. QVOD iuramentum fecerunt Iahacob, & Laban in monte Gilahad? Nonne (vt Geneſ. 31.
in textu habetur) pactum fecerunt, & iuramentum, ne alter ipſorum tranſiret montem illum in damnũ alterius? Et quia in robur ipſius iuramenti Iahacob erexit lapidem, ideſt fidem rectam, ideò ſequitur in titulum. Cum quo lapide etiam *Verſi. 44. & deinceps vſque ad 49.* lapidum aliorum congeſſit aceruum, ideſt multos congeſſit teſtes, aut ſupramundanos, quos Abraham per 7. agnas (vt ſupradictum eſt) figurauerat, aut Angelos illos quàm plurimos, qui ipſius familiæ præſidebant. Hinc vocauit montem illum גלעד Galehed; qui poſtea mutatis punctis dictus fuit, & nunc dicitur Gilehad. Laban autem lingua Aramæa, vocauit ipſum יגר שהדותא iegar ſahaduta, quod idem ſignificat. גלעד Gilehad. יגר שהדותא

Cauſæ cur Rachel idola patris furata ſit. Prima. QVANDOQVIDEM ſępius idolorum nomen occurrit in Scriptura, fuſiùs paulo de Teraphim agendum erit, ſi priùs cauſas cur Rachel idola patris furata, ſit inueſtigemus: & quidem prima, quam tangit Venetus, eſt admodũ probabilis, vt tam pro mercede, qua Iacobus fraudatus erat, quàm pro dote ſibi, ſororíq; ſuæ debita ea Rachel acceperit, eas enim velut nudas, & ſeruas Iacobo vendiderat, vt patet ex eorum quærimonia hîc expreſſa verſ. 15. Secunda cauſa eſt ex R. Salomone, cui fauent D. Baſil. Nazianz. & Theod. & Baſil. lib. prouer. Præclara fuit aſtutia Raab, & Rachelis, inquit: illius quidem exploratores ſaluos præſtantis, huius verò, patrem decipiendo, ab idololatria eum liberantis. Sic & Nazian. Oratione de S. Paſchate. Tertia cauſa, quam affert Aben-Ezra, ne ab idolis inquireret, quò abijſſent, itaut ſtatim atque nõ ampliùs Iacobum vidit, ſua idola conſultum ierit de itinere, quod ceperat Iacob. Quartam adde ex Ioſepho l. 1. Antiquit. vt Rachel haberet, quò Secunda. R. Salomõ. Baſilius. Tertia. Quarta.

confugeret veniam impetratura, ſi fortè pater fugientes aſſequeretur. Quintam cauſam D. Chryſoſt. addidit, quòd Rachel à puellari ætate per inſtitutionem paternam culturæ idolorum aſſueuiſſet. Quinta.

Seldenus ſectarius. R. Kimhi. Toſtatus. De Teraphim verò, quæ dicuntur idola, Ioannes Seldenus cap. 1. Syntagmatis de dijs Syris egit; erant autem imagines, quas Rachel furata eſt, quas R. D. Kimhi ab aſtrologis fictas eſſe ait: Toſtatus verò narrat hîc, quomodo per artem Aſtronomicam, & Necromanticam conficerentur idonea ad reddenda reſponſa. Erant, inquit, capita ex metallo in quodam certo tempore, & ſub certis ſyderum aſpectibus, & coniunctionibus planetarum facta, vt inde virtus è cœlo deriuaretur in illud caput, fierétque potens reſpondendi conſulentibus, & interrogantibus ipſum; idque fiebat partim per Aſtrologiam, partim per Necromantiam. Quale Albertum magnum feciſſe aiunt (licet illud minimè credam) quòd diſcipulus eius S. Thomas quadam die confregit. Dicunt etiam Hebræi fieri conſueuiſſe Teraphim, accipiendo caput alicuius pueri primogeniti, & ſacrificati in honorem dæmonis: quod caput abſciſſum ſale, & aromatibus condiebatur, vt à putredine illæſum diu perduraret; & ſuper linguam eius lamina aurea ponebatur, dæmonis cuiuſdam nomine inſignita, ſicque dabat reſponſa conſulentibus, & interrogantibus. Modi & figuræ Teraphim varię.

Aben Ezra. Hinc fit, vt Abraham Aben-Ezra Theologus, & Aſtrologus maximus Iudæorum, & Kimhi humana forma factas eſſe dixerint, vt cœleſtium influentiarum capaces eſſe poſſent. Hac ratione Teraphim 1. Samuel cap. 19. interpretantur, quæ Michol in lecto poſuit, vt liberaret Dauid. 1. Reg. 19.

Thiſbi. Modum autem Augurij Elias Thiſbi refert ex R. Eleazare, quo mactabant hominem primogenitum, cuius caput torquendo præſcindebant: caput autem abſciſſum ſale condiebant, & aromatibus, ſcribebántque ſuper lamina aurea nomen ſpiritus immundi, qua capiti ſuppoſita, illud in pariete ponebant, incendentes coram eo candelas, & adorantes illud; ſic Iudic. 17. de Ephod, & Teraphim ſermo habetur. Ephod autem Deo vero, Teraphim dijs falſis ſacra erant: de Ephod à Gedeone facto, vide cap. 8. Iudic. & D. Auguſt. quæſt. 41. & 42. De Teraphim habes Zachar. 10. & Ezech. 21. vbi D. Hieron. modum diuinandi per ſagittas tangit; Rabdomantiam verò Deus reprehendit Oſee 4. quæ apud Orientales eſt in vſu teſte Dione, & Scholiaſte in Nicandri theriaca. De harum virgarum ſortibus intelligi volunt præceptum negatiuum 52. quo diuinationes prohibentur. Iudic. 17. Iudic. 8. & ibid. Aug. Zachar. 10. Ezech 21. Oſee 4.

Diuerſa nomina Teraphim apud 70. Interpr. Septuaginta verò pro Teraphim habent γλυπτὰ ſculptilia in Ezech hîc verò εἴδωλα in lib. Iudicum θεραφείν. In hiſtoria Michol & Dauid κενοτάφια: in Oſee δήλους, quomodo 1. Reg. 28. vocant Vrim: & in Zacharia ἀποφθεγγομένους; Aquila teſte D. Hieron. habet μορφώματα, aliquando φωτισμένους. Thargum in Oſee Mechani, ideſt annuntiantes. Ita etiam Chaldæi ſtatuas aureas ſoli, argenteas lunæ ſtatuebant, ſuper quas ſolis ſtellarúmque influxus diffundi putabant, itaut cùm hominibus loquerentur, & eis vtilia annuntiarent, vt ſcribit R. Moſes in More Nebochim lib. 3. cap. 30. Græci ϛοιχεῖα dixêre, vnde vt Teraphim erant, & ἀλεξιτήριοι, ſeu Auerruncini dij dicebantur; hi tamen arcẽdis malis, Teraphim verò futuris pręnuntiandis inſeruiebant. Dicebantur etiam ϛοιχειωματικοὶ, quorũ author Carpi, ſeu Ptolomæi Centiloquium meminit tmemate 9. quod ſic vertit Haly Aben Rodoan, vel Abugepher. Vultus huius ſæculi ſunt ſubiecti vultibus cœleſtibus, & ideo Sapientes, qui imagines faciebant ſtellarum, introitus in cœleſtes vultus inſpiciebant, & tunc operabantur, quod debebant: per quos vultus, non tantùm 48. conſtellationes, ſed & portentoſas imagines, quas Perſæ, Indi, & Ægyptij depingebant, in quolibet decano ſigni intelligunt; ſic enim in primo decano ♍ Perſæ Virginem collocant capillitio prolixam 2. ſpicas manu geſtantem, reſidentem in ſiliquaſtro, educantem, & lactantem puerum. Dij Auerruncini. ϛοιχειωματικοί. Abugepher. Decani ſignorũ cœleſtium. Imago ♍ apud Perſas.

Quem fuiſſe Chriſti Symbolum Alboaſar Mahumetanis annotauit, quem ſecutus eſt Rogerius Bacho opere 3. ad Clement. 4. De his decanis vide Scaligerum in Manilium de Monomiorijs, ideſt, figuris ſingulorum graduum vniuſcuiúſque decani ex Aben-Ezra; videatur etiam Albumaſar parte 6. Introductorij; ſed de his vultibus fortè ſermo redibit. Alboazar. Rogerius Bacho. Scaliger. Albumaſar.

Bene verò Salianus ad annum mundi 2296. Ioſephum reprehendit, qui Rachelem ſatis inſinuat adhuc idololatriæ deditam fuiſſe, & Labanum poſt vnum diem generum perſecutum fuiſſe, cùm ſcriptura 3. dies enumeret; denique quòd Iacobum furti reum faciat. Vbi verò verſio noſtra habet, *Vt clàm me abigeres:* & Hebraica, *furàtus eſt cor meum,* 70. habent, *furatus es me:* Paraph. Chaldaica, *celaſti à me:* quæ verſic. 30. habet, *timorem meum.* Ioſephus reprehenditur. Varię trãſlationes.

In probl. 229. conformis eſt Venetus ijs quæ præmiſimus, videlicet cùm ait Rachelem non peccaſſe, eamque à peccato excuſat: ſed an ex contactu idolorũ quis, omni lege poſitiua ſepoſita, immundus fieri poſſit, aliam inuoluit quæſtionem; certum eſt eum qui tangit idola, vt vel ea frangat, vel vt quoſdam ab eorum cultu auertat non eſſe immundum. *Problema 229. diſcutitur.*

In 230. de iuramento, pactóque Iacobi, & Laban agit. Iam priùs Iacob erexerat lapidem in titulum, quando locum in quo factum eſt illud, vocauit Bethel. Hebraica phraſis ex Pagnino habet, in ſtatuam, Græcè στήλην, poſſetque verti monumentum, aut columnam, vt notatur in biblijs è 70. ab Antonio Caraffa Cardinali in Latinum tranſlatis: venit autem à radice יצב quod ſignificat, conſtitit, dictio quæ hîc habetur מַצֵּבָה Maſteua. Hebræi autem dicunt vnicum lapidem à Iacob erectum eſſe, quòd vnum Deum coleret, Labanum verò & fratres, vt pote idololatras plures in aceruum collegiſſe; cumulúmque in orbis ſpeciem efformaſſe, quia ignem colebant, ideſt ſolem, cuius corpus eſt orbiculare. Cæterùm reuertitur ad nugas Cabaliſticas Venetus, cùm de teſtibus ſupramundanis per 7. agnas repræſentatis loquitur. *Problema 230. diſcutitur.* Quid ſit titulus erectus à Iacob. יָצַב Quod vnicum lapidem erexerit Iacob.

PROBLEMA CCXXXI.

CAPVT XXXII. 1. 2. Versic. 2. 3.

QVÆ castra vidit Iahacob in via postquam à Laban recesserat? Nonne (vt in textu dicitur) vidit Angelos Dei? sed qui Angeli erant ij? An illi, qui ipsum comitabantur, quos videre nemo potest, nisi bene initiatus, & qui oculos bene expurgatos habet? Hinc videre nequibat Giezi castra illa Angelorum, quæ videbat Elisæus, quoúsque expurgati, & aperti fuerunt ipsius oculi, vt in 4. Regum volumine legimus. An erant Angeli ministrantes ei, qui cum ipso Iahacob postea luctatus fuit? Genes. 32. 4. Reg. 6.

PROBLEMA CCXXXII.

1. Versiculus 24. 2.

VIS luctatus fuit cum Iahacob? An fuit ipse Deus vnicus? *Sed nonne ridiculum videretur, quod Deus luctatus fuisset cum homine, & ab ipso deuictus, veniam pro recessu petijsset? Et in hunc errorem prolapsi fuerunt ij, qui non aduerterunt, quòd nomen Elohim tam Angelos, quàm Deum significat, vt hìc interpretari necesse est.* An igitur (vt Sapientes asserunt) Angelus Hesau fuit, qui dolens de primogenitura, & benedictione ab ipso Hesau sublata procurabat illas eripere à Iahacob, vt Hesau sibi credito redderet? Et hoc fuit certamen ipsorum. Verùm cùm huiusmodi primogenitura, & benedictio ad ipsum Iahacob iure deuenissent, in certamine triumphauit, & hinc ab eo benedictionem petijt, ne videlicet illas iam sibi æquo iure concessas ampliùs eripere satageret Genes. 32.

PROBLEMA CCXXXIII.

1. 2. Quod hic de intelligentijs dicitur magicum est, vel magis fauet.

VR *dixit is, qui cum Iahacob luctabatur, Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis? Nonne ridiculum est, quòd Iahacob fortis fuerit contra Deum, contra quem (teste Sapiente) non est consilium, neque fortitudo? Fortis itaque fuit contra Angelum Hesau, quo superato procul dubio præualere debebat contra illum, quem ipse Angelus tuebatur, iuxta regulam ab antiquis Theologis summoperè celebratam, quæ hinc inde ex Scriptura elicitur, quòd nullus superari potest, nisi deuicta, & amota priùs ipsius intelligentia. Hinc (Moses collisit omninò intelligentiam Ægypti, antequàm Ægyptios prosterneret. Et Dauid antequam deuincerct Goliat, amouit ab eo custodem ipsius, virtute nominis diuini. Propterea dixit, Ego venio ad te in nomine Domini. Sic Christus volens subiugare mundum, prius foras principem eius eiecit.* Genes. 32. Prou. 1.

CIRCA 231. problema possumus ex Iudæis aduertere factum esse honoris gratia, vt Angeli Iacobo irent obuiam, vnde inferunt Iacobum Angelis præstantiorem fuisse, sicut & quemlibet verè pium; dignior enim est, cui obuiatur, & occurritur, & qui portatur, quàm qui occurrit, aut vehit: & psalmus 90. habet, *Angeli portabunt te: ne lapidibus pedes tui lædantur*; siquidem hominum custodiæ deputantur, quæ rationes non conficiunt Angelos postponendos esse, tametsi enim pater & mater gestent filium, non ideo filius illis præferendus est: imo ex eo quòd Christus portet omnia verbo virtutis suæ, omnibus longè nobilior est; numquid homines quotidie custodiendis ouibus præficiuntur, quibus tamen antestant? Sed hæc quæstio non ita hìc dissolui potest, cùm integram quæstionem requirat; nec dubium est Angelos natura sua nobis anteponendos esse, sicut & nos ad maiorem gratiam euehi posse, & per consequens ad maiorem gloriam nemo Catholicorum est, qui neget. Ergo postquam illum comitatus fuerat custos Mesopotamiæ cum suis vsque ad confinia, nunc in Chananææ confinijs custos Chananææ Angelus ei obuiam procedit cum suis inferioribus Angelorum cohortibus, adeout aparuerit illi vtráque turma instar acierum ordinatarum hinc inde in auxilium parata: Angelum autem Chananæ fuisse B. Michaëlem Diodorus Tarsensis existimauit, vt Israëlitici populi principem. Hìc Delrio Caluinum carpit, quòd vnicuique nostrûm ex hoc loco perperam inferat multos Angelos deputatos esse.

An ex eo quod Angeli Iacob occurrerint illis nobilior dicendus est.

Chananææ regionis præfecti Angeli occurrunt Iacobo.

Michaël Archangelus.

Hanc Angelorum visionem fuisse tertiam notat Pererius; prima siquidem fuit Gen. 28. cùm scalam animaduertit; secunda cùm Angelus ei demonstrauit in somno arietes ascendentes super oues Genes. 31. hanc verò tertiam in somnis fuisse Caietanus censuit.

Tres visiones Angelorũ, quas habuit Iacob.

Circa 232. problema nũgatur Venetus cum Hebræis, qui luctam hanc ab Angelo Esau susceptam esse aiunt, vt Iacobum è terra Chanaan eijceret, fauendo partibus Esau, quoad liceret, & quandiu Deus permitteret. Sic Daniel 9. Angelus Persarum restitit 21. diebus, ne veniret is, qui loquebatur cum Daniele. Ita tamen, vt tamdiu solùm sese Iacob opposuerit, ne consequeretur hæreditatem, & terra in

Problema 232. discutitur.

Hebræorũ opinio mihi non probatur.

Cur Angelus se Iacob opposuerit, & eum in femore percusserit.

& terram patribus repromissam, quamdiu non cognouit Dei voluntatem, qua percognita, non modò victori Iacobo cessit, sed iam impetratas benedictiones illi confirmauit: cui ius fuisse percutiendi neruum femoris Iacob autumant, vt eius puniretur infidelitas, quæ ipsum adegerit in tantum timorẽ Patriarcha satis indignum; siue quòd id mereretur propter duas sorores, quas simul vxores habere voluit. Sunt autem, qui dicant hoc portendisse illius posteros, qui in femore eius latitabant ab Ædon, siue Esau grauiter esse affligendos, quod ipsi modò, vt dicunt, sub Romano imperio experiuntur.

Quomodo dici possit Angelum hunc fuisse Deum, aut Dei filium. Iustin. Clemens Alex. Sirmiense Concilium

Hic autem Angelus non fuit ipsa secunda persona Trinitatis, nisi in typo; quamuis aliter sensisse videantur Iustin. dial. cum Tryph. Clem. 2. pedag. cap. 7. Tertul. Ambros. & alij, nisi eos ita velis loqui, vt significent fuisse Deum repræsentatiuè, & auctoritatiuè, vt loquuntur, quandoquidem veluti filij Dei Vicerex erat, quomodo Sirmiense Concilium explicari potest; quod quia suspectum est, quia fuit Arrianorum, parui ducimus illud. Est autem admodum probabile hunc Angelum ipsius Iacobi custodem fuisse, qui cum eo, iussu diuino, luctam exercuerit, vt ei timorem adimeret; nec proinde sententia illa, quæ diabolum fuisse putat à D. Hieron. in ca. 6. ad Ephes. relata ex Origene 5. peri archon, admittenda est; cùm asserat Iacob se vidisse Dominum facie ad faciem, eiúsque animam saluam factam esse, vnde & locum illum Phanuël, seu Dei visionem appellauit.

Quis nam fuerit ille Angelus propria sententia.

Quòd non fuerit diabolus. D. Hieron.

Quomodo Angelus ab homine superari potuit.

Nec est mirum, quòd Angelus omnibus hominibus simul sumptis longè fortior à Iacobo superari potuerit, quandoquidem hæc omnia diuina dispositione facta sunt, cui facillimum est tantam vim homini superaddere, vt quemlibet Angelum vincere possit, vel tantummodò concurrere cum Angelo, donec ei minores vires supperant, quàm quæ ad Iacobum vincendum sufficere possint. Aduerte verò luctam hanc corpoream, & non tantùm spiritualem fuisse, tametsi quidã fuisse imaginariam existimẽt; sed contextus contrariũ euincit.

Hanc luctã fuisse corpoream.

יאבק In quo pro, *luctabatur*, Hebraicè legimus יאבק Ieabec, 70. verterunt ἐπάλαιεν, quia velut palæstritæ sese gerebant: & Aquila cum Symmacho ἐκυλίετο, versabat se cum illo, ita enim sese inuicem iactant, & contorquent luctantes; & πάλιν, lucta, deducitur à πηλοῦ, luto, quo dum se torquent, & versant, luctantes consperguntur: vel à πάλιν iterum, aut παλεύειν, quod est insidijs deijcere; vel πλησιάζειν appropinquare, aut παλαιστοῦ, idest à 4. digitis simul coniunctis.

Variæ trãslationes.

Præterea Ieabec, ab אבק abac puluis, seu terra, significat puluerizabatur, idest in arenam descendebat; siquidem celeri pedum agitatione puluerem excitant, qui simul luctantur; nisi morem palæstræ Græcorum, atque Romanorum in medium afferamus, in qua pugnantes se inuicem puluere aspergebant, vt firmiùs inuicem prehensos tenerent. Oleaster tamen existimat Abaq non puluerem, sed habitum significare; palæstram tamen non fuisse à Iudæis receptam, nisi 2. Machab. 4. Delrius aduertit. Denique sunt, qui Ieabec, vertant, luctabatur intorquendo se, conabatur enim vnusquisque vi deijcere aduersarium, vt sit metaphora à vento sumpta, qui cùm validus est, puluerem, imo & hominem intorquet, & euertit, quò respexisse videtur Sapiens cap. 10. *Certamen forte dedit illi, vt vinceret*, vbi Græcus habet ἐβεβάβευσεν: Iacobum enim auaritiæ Laban, iræ Esau, & Angelicæ pugnæ obiecit, & proposuit certaminis brauia post victoriam referenda. Ab אבק fit אלאנביק Auicennæ alembicum & אנבק canalis aquæ: sed nos satis circa problema istud dimicauimus.

אבק quid significet.

Oleaster.

2. Mach. 4.

Sapien. 10.

Vnde dicatur Alembicum. אנבק

Iam ea discutiamus, quæ in 233. habentur, in quo idem de Angelo Hesau, quod superiori insinuat; & quidem ex dictis constat, quomodo fortis fuerit aduersus Deum, vel potiùs Angelum Dei vices gerentem: nugas verò Cabalisticas affert, dum ait alicuius intelligentiam remouendam esse, vt vinci possit: vnde meritò Censores problema hoc tõtum deleri voluit: *Sicut ex 232. præcedenti*, post illud: *An fuit ipse Deus vnicus?* delent vsque ad, *An igitur, vt Sapientes*, exclusiuè, & particulam, *igitur* auferunt.

Problema 233. discutitur.

PROBLEMA CCXXXIV.

1. Vers. 26. 2.

VR Angelus ille dixit, Dimitte me, quia aurora est? An recedere volebat, vt pergeret ad persoluendas laudes matutinas, vt nonnulli dicunt? Quod Angeli facere consueuerunt, iuxta illud Iob. Cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. *An hic custos Hesau erat vnus ex principibus obscuris, qui magis præualent in tenebris, quàm in luce, imo illam timent? iuxta illud eiusdem Iob. Si apparuerit aurora arbitrantur vmbram mortis. Cui adstipulatur vates, canens: Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Hinc cognoscens virtutem Iahacob totam solarem, & suam tenebrarum dixit, Dimitte me, quia aurora est. Quasi diceret, si te in nocte non vici, multò minus vincam in aurora, & luce.* Genes. 32. Iob. 38. Ibid. 24. Psal. 103.

RECTE Censores delent omnia, quæ post illa verba sequuntur, *Iubilarent omnes filij Dei*, cùm suæ opinionis patronos habeat Cabalistas proceres, quos iam sæpe explosimus, iámque supra diabolum illum Esau, sicut, & Angelum reiecimus.

PROBLEMA CCXXXV.

Vers. 28. 1. 2.

VR Angelus ille dixit Iahacob, vocabitur nomen tuum Israël, & quid hoc importat? An vocatus sic fuit ab ipso Angelo? An is prænunciauit, quòd futurum erat, quòd videlicet à Deo vocari debebat Israël. Sicut habetur infrà cap. 35. Sed quid significat Israël? An videntem Deum? An (vt optimè Hieronymus sen- Genes. 32. Ibid. 35.

3. tit) interpretatur princeps, aut hæres Dei à ירש Iaras, quod est hæreditauit, & אל el Deus? ירש אל
4. Nec enim in verbo videns, quod est רוא Roe, & in verbo Deus, quod est אל el, reperitur רוא
Vnde nomen Israël dicatur. ש Sim. Huius igitur nominis sensus est, quòd ipse fuit princeps, & militans pro Deo, & hæres Dei. Hinc dixit Christus, Non veni, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël, id est Math.15.
domus militantis pro Deo, iuxta illud Apostoli. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit: aut domus eorum, qui constituti sunt hæredes Dei. De quibus idem Apostolus, Hæ- 2.Timot.2.
redes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Venit enim redemptor pro omnibus ijs, qui ad Rom.8.
Deo militant: & qui hæredes cœli constituti sunt.

PROBLEMA CCXXXVI.

1. VA arte, quóue dono Iahacob studuit placare Hesau? Etsi Deus tuta- Genes.32.
Versic.12. batur Iahacob, multáque ei promiserat; & patris sententia à Spiritusan- Genes.27.
cto dictata, ipsius Hesau dominus constitutus fuerat, naturalia tamen media spernere noluit. Munera enim præmisit, quæ nedum homines, ve- Ouid.
rùm etiam Deos placare solent, iuxta illud, Munera (crede mihi) pla- Genes.32.
cant hominesque, deósque. Et hæc munera misit in numero placatiuo, & amoris scilicet ducentenario & vicenario, vt notum est ijs, qui vim nu-
merorum norunt. Nam sicut numerus ipse bis reuolutus, per reuolutionem, quam Hebræi Ghilgul appellant, reuertitur in seipsum: sic amor egressus in amatum, quærit reuolutio-
2. nem amati in amantem. An quia sicut in ducentis, & viginti coniunguntur duo centenarij, Porta lucis
numeri videlicet corporei, & duodenarij, pertinentes ad Spiritumsanctum (vt habetur in libro, qui Porta lucis inscribitur) sic in amantibus requiritur, vt appetitus animales, & spi-
rituales coniungantur.

Israël à quibus dictionibus Hebræis componatur. CIRCA 235. problema de nomine Iacob discepta re nolo, neque de nomine Israël, de quo Pererius latè satis; qui sentit cum Pagnino significare principem cum Deo, itaut componatur ex שרה ישרה futuro, à verbo שרה dominatus fuit, vnde & Sar princeps dicitur, quod confirmatur ex versio-
Theodotion. ne 70. & Theodot. qui sic habent ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ, quoniam inualuisti cum Deo: ex Aquila ὅτι
Aquila. ἤρξας μετὰ Θεοῦ, quoniam regnasti, seu dominatus es cum Deo, vel ad Deum: vnde & Osee 8. dum
legitur *Princeps fuit, in* vel *ad Angelum*, Hebraicè
Symmach. scribitur וישר אל־מלאך *Vaiasar el Malach.* Symmachus habet ὅτι ἤρξω ἰσχὺν πρὸς Θεόν. Notauit autem Delrius ex Martino Martines lib. hypotypos.
Duob' nominibus appellantur, quibus nomen mutatum est. Ribera & Pererio Scripturam non adimere nomen alicuius, tametsi nouum imponat, sed libe-
rum facere, vt alterutro vocetur, sic enim Israël
Gedeon & Ierobaal idem. adhuc Iacob vocatus est; sicut & Gedeon, qui Iudic. 6. Ierobaal dictus est. At quãdo nulla fit men-
Iudic.6. tio prioris, sed aliud simpliciter imponitur, tunc nomen illud potiùs imponitur, vt significetur tali nomine eum dignum esse, cui imponitur, quàm
vt eo nomine, ij quibus imponitur, compellantur: sic enim Christus Isai. 7. & 8. dictus est Em-
Isai.7. manuël, accelera, &c. & filij Zebedæi dicti sunt Boanerges.
Problema 236. discutitur. In sequenti problemate, dum numerum placa-
tiuum tangit, non est dubium, quin ad nugas Ca-
balisticas recurrat, vnde & librum Cabalisticum Portæ lucis citat, ac proinde tantam duntaxat authoritatem habent, quæ refert, quantam ipsi libri, ex quibus accepit, nullam videlicet.

Huius autem libri summa hæc est: Quicum- Epitome libri Portæ lucis.
que nomen Tetragrammaton proprijs literis protulerit, partem nullam futuri sæculi habeat: Ista
nomina Ehie, Ioh, Adonai; tetragrammaton: El,
Eloha, Elohim, Adonai, Zemaos, Elohe, Seuaos,
& Sadai sunt claues, ex quarum intelligentia le-
gis cognitio pendet: quibus cognitis Deus exau-
dit psalm.90. *Exaltabo eum, quoniam cognouit no-* Psal.90.
men meum. A nomine tetragrammaton cætera
nomina surculorum instar deriuantur, quæ fru-
ctus diuersos proferant; quæque pro cognomini-
bus suis omnes dictiones legis habent; adeout
cùm aliquid à Deo impetrare volueris, nomen il-
lud accipere, & inuocare debeas, in quo ea, quæ
petis continentur, alioquin incassum oraturus: at
si quis nomen rei postulatæ dicatum cognouerit,
non solùm optatis fruetur, verùm futuri sæculi
hæres euadet. De cætero nomina diuina liber hic
Portæ lucis persequitur, incipítque ab אדני Ado- אדני
nai, à quo veluti per canales omnia fluant: quæ
omnia, tametsi non adeò falsa videantur, quin ali-
qua saltem eorum pars in bonum sensum explicari valeat, quia tamen obscura sunt, quæ etiam
in sensum dogmatibus catholicis aduersum in- Riccius.
flecti possint, multáque nugas, atque fictiones
humanas continent, ideóque ab istis abstineo: ea-
que iam apud Riccium videre potes, qui librum
hunc in suo 4. de agricultura cœlesti libro collo-
cauit.

PROBLEMA

PROBLEMA CCXXXVII.

CAPVT XXXIII. VO omine Iahacob adorauit Hesau septies? An malo omine, vt somniant aliqui Genes.33.
1. Hebræi dicentes, quòd errauit Iahacob, & in perniciem populi sui id fecit? Falsò
Versiculus 3. enim autumant, quòd per adorationem illam denotare voluit subiectionem,
quam sufferre debebat populus Israëliticus apud Idumæos, idest Christianos, vt
2. ipsi interpretantur. An errauit (vt dixit R. Elehazar) quia fecit contra præceptum illud, Non Exod.20.
3. adorabis Deum extraneum? Nam idem erat adorare Hesau. An (vt Zohar asserit) non ado- Zohar.
rauit Hesau, neque latus sinistrum, vnde ipse venerat, sed spiritum Dei præcedentem, quem
Sachinam. ipse Zohar Sachinam vocat? Et idcirco adorauit septies, quia ipse est Bersabah, idest puteus Luc.17.
septem superiorum influxuum, & donorum. Quem puteum Christus vocat regnum Dei,
asserens ipsum esse intra bonos.

PROBLEMA CCXXXVIII.

1. VR dicitur, quòd Iahacob claudicabat, femore ab Angelo tacto? An quia eue- Genes.32.
2. nire solet in pugna, vt victor quis fiat, etiam vulnere suscepto? An (vt ad mysteria
Vers. 31. cap.32. conscendamus) id factum est, vt victoriam, quam referre nequiuerat de Iahacob
sancto, haberet de filijs declinantibus? Per femur enim intelligitur fons, vnde
egressi sunt omnes filij Israël, qui sæpius in lege claudicarunt. Quemadmodum, & serpenti Genes.3.
dictum est, quod caput eius conterendum erat à semine mulieris, idest à Christo; & nihilo-
minus ipse serpens insidiatus est calcaneo ipsius Christi, idest Iudæ, vt alibi disseruimus.

VERBVM adorandi, quod tantùm apud Catholicos pro cultu diuino in vsu esse solet, ximus, an homo possit adorari.
שחה apud Hebræos verbo שחה Sàha, & Histacaue significari solet, quod est reuereri, & honorare
cum corporis inclinatione personam siue diuinam, siue angelicam, aut humanam; quomodo
Genes.19. & 42. Loth adorauit Angelos Gen.19. & Iacob Esau; fratres Iosephum Genes. 42. Sic enim fieri solebat ab
Quomodo verbũ adorandi sumatur apud Hebræos. Orientalibus, vnde Liuio teste lib. 30. legati Carthaginenses cernui, & adorabundi pacem à Romanis petierunt: id autem non solùm externam, sed
& internam reuerentiam, ac spiritualem cultum
Genes.23. & 24. & 47. Exod.23. significat, quem Deo exhibemus: sic enim Gen. 23. & 24. Abraham adorauit Dominum; & 47. Israël
Deum adorauit. Exod. 23. non adorabis deos alienos. Fiebat autem adoratio tam actibus, quàm
verbis externis quintupliciter, vt notat Perer. Pri-
Quintuplici modo fit adoratio. mò corpore prostrato ad terram; vt propheta Na-
3.Reg.1. than ante Dauidem adorauit 3. Reg. 1. Secundò
modica capitis, & corporis inflexione, quod nos
inclinationem mediocrem appellamus. Tertiò per
genuflexionem Isai 45. *Mihi curuabitur omne genu;* Isai. 45.
& 3.Reg. 19. 7. *millia virorum nondum incuruauerunt genua sua ante Baal.* Quartò manus deosculaban-
Plinius. Genes. 31. tur; de quo Plinius lib.26. cap.2. & Iacob Genes.31.
Si vidi solem cùm fulgeret, &c. vbi secundùm He-
braeum legitur, & osculatus sum manum meam
ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio
contra Altissimum: cuius etiam D. Hieron. 1. lib.
Apol. aduer. Rufin. meminit: & psal.2. pro, *Apprehendite disciplinam,* Hebraicè legitur, osculamini
filium. Quintò denique tangendo genua, atque
Plinius. mentum apprehendendo, cuius meminit Plin. lib.
11. cap. 45. quomodo Homerus matrem Achillis
Vide quæstionẽ circa hæc verba *faciamus hominem ad imaginem, &c.* vbi di- Ioui supplicantem inducit. Quàm verò impiè lo-
quatur Illyricus, dum mentitur Theologos confi-
cta distinctione Duliæ, Hyperduliæ, & Latrię Ido-
lomaniam excusare voluisse, constabit ex quæ-
stione, quam excitabimus de adoratione in pro-
prijs commentarijs: & hanc distinctionem præ-
clarè tuebimur.

De Sechinam Veneti iam anteà egimus, ac proin-
de par esto iudicium de istis nugis, ac de cæteris;
facilè verò rationem poterat reddere, cur Iacob
adorasset septies, tametsi ad nugas Cabalistarum
non recurrisset. Quandoquidem istæ corporis in-
curuationes erant symbola reuerentiæ, qua Iaco-
bi animus erga Esau afficiebatur. Ipsi verò, quo-
rum adorare intererat, numerum, vt existimo, pro Cur septies Iacob adorauerit Esau
libito eligebant: legimus enim Dauidem ter ado-
rasse Ionathan Saülis filium 1.Reg.20. potuit etiam 1.Reg.20.
septenarius numerus indifferenter pro, multoties,
apponi. Præcipuum verò quod attendi debet, est,
quomodo fratrem vincat obsequijs, deiectione,
muneribus, ac blandis appellationibus, vt eum ad
reconciliationem prouocet: hîc autem omnia fi-
ctè ab Esau agi credunt Iudæi, quod tamen à veri-
tate videtur alienum, cùm ita cucurrerit, ample-
xatus fuerit, fixerit oscula, quodque pluribus fa-
ciendũ esse videtur, vnà fleuerunt; præterea Iudæi
dicunt Esau pauca locutũ instar superbi, & ea cum
quodam fastu protulisse; cõtrà verò Iacobum mul-
ta dixisse, & ea summa modestia, & humilitate.

Circa 238. problema, clarum est Venetum sem- Problema 238 discutitur.
per malum Angelum subintelligere, quo sublarò
ruit totum problema, vel saltem Angelum Esau,
qui conaretur expellere Iacob de terra Chanaan.
Quod attinet ad femur ab Angelo tactum, Hebraicè legimus Caph, quod Interpres noster fe-
moris neruum vertit: 70. habent latitudinem fe-
moris. Oleaster curuaturam, per quam designari Vatablus legit palam femoris, vel in pala כף ירך
potest coxendix, quæ luxata fuit, qua ischyo con-
nectitur: vocant enim acetabulum, cotylen, siue
cauitatem ossis, in qua summa pars femoris ab-
sconditur, cui caput tendine quodam iungitur:
neruum interpres vocauit, quem Angelus læsit
vehementi percussione, seu collisione: sic enim
luctantes quoquomodo solent euadendi causa

percutere, & dolorem inferre: sed plura fortè proprio loco de his dicturi sumus. Theodoretus autem ait ideo neruum ab Angelo tactum, quòd Iacob nimiũ sibi de sua virtute placeret, vt agnosceret victoriam Deo acceptam ferri oportere, potuisset enim facilè ab Angelo, si Deus voluisset, occidi: Notat verò Tostatus die proximè sequenti Iacob sanatum fuisse, vt sine claudicatione fratri suo iret obuiam. Sensum allegoricum, & tropologicum habes apud Philon. lib. 1. de præmijs, & pœnis: D. August. 16. de Ciuit. cap. 39. & serm. 80. de tempore. D. Greg. 4. moral. in illud cap. 3. Ibi cessauerunt impij à tumultu, & 14. hom. super Ezechiel. quos ad longum Pererius retulit. Philo.

PROBLEMA CCXXXIX.

CAPVT XXXIV. 1. Versic. 2. 2.

VR permissa fuit violari Dina? An quia libero arbitrio donata sese periculo sponte exposuit? vnde exardescere fecit concupiscentiam illorum in se. Et hoc, vt vnaquæque mulier discat (sicut Hieronymus scribit) prudenter vitare periculum. Nam, inquit Sapiens, qui amat periculum, peribit in illo. An (vt altiùs conscendamus) quia Dina significat Din, idest iudicium Dei seuerissimum, contra Sichimitas excitatum? Sicut excitatum aliquando fuit in populum Israël, adeo vt motus fuerit Dauid ad numerandum populum. Nam ex huiusmodi numeratione secuta fuit maxima strages in ipsum populum, vt in 2. Regum volumine, & in 1. Paral. legimus. Sicut igitur enumeratio populi à Dauide facta, fuit occasio seueræ punitionis populi sic merentis: sic egressio Dinæ fuit occasio seueræ punitionis populi Sichimitæ. Genes. 34. Eccles. 5. 2 Reg. 24. 1. Paral. 25.

Quid significet Dina & Din.

PROBLEMA CCXL.

1.

VA iustitia fuit adeò seuerè punitus populus ille, cùm Deus diu dissimulet peccata hominum, & nunquam puniat immeritos? Nonne mala horum merita Zohar elicit à nomine principis ipsorum, qui Chamor dicebatur? Chamor enim asinum significat; animal quippe stupidum & immundum. Horum autem peccatum fuit, nedum multigenum scelus; quod committeret populus sine lege, & sine fide (sicuti ex textu colligi potest) sed nimia temeritas. Nam ipse populus immundus, & asininus præsumpsit se coniungere populo mundo contra decretum cœli in Deuteronomio descriptum. Non arabis in boue, & asino simul. Hinc sicut Ioseph à Mose taurus denominatus præualuit, & subiugauit Ægyptios (qui asini dicuntur, vt in Ezechiele scriptum est. Carnes asinorum, carnes eorum) sic Simehon, & Leui subegerunt, & deuastarunt asinos Sichimitas. Zohar enim Simehon taurum vocat. Nam maximè conuenit secundogenitus cum secundo signo cœlesti: Et quod fuit Simehon ordine naturali, fuit Ioseph priuilegio. Hinc enim series, & ordo cœlestium describitur. Genes. 34. Genes. 34. Deuter. 22. & 23. Ezech. 23.

Quid sit Chamor.

A versic. 25. vsque ad 30.

VNDE obsecrò Venetus collegit in 239. problemate Dinam sese exposuisse? quomodo se exposuit quæ rapta est? quomodo si voluntariè sese obtulit, Hemor vi oppressit virginem? aut, vt paraphrastes habet, violauit eam? Iudæi putãt non tantùm Iacobi patientiam exerceri, verùm etiam eius arrogantiam puniri, quæ in eo fuerit, quòd dixerit Laban. *Respondebit mihi hodie iustitia mea*: deinde, quòd filiam suam, dum iret per fines terræ Edom, ac fratri esset occursurus, illi celatam voluit: nam si excutias locum, vbi describitur filios cum matribus collocasse Gen. 32. v. 2. nulla Dinæ fit mentio. Timuit enim, si illam vidisset Esau, ne esset petiturus in vxorem, quo coniugio emendandus, & conuertendus esset ad Dominum: eò igitur quòd istam gratiam fratri subinuiderit, in hoc malum incidit, vt qui eam dare circumciso homini, & fratri noluit, eam ab alieno vi corrumpi, & detineri viderit.

Impiæ Iudæorum opiniones.

Postremò vt aiunt, quando altare extruxit, non ipse altari nomen indidit, Deus fortis Israël, sed Deum volunt Iacobo nomen illud imposuisse, vt sicut Moses Deus Pharaonis est nuncupatus, ita & ille Deus vocaretur. Quare putant hoc titulo elatum modò non iniuria castigari. Quæ omnia falsa sunt, & impia, nec Iacobo, sed altari nomen illud inditum est, vt de altari Gedeonis legimus in libro Iudicum.

Causa violationis Dinæ.

Vera igitur causa cur Dina violata fuerit in peruersam Sichem voluntatem regerenda est: tametsi vagatio, & curiositas adolescentulæ occasio fuerit, prout sæpiùs à mulieribus fieri solet teste Salomone Prouerb. 7. & 9. Fortè autem in illa ciuitate festum aliquod, vel nundinæ celebrabantur, quo tempore discurrunt mulieres, partim vt videant, partim vt emant: fortè etiam cum indigenis mulierculis amicitiam contraxerat, vt iam frequentet ad vrbem accederet, & illas inuiseret.

Problema 240 discutitur.

In sequenti problemate nugatur cum Zohar, nec enim vel deuicti sunt, vel populo Dei non fuerunt coniungendi, quòd חמור chamor asinum significet, sicut, & rem quamlibet turbidam, & rubicundam: sed quia non ita Deus decreuerat: hæc proinde nugamenta, sicut & ea, quæ circa finem de secundogeniti cum secundo signo cœlesti & conuenientia subiungit, ridenda sunt, & explodenda: nec quidem sine magna impietate in astra, aut vim nominum referri possunt, quæ à diuina prouidentia, & ordinatione procedunt.

PROBLEMA

PROBLEMA CCXLI.

CAPVT XXXV. 1. 2. 3. 4. Versic. 2.

VIBVS dixit Iahacob, veniens in Bethel, Abijcite Deos alienos? An id dixit filijs suis & vxoribus? An seruis, & ancillis, quos plurimos habebat? An aliquibus Sichimitis, quos subiugauerat? An (vt opinor) omnibus dixit, vt amouerent non tantùm idola, & sculptilia, sed omnem cultum, & affectum extraneum, & in solo Deo spem ponerent; qui ipsi eunti in Padam Aram in somnis locutus fuerat. Ipsum enim iam comprobauerat esse verum Deum, cùm omnia expleuisset, quæ in somnis promiserat. Hinc ipsi altare erexit (sicut spoponderat) vt gratias ageret de beneficijs acceptis; ibique erexit titulum lapideum, idest firmam, & stabilem fidem in Deum, superfundens libamina, idest cultum omnem conuenientem. Genes. 35. Genes. 28. Ibid. 35.

PROBLEMA CCXLII.

1. 2. Versic. 5.

VR scriptum est, quòd terror Elohim inuasit omnes ciuitates illas? An quia Deus semper fauet ijs, qui eum fideliter colunt? An vt denotaretur hæreditas, quam à patre suo Izahac susceperat? De quo iam dixerat. Nisi terror patris mei Izahac affuisset mihi, forsitan nudum me dimisisses. In cuius terroris possessionem intrauit, quando præualuit contra Hesau, & intelligentiam ipsius cum eo luctantem; & quando per filios suos subiugauit asinos Sichimitas, in quibus collectus erat inferior, & immundus influxus ipsius loci pauoris, ac terroris. An quia rectè se habebat Iahacob, cùm Deo, & Spiritusancto plenus erat? Hinc erectum super eo Dei vexillum hostibus, & extraneis terrorem incutiebat; sicut de multis legimus. Genes. 31. De terrore panico vide Delrium tom. 1. adagior. sacrorum. Exod. Deuter ex Iosue 2. πανικὸν δεῖμα.

PROBLEMA CCXLIII.

1. Vers. 4. c. 49. & 22. cap. 35. 2.

VR Reuben dicitur maculasse torum paternum? An quia habuit rem cum Bala concubina patris sui, vt in Genesi dicitur? *Sed (teste Zohar) non concubuit cum ea concubitu carnali. Nam textus non dicit, dormiuit, sed iacuit.* An *igitur*, quia impediuit cubiculum paternum arte, & industria quadam, ne pater vlteriùs haberet filios ex concubinis, quos volebat esse pares cum filijs vxorum? Quod tamen fuit in iniuriam patris. Hinc pater diligebat Ioseph super omnes filios suos, non tantùm quia (vt in textu dicitur) ipsum in senectute genuerat, sed quia pacificè conuersabatur cum filijs Balæ, & Zelphæ vxorum patris sui. Et quia Ioseph habebat eos tanquam legitimos fratres, ideò Bala & Zelpha hîc vocantur vxores. Verùm quia Reuben nolebat huic rei acquiescere, habens eas tanquam concubinas, idcirco quæ in negotio Ioseph vocatur vxor, in facto Reuben vocatur concubina. Peccauit itaque Reuben præuertens ordinem cœli, quem pater Iahacob Deo plenus prosequebatur. Vnde punitus fuit breuitate vitæ, & prolis diminutione. Nam ei dictum fuit: Non crescas, quia maculasti torum patris tui. Et paulò superiùs, effusus es sicut aqua. Genes. 49. Ibid. 35. Ibid. 37. Ibid. 49.

Quare Iacob magis diligeret Ioseph.

CIRCA problema 241. aduerte probabilius esse suis tantùm dixisse, atque præcepisse, vt idola abijcerent, siue quæ de Labani domo fuerant asportata, siue quæ à Sichimitis rapuerant; quæ tametsi in communem vsum, aut etiam Dei cultum conuertere potuisset Iacob, vt contra Tostatum aduertit Cornelius, maluit tamen infodere, ne vlla ampliùs suis occasio posset adesse, vt quandóque ad idololatriam reuerterentur; & quidem probabile non est, quod ait Cornelius nondum idola Labani, & idololatriam à familia sua abiecisse; quis enim credat tam sanctum patriarcham hoc scelus apud suos tamdiu permisisse, cùm iam à discessu suo ex Haran nouennium in terra Chanaan confecisset, vt ipse notat? itaque probabilius est id intelligi de idolis, eorúmque inauribus, philacterijs, armillis, dextralibus, periscelidibus, &c. Notat Abulensis idola ista fuisse Iouem, Martem, & Priapum mares; fœminas verò Iunonem, Mineruam, Berecynthiam, & Venerem; quorum omnium ornamenta metallica liquefecerit Iacob, & in fossam immiserit, vt in viscera terræ penetrarent; quod aurum, & argentum à Dauide postea inuentum fuisse, & in vsus templi Salomonici conuersum ex Historia Scholastica recitat. Quod in fine addit, explicans titulum lapideum de stabili fide, & libamina, quæ sunt oleum, de cultu conuenienti, id tropologicum est: sed literalis sensus imprimis retinendus fuit, & instar basis anteponendus. Cornelius. Quænam idola suos abijcere iusserit Iacob Abulensis. Historia Scholastica.

Discutio 242. probl.

Miror quòd censores in 242. problema non aduerterint; cum supponat adhuc intelligentiam Esau cum Iahacob pugnasse, & ad nugas reuerti

Nugæ Cabalisticæ.

videatur, cùm describit modum, quo ingressus fuerit Iacob hæreditatem terroris, & timoris Domini; & quando influxum immundum in loco terroris collectum esse ait: idemque de vexillo Dei super Iacob erecto dicendum est, in quo tametsi character diuinæ gratiæ impressus esset, nil tamen in eius facie legimus exterius apparuisse, quod vexillum Dei dici mereretur, quanquam, si Deo placuerit, id factu admodum facile fuerit. Attamen potuit in eius facie nonnihil deprehendi, quod in iustorum facie resplendere solet, videlicet nescio quæ lętitia, gratiæ diuinæ frequens comes.

Probl. 243.

Fagius.

Ex 243. delet Index, quę sequuntur post illa verba, *Vt in Genesi dicitur*, vsque ad *An igitur, quia impediuit*, exclusiuè, & auferunt, *igitur*. Refert Fagius Hebræos existimare Rubenum cum Bala nõ concubuisse, sed tantummodo lectum eius turbasse;

Opinio Hebræorum quòd Rubẽ non dormierit cum Bala.

qui cùm vidisset Rachele mortua lectum eius non in tabernaculum matris suæ Leæ, sed in tabernaculum Balæ Rachelis ancillæ translatum esse, iudicauit matrem suam non vsque adeò amari à patre suo; quapropter volens præpostero quodam zelo matris suæ contemptum vlcisci, magno cum furore lectum illum turbauit, & destruxit; quod tamen scelus æquè Scriptura exaggeret, ac si Ruben patris concubinam stuprasset, violentérque

Quantus Rubeni furor.

compressisset: Sic Iudæi quidam facinus istud pręposterа quadam religione excusare nituntur, vt stupri crimine leuent eum; quapropter aquis effusis, quæ diruptis aggeribus erumpunt, Rubeni furorem comparari volunt. Complutensis editionis author, (addit Fagius) ad libidinem respexisse videtur; dum habet, sed quia secutus es voluntatem tuam: ac si id textus innueret, & diceret Iacob, Tu Ruben primogenitus eras, ideóque fortis esse debebas; sed cùm pessimè tua fortitudine abusus sis, indulgendo prauis affectibus tuis ad fœdam libidinem te solicitantibus, à quibus superatus es, ideóque prærogatiua tua non fruêris, sed à te ius primogenituræ, sacerdotium, & regnum transferetur: nempe ius primogenituræ ad Ioseph; sacerdotium ad Leui, & regnum ad Iudam,

Refellitur præcedens opinio ex Complutensi.

Thargum Hierosol.

vt etiam habet Thargum Hierosolymitanum: Itaque dicendum est contra Zoaram, eiúsque sectatores Ruben incestasse nouercam; vnde nec vnquam postea Iacob ob tam fœdum scelus Balam attigit, sed eam deseruit, inquit Aben-Ezra & Kimhi; sic etiam Dauid concubinis abstinuit, quas Absalon incestarat 2. Reg. 16. faciunt autem Ruben Synagogæ, vel hæreticorum figuram Isidorus, & Rupertus. Quæ omnia confirmantur ex 1. Paralip. cap. 5. in quo dicitur primogenita Ruben Iacobo data fuisse, quòd Ruben thorum patris sui violasset. Cùm additur, *non crescas*, id de tribu Ruben intelligendum est, quæ fuit exigua numero, vnde Deut. 33. Moses ait, *Viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero*; quapropter Iacobi prophetia non sunt diræ, quas hîc Moses reuocarit, vt contra Euseb. Delrius aduertit. Vide mira de pœnitentia Ruben in libro testamenti Patriarcharum cap. 1. Notat hîc Pererius Ruben tunc nondum 24. ætatis annum attigisse, cùm stuprum perpetrauit: & D. Paulus 1. ad Cor. 5. notat flagitium illud etiam inter gentiles esse probrosissimum; id autem euenit ante venditionem Iosephi 7. annis Rubeno iunioris.

Aben-Ezra. 2. Reg. 16. Isidor. Ruper. 1. Paral. 5. Deut. 33. Liber testamenti Patriarch. 1. ad Cor. 5.

Steuchus.

Perperam Venetus ait in textu non haberi, *dormiuit*, sed iacuit, quandoquidem vulgata editio, quæ sola verus textus dicendus est, habet, *dormiuit* cap. 35 vers. 22. vbi notat Steuchus post illa verba, minimè illum latuit, 70. addere ἡ πονηρὸν ἐφάνη ἐναντίον αὐτου, idest: Et malum visum est in oculis eius; quòd in Hebraicis codicibus non inuenitur. Adde quòd 70. multis in locis verbum שָׁכַב Sacab vertunt per κοιτάζομαι, ἀφυπνόω, & καθεύδω, quæ dormire significant.

PROBLEMA CCXLIV.

Genes. 35.

CVR post concubitum Reuben cum Bala, statim subinfertur, Erant autem filij Ia-
1. hacob duodecim? Nonne hæc enumeratio describitur, ne quis suspicaretur, quòd propter tale facinus familia illa duodenaria Israëlis diminuenda esset? Nec enim ab hac familia, cuius pater non peccauit, detractus est numerus; sed ex familia illius, qui culpam commisit. Et quàm optimè punitus fuit filius, qui peccauit in patrem diminutione vitæ, vel prolis, quia originem, & fontem vitæ, & prolis naturalis offendit.

Versic. 22. exponitur.

PROBLEMA CCXLV.

Versic. 20. discutitur.

CVR Iahacob erexit titulum super sepulchro Rachelis? An vt pateret sepul-
1. chrum eius in æternum? Nam textus dicit: vsque in præsentem diem. Quod verbum in sacra Scriptura denotat æternitatem. Hinc huiusmodi sepulchrum vsque hodie erectum manet (vt proprijs oculis vidimus) in via Euphratæa, quæ videlicet ducit ab Hierusalem in Bethlehem. An erexit lapidem, idest fidem (vt supradictum est) in titulum, idest in memoriam vitæ contemplatiuæ, cui
2. semper adhæsit, & cui seruiuit? Nam etsi anima Rachelis abijt, non tamen recessit numen illud, quod ipsa Rachel referebat præparatum filijs Israël, vt Zohar sentit. Quod numen potissimè fulgebit, quando reliquiæ Israël saluæ fient, vt Isaias cum Paulo testatur. Pro quibus illuc vsque plorat Rachel, & consolari non vult, vt Ieremias narrat.

Zohar. Fabula Cabalæa. Isai. 10. Ad Rom. 9. Ierem. 31.

PROBLEMA

PROBLEMA CCXLVI.

Gen. 35. *Versiculus vltimus.*

1. CVR scriptum est, quòd Hesau, & Iahacob sepelierunt Izahac patrem suum? An
2. vt denotetur pietas debita filiorum in patrem? An vt innuatur, quanta concordia fuerit inter ipsum Hesau, & Iahacob adeò priùs dissentientes? Sed vnde hoc? An
3. quia placatus fuit Hesau muneribus illis, mysterioso numero oblatis? An quia (cùm ipse
4. Iahacob debellasset intelligentiam Hesau) tranquillè fruebatur benedictione, iure, ac dispositione diuina sibi comparata?

Problema 244.

IN 244. supponit, quod iam antea dixerat, nempe Ruben stuprum non commisisse, sed tantùm impediuisse, ne cum Bala Iacob dormiret: quem fontem vitæ vocat, à quo nimirum vitam acceperat; sed ex dictis patet, quid ad hæc dicendum sit.

Et 245. discutitur.

In 245. supponit Rachelis mortem, quæ anno mundi 2306. contigit; illa enim in partu Beniamin mortua est. Iudæi eius obitum referunt in eius furtum, adeout hîc mortua fuerit, quòd idola patris subripuisset, cuius furti authorem Iacob morti deuouerat, sed id sine fundamento balbutiunt, vt suprà dictum est. Monumentum verò, seu titulus, quem fecit Iacob ex 12. magnis lapidibus conflatũ

Vbi sit Rachelis sepulchrum.

esse dicunt in memoriam 12. filiorum suorum, ita tamen, vt lapis, qui in titulum erectus esse dicitur, in pyramidem desinat; cuius mentio fit à Samuele annis abhinc 650. 1. Reg. 10. Hoc autem sepulchrum est circa Bethleem, cùm Burchardus affirmet à Bethleem tantum distare, quantum arcus vnus iacere solet; à Bethleem verò ad Hebron Adrichomius 7. horarum iter constituit, apud quem Breidembachius refert inueniri iuxta sepulchrum lapillos quosdã omnino nigros, quos ideo peregrini colligũt, quòd mulieribus ad faciliorem partum conducere dicantur. Seder Holam habet Rachelem, & Liam geminas fuisse, eodémque anno ætatis 22. in matrimoniũ acceptas fuisse; adeout 15. annorum fuerint, quando Iacob Rachelem in matrimonium petijt, vt cùm mortua est, annum 45. egerit; si enim 22. nata fuit annos, cùm eam Iacob ætatis suæ 85. anno duxit, debuit esse 45. annos nata, cùm Iacob centesimum, & octauum annum ageret: Eius epitaphium vide apud Salianum tomo 1. Annal. Ecclesiast. Vixit, inquit, in domo paterna annos 35. in coniugio 23. omnino 45. ante ortum V. Mariæ, cuius figura fuit, 1742. Nugatur autem Venetus cum Zoardo, & numine Rachel, quòd aliquando refulsurum sit; ecquod obsecro numen? an ipse Deus? sed quomodo Deum, aut numen magis quàm Iacob referebat Rachel? His itaque relictis ad 246. problema gradum faciamus, in quo de morte Isaac sermo est, qui anno mundi 2318. ante Christi ortum 1735. cùm ætatis annum 180. ageret, è viuis excessit, sepultúsque est cum Rebecca coniuge sua in spelunca duplici, quam emerat Abraham; in qua & ipse cum Sara sepultus est; Isaac autem vltra 40. annos in tenebris vixit, & à patris morte anno 105. mortuus est. In fine repetit iterum intelligentiam Hesau, quam suprà reiecimus.

1. Reg. 10. Burchardus. Adrichomius. Breidembachius. Seder Olã. Epitome vitæ Rachelis. *Problema 246. discutitur.* Annus, & ætas, quibus Isaac è viuis excessit.

PROBLEMA CCXLVII.

1. Capvt XXXVI. *Versiculus 1. & deinceps.*

CVR post mortem Izahac statim describitur genealogia Hesau? Nonne (vt Zohar sentit) quia non succedebat in vera hæreditate patris, sicut Iahacob? Cuius generatio ideo viuente adhuc patre, recensetur. Hinc ipse Hesau reliquit omnia, quæ patris erant; ipsam etiam speluncam duplicem quam auus Abraham tanta celebritate emerat in ius, & possessionem sepulchri. Quod quidem negotium à Zohar summoperè obseruatur. Ipse verò Hesau secessit in Sehir, locum vtique sibi conuenientem: vt suprà dictum est. Ibique sepultus est, relicta hæreditate, & sepulchro Iahacob vero successori.

Gen. 36. Gen. 23. Gen. 36.

Quare genealogia Esau describatur.

NON est mirum si genealogia Hesau describatur, nam ad historiæ certitudinem facit; antea siquidem Ismaëlis genealogia recensita fuit, quò vera demostraretur promissio facta Abrahamo de illo. Quomodo nunc existimare possumus de benedictione, qua Isaac Esau prosecutus est? huic enim bona naturalia pędixerat, scilicet rorem cœli, & terræ pinguedinem, & quandóque futurum, vt à fratre iugum excutiat. Ideóque nobis ostenditur, quid de eo factum fuerit, vbi habitarit, quíue homines ex illius semine deriuati sint. At post hãc narrationem statim dimittetur, quia in eius gente miracula non floruerunt, non fuit lex lata, non religio viguit, neque (quod summum est) ibi Christus natus est, propter quem hæc omnia nobis describuntur. Summa verò totius genealogiæ hæc est, vt imprimis explicetur, quos filios, & quibus ex vxoribus Esau susceperit. Secundo loco duces, regésque connumerantur, qui ex hac stirpe emersérunt. Demùm illi recensentur, qui ad Seir pertinent, qui fuit antiquus huius montis cultor, & dominus, cuius generi matrimonio se Esau admiscuit; hinc factum est, vt ipse postea omnem illam terram, & possederit, & à seipso Idumæam appellarit. Hæ verò generationes iterum 1. Paral. 1. recensentur; quandoquidem Idumæi cum Iudæis in vnum coalituri erant; vnde & illos Deus pro fratribus haberi voluit, Deut. 23. Quod autem facit

1. Paral. 1. Deuter. 23.

in genealogijs istis difficultatem, oritur ex diuersis nominibus, quibus eadem persona solet exprimi, adeout in vno loco vno nomine, in diuerso loco altero nomine non rarò quis nuncupetur.

Venetus ait Esau mortuum fuisse in Seir; at malè citat hoc caput in eius rei confirmationem, cùm obitus illius in toto capite non habeatur; quem ex testamento Patriarcharum c. 4. Salianus in annum mundi 2325. refert. Obit Esau quo anno mundi.

SECTIO IIII. DE IOSEPH, ET DESCENSV ISRAELIS IN ÆGYPTVM.

PROBLEMA CCXLVIII.

1. CAPVT XXXVII *Versiculus 1. explicatur.*

VR antequam deueniatur ad Ioseph, & Iehudam præmittitur, Et habitauit Iahacob in Chanahan, vbi peregrinatus est pater eius? Nonne terra Chanahan dicitur terra fluens lac, & mel; & inde plena pietate, ac dulcedine, & voluptate supramundana, repræsentans eam, quæ sursum est, Ierusalem, quæ, teste Apostolo, est mater nostra? Hinc Izahac totus durus, & seuerus, ibi peregrinatus est. Iahacob autem lenis, habitauit, ac possedit eam; sed potissimè, quando Ioseph, qui Zadic, idest iustus dicitur, adoleuit. A mensura enim iusti, idest fontis iustitiæ, ac vitæ, Ioseph traxit suum influxum; & erat tanquam baculus Iacob. Hinc Iahacob, benedicens ipsum Ioseph, dixit. Inde egressus est pastor, lapis Israël, lapis inquam, sustentaculi, & fundamenti. Gen. 37. Ad Galat. 4. Gen. 49.

PROBLEMA CCXLIX.

1. *Versiculus 2. exponitur.* 2. 3.

VR Scriptura, describens generationes Iahacob, cœpit à Ioseph? An quia ipse fuit fundamentum, lapis, & pastor illius familiæ? Pastor, inquam, nedum alimoniæ in Ægypto præstitæ. sed præbens aquam viuam, & nutrimentum spiritus, cuius ille cibus in Ægypto præstitus figura fuit. Inde enim fuit Ioseph, vbi est aqua vitam præbens. An (vt Zohar docet) quia Ioseph erat primogenitus? Nam erat primogenitus Rachelis, omnibus mulieribus prælatæ; pro qua Iahacob seruiuit, & cui priùs animum addixerat, quando concubuit cum Lea. Hinc iuxta intentionem Iahacob, primogenitus Rachelis, erat primogenitus eius. An quia (teste eodem Zohar) Ioseph fuit vinculum solis cum luna supramundana, vnde veniunt generationes inferiores? Propterea, & effigies Ioseph (vt ipsemet Zohar ait) Iahacob effigiem penitus referebat. Gen. 37. Gen. 29.

OPTIME Moses Iacobi præmisit historiam, vt ad eius successorem transitum faceret; rapitur autem Venetus ab allegorijs, quas in terra Chanahan reperit; sed quæ de tanta Isaci duritie, déque influxibus, quos Ioseph attraxit, postea subiungit, non placent, vtpote fictitia; quæ tametsi bono fortè sensu explicari possent, nimis coacta sunt, & magis Zoardicis apertè fauent. Quæ in fine habet de Ioseph, qui dicitur lapis, &c. confirmatur, Ecclesiastici c. 49. Si quæ subiungit in sequenti problem. de Ioseph, velit ad Christum allegoricè transferre, placet admodum; Christus enim verè se præbuit aquam viuam, & panem, qui Spiritum nutriat. Quod verò refert, & approbare videtur, ex Zohar, de vinculo solis cum luna valde ridiculum est: & quod de effigie Ioseph, gratis asserit.

PROBLEMA CCL.

1. 2. 3. 4. 5. *Versiculus 3. explicatur hoc & sequenti problemate.*

VR Iahacob adeò diligebat Ioseph? An (vt in textu dicitur) quia ipsum in senectute genuerat? An quia propriam effigiem magis expressam in eo cernebat, vt nuper dictum est? An quia mores habebat magis patri similes, quàm alij filij? An quia sicut pro se, & familia Ioseph traxit alimentum corporeum, ita trahebat alimentum spiritus, & vitæ melioris, vt supradictum est? An quia ipse attrahebat influxum generationis, & multiplicationis? Et ideo ipse habuit duas tribus, quarum altera, scilicet Ephraim creuit valde. Hinc non sine causa mater vocauit eum Ioseph, quod est augmentum. Gen. 37.

PROBLEMA

PROBLEMA CCLI.

1. Tres rationes cur Iacob plus amauerit Iosephum. 2. 3.

VR Iahacob fecit Ioseph tunicam polymitam? An dedit ei tunicam polymitam, idest multicolorem, in testimonium multarum virtutum, quibus Iahacob decorauerat ipsum præ alijs fratribus? Hinc & ei dedit partem extra fratres suos, quam tulerat de manu Amorrhæi in gladio, & arcu suo. An quia hauriebat ipse influxum ex varijs fontibus, sicut, & pater? Hinc ipse Iahacob, vt pecuarium influxum attraheret, virgas varias in canalibus posuit? An quia attrahebat varios influxus, pro se videlicet, ac fratribus, nec non, & pro tota familia? Vnde ipsius familiæ, imo & patris proprij pastor præcipuus fuit. Gen. 30. Ibid. 37. Ibib. 48. Ibid 30.

Quare filij in senectute geniti magis diligantur, varia rationes. Quinque rationes cur Iacob magis Iosephũ, quàm alios dilexerit.

CIRCA 250. problema notandum est ideo filios in senecture genitos magis diligi, quia cùm parentes, si paulo post morituros coniectent, iam in illis se reuiuiscere plurimùm gaudent; vel quia mortem adhuc abesse existimare possunt, cùm filios gignere sit non leue indicium vigentis, & adhuc robustæ valetudinis. Denique quamuis nos omnia, quæ nobis prospera eueniunt, delectare soleant, illa tamen, quæ ex insperato contingunt, vehementiùs cæteris nos commouent, & mira voluptate perfundunt: at grandæuiâ ætate gignere non ab omnibus speratur, imo succedentibus annis, procreationis spes abijcitur. Veruntamen cùm Beniamin ex eadem matre natus fuerit, cùm Iosephus iam antea susceptus esset, huius amoris vehementiotis non videtur reddita plena, & integra causa; possumus igitur addere hoc tempore, quando ista euenerunt, Beniamin fuisse admodum paruulum, & fortè adhuc inter nutricis vbera, quare parentem suum non admodum oblectat. Adde quòd tametsi postremò natus esset Beniamin, attamen eius aspectus patri referebat Rachelis matris mortem Iacobo maximè tristem, & luctuosam. Aliqui dicunt ideo tantoperè dilectum fuisse, quòd esset filius senectutis, idest senex, non quidem ætate, verùm prudentia, & morum grauitate, quod illi conciliabat patris beneuolentiam; quem sensum interpres Chaldaicus sequitur; licet Nahmanni aliud scribat Iosephum inter cæteros fratres fuisse ad hoc delectum, vt seni, & decrepito patri ministraret; cum enim alij sunt maiores natu, & egrediuntur ad obeunda familiæ munera, vt pro tẽpore opus fuerit, minores natu domi parentibus ministrãt, & qui à parente deputatur ad hoc, vt patri inseruiat, dicitur, (vt iste arbitratur) paternæ senectutis filius. Quæ de influxuum attractione subiungit Venetus ad eadem pertinere videntur, ad quæ cætera, quæ iàm anteà dixerat de ijsdem, & proinde simili modo contemnenda sunt; nisi fortè per illos influxus Dei gratiam, & fauores intelligat, quos à liberali manu Dei Ioseph suscipiebat: quos eatenus attrahebat, quatenus se vel illis dignum reddebat, aut saltem non indignum, ex eo quòd concessis non abuteretur: prout etiam problema sequens quodammodo explicare valemus, vbi de ijsdem influxibus loquitur, quod alioquin reijciendum est. Nahmãni. Attractio influxus bene explicata.

Fecit autem ei tunicam polymitam, seu versicolorem: vbi Hebræus habet כתנת, quod manum quandóque significat: Chaldaicè verò gressum, aut passum: Syriacè כתנא passa significat plantam pedis. Rabinicè volam manus: propriè tamen כתנת Hebraicè idem est, ac defecit: פסים passim, quod hîc habetur fila, seu res varijs filis, seu licijs versicoloribus intertextas significat, qualis est tunica polymita, & variegata; vt enim פסים est trilix, seu trium liciorum vestis, ita πολύμιτος est multilix? Aquila vertit talarem; Symmachus manicatam: qua veste Philo ait l. de Ioseph, seu viro politico, & ciuili, multiformem principis prudentiam repræsentari, adeout πολυφυής esse debeat. Quia verò פסים significat etiam frusta, inde fit, vt aliqui censuerint vestem Iosephi ex multis frustis, seu particulis, vel etiam pilis, aut filis diuersi coloris contextam fuisse: 70. habent ποικίλην variam, quæ Romanis multitia dicebatur, Aquilæ Græcum habet ἀσημάλειον. Tunica polymita quid כתנת quid significet tam Hebraicè, quã Chaldaicè, & Rabinicè. Quid sit vestis polymita, & de varijs illius nominibus. Philo.

Præter causas amoris, quas retulimus, ob quas Iosephus amabatur, eique polymita dari potuit, addere possumus, quod Hebræi notant, videlicet vnum Iosephum complexum esse omnem dignitatem, atque excellentiam cæterorum fratrum. Etenim habuit Ruben hoc, vt esset primogenitus; id fuit in Iosephum translatum. Ad Iudam regnum pertinuit, Iosephus instar regis in Ægypto fuit præpositus. Vendicabat sibi Leui prophetiam, Iosephus quoque est vaticinatus, idque non modò in somnijs suis, sed aliena interpretando. Ad eum quoque defluxit sapientia Issachar, cùm Pharao illi dixerit se minimè posse virum tam sapientem inuenire. Deinde conueniebat eum præ cæteris diligi, ex eo quòd, inquiunt, præ reliquis in omnibus ferè patrem retulerit: quandoquidem sicut Iacob à fratre persecutionem passus est grauissimam, ita Ioseph pessimè à fratribus exceptus est. Matrem vtrique sterilem habuerunt; & vtraque duos duntaxat peperit: Ambo duxerunt vxorem ex aliena regione: Iacob Mesopotamiam, Ioseph verò Ægyptiam habuit. Item peregrini, atque in alieno solo filios procrearunt. Vterque eorum pastorali officio incubuit: somnia mira ambo habuerunt; Iacob Dominum scalæ innixum, Angelósque ascendentes, & descendentes; Ioseph verò solem, lunam, & stellas, &c. vidit. Vtrique dominos suos, quibus seruierunt, reddiderunt diuites, & fœlices: Iacob Laban, Ioseph verò Putipharem, & Pharaonem. In Ioseph fuit omnis fratrum dignitas. Parallellissimus Iosephi cũ patre Iacobo in 12. rebus.

Vterque in Ægyptum descendit; illic obijt; balsamo, & vnguentis illorum cadauera inuncta; tandémque extra Ægyptum ambo tumulati: sed de hoc problemate satis; alia enim in proprijs quæstionibus addi poterunt: vt an liceat patri filium vnum præ alio diligere, idque maioribus præstitis beneficijs declarare.

PROBLEMA CCLII.

1. DE quo scelere Ioseph accusauit fratres patri suo Iahacob? An de vitio contra
2. naturam, vt aliqui *insulsè* opinantur? An de concubitu cum bestijs? Sed Gen. 37.
3. nonne vtrumque facinus indignum fuit patribus tam celebratæ familiæ? An
4. igitur (vt alij sentiunt) accusauit solum Reuben, qui coïerat cum Bala? Sed Gen. 35.
5. nonne hoc iam innotuerat ipsi Iahacob, vt in textu dicitur? An itaque (vt
Versiculus 2. Zohar asserit) quia comedebant sanguinem iam Noeh prohibitum? An Zohar.
quia se exhibebant familiares mulieribus Chananæis? Nam hoc patribus semper admodum Gen. 9.
displicuit. *Nec enim de crimine peßimo habetur in veritate literæ, sed tantùm quod* detulit malam famam eorum patri, quia videlicet oblectabantur in latere immundo nondum bene initiati in rebus sanctis.

PROBLEMA CCLIII.

1. QVID est somnium stellarum, solis, ac lunæ, quod Ioseph fratribus narrauit? Gen. 37.
Versiculus 9. Nonne iusti stellæ nominantur, dicente Daniele, Fulgebunt iusti sicut stel- Daniel. 12.
læ? Cui adstipulatur Paulus, dicens. Sicut stella differt à stella in claritate, 1. ad Cor. 15
sic Sanctus à Sancto in gloria. Tunc autem verificatum fuit illud, quod scri-
ptum est, Sol (idest Iahacob, qui in sole habet tabernaculum suum, vbi &
Christus) obscuratus est (quia non nouit hoc) & stellæ, idest filij eius, non dederunt lu- Ioël. 3.
men, quia huiusmodi somnium non intellexerunt.

Deinceps sufficiat, quod delenda scribam Italicè.

IMPOSTERVM quæ censores deleri iusserunt ex problematibus Veneti, breuitatis ergò minimè notabo prout solebam in Obseruationibus, sed id literis Italicis pro more scribemus, quod idem prorsus significat ac si deleretur. Hîc autem ex problem. 252. deleri iubent, *insulsè*, quod proinde Italico charactere notatum est: deinde quod sequitur post, admodum displicuit, videlicet, *Nec enim de crimine peßimo habetur in veritate literæ, sed tantùm quod,* expungũt, & loco expunctorum substituunt, *Hebraicè.* Venetus meminit lateris immundi, quod sæpiùs cabalam redolere diximus; hîc autem agamus de crimine fratrum Iosephi.

Cuius peccati Ioseph fratres accusarit prima opinio.

Igitur præter rationes, quibus Venetus vtitur, aliqui rationem assignant, quòd dissidium inter se fratres haberent, itaut filij Liæ alios despicerent, & contemptui haberent, quasi vernas, & seruos suos, propter matrum conditionem, quòd ancillæ fuerint. At si accusasset eos dissidij, & simultatis, filij ancillarum debuerunt Iosepho adesse, ne venderetur, quandoquidem in hac causa illis patrocinabatur; qui tamen cùm ægro ferrent animo, quòd à patre præ cæteris diligeretur, quodque futurus esset aliorum dominus, inuidia tabescentes facilè contemnere potuissent, & obliuione sepelire id, cuius nomine plurimum illi debebant. Deinde cùm Ruben eum eripere voluerit, non est probabile, quod hoc fecisset, si filij Liæ accusarentur à Iosepho, vt contemptores aliorũ fratrum.

2. Secundam igitur rationem afferunt, Iosephũ fuisse conquestum, quòd se non vt fratrem haberent,

Theodoretus.

verùm vti seruum. Theodoretus verò censuit Iosephum accusasse fratres non de vnico crimine,

3. sed in vniuersum, quòd flagitiosam vitam agerent, & impuris, ac fœdis moribus essent, itaut apud alios malè audirent, & infames essent; quibus Hebraicus textus fauet, qui habet malam famam,

4. dibab. Addunt alij crimen fuisse, quòd contumeliosè, & criminosè de patre loquerentur, quòd eis Iosephum præferret. Quicquid sit, id Moses exprimere noluit, siue quòd illis pepercerit, siue quòd turpia illa prodere noluerit, nõ enim desunt, qui dicant eos cum ouibus suis, aut iumẽtis coïisse, erant enim pastores; siue quod id minimè nos ædificasset, tametsi expositum fuisset.

5. An Ioseph deferendo fratres patri peccauerit. R. Salamõ.

Vtrum verò Ioseph fratres suos deferendo peccauerit, aliqui disceptant: Nam R. Salomon lapsum dicit, & ideo postea dedisse pœnas, tum quòd est venditus, tum etiam quòd à Putipharis vxore tam fraudulenter, & dolosè accusatur. Alij tamen iuuenem innocentem asserunt, quod honesti zelo ductus fuerit, vt Israëlis familia purè, sanctè, & innocenter viueret. Credunt præterea Iosephum, antequam detulerit patri fratrum crimina, clam illos admonuisse, qui cùm minus profecisset, ad eum detulit, qui emendationem adhibere poterat, ita D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 7. ad 2. censuit, & post eum Abulensis. Veruntamen possit fortè quis eum accusare, si priùs secretò non monuerit, iuxta 12. Apoc. *Proiectus est accusator fratrum nostrorum.* Si enim fratrem coram omnibus corripis, qui peccauit in te, non es correptor, sed proditor, inquit D. August. serm. 16. de verbis Domini. Fortè enim D. August. præ verecundia incipiet defendere peccatum suũ; & quem vis correctiorem, facis peiorem. Multi enim, inquit D. Hieron. in 18. Mathæi, studio boni nominis, & metu infamiæ à flagitijs coercentur, qui si publicatis suis flagitijs infamatos se videant, quasi rupto, & abiecto fræno, toto impetu, & libertate animi ruunt in flagitia. Veruntamen etiam si priuatam admonitionem non adhibuerit, quod tamen incertum est, attamen non statim eum de peccato accusare velim: potuit enim priuata monitio inutilis esse, vel etiam pernitiem creare; vel enim eum derisissent, vel maiori odio prosecuti fuissent, ideóque priuatã exhortationem ex eadem

De ordine charitatis seruando, dum aliquis accusatur de crimine. D. Thomas

Quãdo priuata admonitio possit, aut debeat omitti.

lege

lege charitatis omittere debuit; qua fratres ad patrem detulit, non tantùm de vno crimine, sed de tota vita eos accusans, vt aliqui volunt. Hinc Sapiens monet Prouerb. 9. *Noli arguere derisorem, ne oderit te:* ad quod facit præclara D. Augustini sententia 1. de ciuit. Dei c. 9. quam referre poterimus, vbi de correctione fraterna in proprijs quæstionibus acturi sumus. Aduertit Fagius Hebræos hoc discrimen inter proferentem, & referentem infamiam, quòd prior id falsò & mendaciter faciat. Vnde Prouerb. 10. *qui profert conuitium stultus est;* posterior verò, qui verè defert aliquem studiò emendandi. Non est autem omittendum, quòd vbi Hebræus, & Chaldæus, imo & 70. habent in singulari, accusauit κατήγεγκεν, tam in biblijs Complutensibus, quàm Regijs; in Romanis, & Aldinis codicibus legatur in plurali κατήγεγκαν, vt sit sensus, Iosephum à fratribus accusatũ fuisse; quod Theodorus, Diodor. Cyril. D. Chrysost. & Isidor. Pelusiota legerunt, vt Deltius aduertit; qui mysterium in eo agnoscit, nempe Iudæos à Græco repræsentari, qui Christum accusauerunt; vel existimat illos à Iosepho quidem accusatos fuisse, ita tamen vt vicissim illum accusarint, vtpote recriminati. Eugubinus annot. in Genesim citat authores qui censent fratres istos ad patrem detulisse Iosephum, apud quem eum calumniari conarentur multis in ipsum accusationibus vtentes; Theodoretus tamen sic habet. ὁ Ἰωσὴφ διέβαλεν τοὺς ἀδελφοὺς τῷ πατρὶ ὡς ὄντας ἀκολάστους ὄντας. Damnabat Ioseph fratres suos apud patrem, eò quòd intemperati essent, & minimè modesti: Satis verò patet ex dictis quomodo Venetus erret, cùm Hebraicum textum editioni vulgatæ præfert, adeout illum vocet literæ veritatem.

Prouer. 9. D. August.

Fagius. Quid sit proferre & referre infamiam. Prouer. 10.

An fratres etiam Iosephum accusarint. κατήγεγκεν & κατήγεγκαν in eodem Scripturæ loco habetur.

Eugubinus

Theodoretus.

Problema 253. discutitur. In problemate 253. de somnio 2. Ioseph fit sermo, quando somniauit solem, lunam, & stellas sese ei incuruare; quæ patri, ac fratribus enarrasse putauit Iosephus historiæ Iudaicæ scriptor, quòd eorum interpretationem ab eis discere vellet; & patrem ei non modò fœlicitatem, quæ ei portendebatur declarasse, verùm & gratulatum fuisse tantam fortunam: quod sacris literis aduersatur, in quibus dicitur, quòd pater illum increparit, cùm iam vidisset cæteros filios irasci; & inuidere Iosepho, qui, vt ab illo odio, atque inuidia desisterent, Iosephum reprehendit, & somnium interpretando quadam ironia illius præ se tulit confutationem. Quod autem hîc difficile videtur, est, vt sensum literalem inuenire possimus; quod tam arduum existimauit D. Aug. q. 123. in Genes. vt nisi in mysterio, intelligi non posse insinuet, cui Rupertus l. 8. c. 22. suffragatur, qui propterea visionem illam de Christo explicat, cui curuabitur omne genu, quandoquidem in nomine Iesu omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, ad Philip. 2. ad Roman. 14. Isai. 45. Relictis autem diuersorum authorum sententijs, cùm satis constet c. 42. & 43. fratres eum adorasse, sufficit; si quomodo pater, & mater luna, soléque repræsentati, eum adorauerint; explicemus; quod ita Pererius intelligit, vt existimet eum quidem adoratione dignum fuisse ob tantum dignitatis fastigium, ad quod à Pharaone euectus fuerat, adeout ipse pater cum Ægypti principibus facilè potuisset adduci, sicut & mater, vt eum adoraret, si quandóque tantæ nobilitatis insignijs ornatum vidisset. At satis facilè nodum solui credidero, si per munera à Iacobo ad Iosephum missa, & per ipsam filiorum adorationem, patris adhuc viuentis, matrisque adorationem intellexerimus, quandoquidem id vxor facere censetur, quod vir efficit; cùm sit familiæ caput, & princeps: nec obstat, quòd mortua esset Rachel, nec sufficienter à Bala eius ancilla vna ex Iacobi vxoribus repræsentaretur; coniux enim, siue mortua sit, siue viua, mariti sanctis actionibus consentire videtur, quia consentire debet; sed hæc sunt parui momenti.

Iosephus.

Mendacium Iosephi.

De sensu & explicatione visionis Iosephi. D. August. Rupertus.

Ad Philip. 2.

Quomodo pater & mater filium Iosephum adorarint.

Soluitur difficultas.

PROBLEMA CCLIV.

1. QVID sibi vult somnium manipulorum vndecim, manipulum Ioseph adorantium? Gen. 37.
An quia propter triticum, quod manipulis colligitur, vndecim fratres adorauerunt eum, vt haberent triticum manu, & arte Ioseph in tanta copia collectum, vt Gen. 41. &
2. nedum familiæ suæ, sed toti Ægypto sufficeret? An id factum est in figuram il- 42.
Versiculus 7. lius, qui dedit verum triticum, & panem, ab omnibus, qui veram vitam appetunt, comedendum? Nam qui ipsum tradidit ait: Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Illum Ioh. 6.
verò qui panem hunc dedit adoramus hîc, sed longè præstantiùs in vita illa (quam per ipsum panem acquiremus) adorabimus.

PROBLEMA CCLV.

1. QVR Ioseph somnium narrauit fratribus in odium sui ipsius? An quia puer Gen. 37.
non considerabat, quid ageret? An potius id fecit edoctus ab illo, qui aliorum
2. somnia interpretari docuit? Et hoc, vt prænuntiaret patri, ac toti familiæ, quæ- Amos 3.
cunque ipsis superuentura erant, iuxta illud Hamos: Non faciet Dominus
verbum, quod non priùs reuelauerit amicis suis. In odium autem sui id fe-
cit, sic disponente Deo, vt postea venderetur in Ægypto, & perpetrarentur mysteria quam-
plurima, de quibus in Pentateucho habetur. Sic quoque disponente æterno patre venit Ie-
sus in odium Pharisæorum, vt inde sequeretur mors eius, & humana redemptio.

Aduerte Iosephum non intendisse odiũ illud, sed id ex consequenti, & libertate fratrũ atq; mala voluntate contigisse.

PROBLEMA CCLVI.

1. 2. *Versiculus 15.*

AQVO viro fuit inuentus Ioseph in agro, dum quæreret fratres suos, vt in Genesi legimus? An à viro aliquo communi? An (vt Sapientes asserunt) is fuit Angelus Gabriel, qui in Daniele quoque dicitur vir? nec sine mysterio. Est enim omnium septem Angelorum, tribunali diuino assistentium nobis propinquissimus, & viro magis domesticus. Hinc ad Zachariam, & ad Mariam, diuina secreta relaturus missus est. Ad Danielem quoque missus fuit, vt reseraret visiones, & somnia Nabuchodonosor. Propterea ad Ioseph missus fuit, vt ipse, qui robur Dei interpretatur, roboraret ipsum Ioseph, tot, & tanta perpessurum, ac facturum, somniáque Pharaonis, & eorum, qui carceri mancipati erant, interpretari doceret, sicuti opportunum viderat: *Interpretari enim somnia est Gabrielis proprium, qui præest Lunæ, sub cuius præsidentia mortales somniant.*

Gen. 37. Daniel. 8. Luc. 1. Daniel. 9. Gabriel.

Problema 254. discutitur. Visio manipulorum.

CIRCA 254. problema Iosephus aduertit fratres istos à patre missos fuisse, vt meterent, & colligerent in agris frumenta, vnde conueniebat appositè hæc visio de manipulis: Ioseph enim vidit manipulos fratrum suum manipulum adorare. Et quidem visi materies circa quam versatur, optimè rem exprimit, vt præficeretur Ioseph Ægypto, atque à fratribus adoraretur: quapropter arripuit occasionem diuina prouidentia, ex re frumentaria, quandoquidem ob annonæ curam fuit toti prouinciæ Ægypti præfectus: de his Philo l. de vita Ioseph, seu viri ciuilis; & Iosephus 1. antiq. videri possunt; quæ Rupertus l. 8. in Genes. c. 22. allegoricè explicat. An verò peccauit narrando somnia sua ad suam gloriam pertinentia D. Bernard. tract. de gradib. humilit. in primo gradu, & Thomas Anglicus in Genesim non id existimant; vt enim ista somnia ei fuerunt à Deo immissa, ita potuit impelli à Deo, vt eadem somnia fratribus, & patri suo referret.

Philo. Iosephus. Rupertus. Bernard. Thomas Anglicus.

D. Chrysostomus, vt explicet somnia, allegoriam sequitur de resurrectione Domini, postquam Dominus fuit verè à fratribus, idest Apostolis adoratus, neque Domino ait defuisse patris, & matris, idest Iosephi, & Mariæ veram, & propriam adorationem, quod in sole, & luna indicabatur faciundum per secundum insomnium, quod ita clarum fuit, vt fratres statim intellexerint, quid portenderet, adeout illi dixerint, vt explicat Aben-Ezra: An nos ipsi te nostrum regem constituemus? Num tu fortè vi, & potentia tua principatum inuades? Nahmanni verò ait eos interrogasse, vtrum sibi persuadeat se futurum regem, aut præfectum sub rege: qui etiam in visione altera dicit lunam non repræsentare matrem, sed reliquam familiam, tametsi Balam matris officio post Rachelis obitũ fungi potuerit, & Iosephum herilem filium educarit. Meritò censores ex 256. problemate deleri volunt, quæ circa finem de Gabriele lunæ præside ait: quandoquidem illud est fictitium; quos autem Sapientes vocat, qui virum hunc Angelum esse dicunt, Iudæos intellige; quem Iosepho reuelasse putant, quòd fratres audisset in hæc verba prorumpentes, Recedamus à fraterna dilectione, capiamus, & interficiamus Iosephum: qui cùm esset simplex, & candidi animi adolescens, ista minimè aduertit: sed hæc gratis dicta sunt, quæ perinde negari possint, maximè cùm Scriptura verba faciat de viro, non de Angelo: Angelos autem somniorum præsides aliquando in examen adducemus.

Chrysostomus.

An fratres Ioseph sõnium illius intellexerint. Aben-Ezra Nahmãni. *Probl. 256. discutitur.* Gabriel an lunæ præses. Iudæorum opinio.

PROBLEMA CCLVII.

1. 2. *Versiculus 31.*

CVR intincta fuit tunica Ioseph hœdi sanguine? An id mera fratrum malitia fecit? An cum mysterio, sicut & cætera in Scriptura enarrantur, factum est? Quamuis enim Iahacob iustè præripuerit benedictionem à patre, tamen ipsum decepit in hœdi pelle, qua collum ac manus operuit, & vestibus Hesau, quas induit. Hinc deceptus fuit in sanguine hœdi, & tunica filij; vt nihil remaneret in sancto viro maculæ, vel fœditatis, quæ non esset debita pœna expurgata. Sic namque Deus erga suos dilectos facere consueuit.

Gen. 37. Gen. 27.

PROBLEMA CCLVIII.

1. *Versiculus 33. & deinceps.*

CVR Iahacob non cognouit fraudem filiorum? Nonne id quoque fuit in pœnam deceptionis paternæ: Sicut apud Zohar dixit R. Haia. Et quàm optimè pœna delicto respondet, ibi enim scriptum est, Esne tu filius meus Hesau? Hîc verò dicitur: Cognosce an sit tunica filij tui, an non. Et sicut hœdus interfuit peccato, sic etiam interuenit expiationi ipsius, vt nuper dictum est.

Zohar. Gen. 27. & 37.

PROBLEMA

PROBLEMA CCLIX.

1. *Versiculus 35.*

CVR dixit Iahacob: Descendam ad filium meum lugens in infernum? Dixitne hoc spiritu humano, an diuino? Nonne humano potiùs, quàm diuino spiritu loquebatur? Diuinus enim nõ inferiùs, sed superiùs adducit. Humano itaque spiritu loquebatur, quia tunc ab eo diuinus recesserat, qui non mansit continuè nisi in solo Iesu, vt alibi dicetur: Recessit enim à Mose, quando petram percutiens erraui. Recessit ab Aharon, quando consensit conflationi vituli. Recessit ab Helisæo, qui dixit: Hoc celauit Dominus à me, nec indicauit mihi. Recesserat autem à Iahacob (vt nonnulli opinantur) quia nimio affectu Ioseph prosequebatur, vt ab huiusmodi affectu expurgatus, ipsum Spiritumsanctum largiùs, & copiosiùs susciperet.

Gen. 37. *De recessu Spiritussancti.* Num. 20. Exod 32. 4 Reg. 4.

PROBLEMA CCLX.

1. 2.

VOTIES, & cur Ioseph fuit venditus? Nonne bis venditus legitur? Primò enim Ismahelitis à fratribus. Secundò ab Ismahelitis Putiphari Pharaonis Eunucho. Et hoc, vt inde magis perficeretur, iuxta regulam à Dauide decantatam, Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificauerũt animam meam; nec enim Deus diu relinquit amicos suos in nocte tribulationis. Nam de Spiritusancto, siue bonitate Dei, quam Hebræi Sachinam vocant, scriptum est: De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis. Sic Ioseph in nocte, & tribulatione Ægyptia existenti, Deus mirabiliter subuenit, eique prædam è manibus Ægyptiorum captam dedit. Nam ipsi Ioseph Hebræo data fuit Ægypti præsidentia, contra mores, & statuta humana è manibus Ægyptiorum erepta, cùm nec comedere cum Hebræis Ægyptij consueuissent. Duplici quoque venditioni Ioseph respondet ipsius duplex præsidentia, alia super Ægyptios, quia venditus in Ægypto; alia super fratres, quia venundatus à fratribus fuit. Sic Christus Iudæis venditus, eorum rex dictus fuit.

Gen. 37. & 39. Psalm. 93. Sachinam. Prouer. vlt. Gen. 41. & 43.

PROBLEMATA 257. & 258. ad eundem scopum collimant, vt probent peccatum à Iahacob admissum expiatum fuisse, seu vna deceptione aliam fuisse compensatam; quòd si non peccarit Iahacob problemata corruunt. Miror quomodo Venetus non meminit fabulæ Iudaicæ, quã Tostatus refert, nempe Iacob non cognouisse spiritu Prophetico, qualiter Ioseph venditus fuisset, quia cùm tantùm essent nouem, ex eo quòd Beniamin nõdum ablactatus aberat, sicut & Ruben, & Ioseph ipse vẽdebatur; posuerunt inter se herem, idest excõmunicationem, vt nullus factum illud reuelaret; sed cùm excommunicatio secundum Hebræos non possit nisi inter decẽ constitui, & ibi solùm essent 9. Deum aduocauerunt ad eam excommunicationem, vt si fortè factum illud reuelaret ipse excommunicationem incurreret: quapropter ne excommunicatione feriretur, non reuelauit toto illo tempore Iosephum venditum fuisse; vnde nec spiritu Prophetico id agnoscere potuit Iacob, cùm Prophetiæ spiritus sit secundum motum Dei. Dignam profectò sapientibus Iudeis fabellam, & insaniam, quam ipsi lapides, si eis sermo conferatur, confutaturi sint. Aliam rationem refert, quòd spiritus Prophericus minimè tristium mentes tangat, vt de Elisæo referunt, qui cùm à Ioram rege vt prophetaret requisitus videret se præ nimia tristitia non posse prophetare, cantatricem ad se iubet adduci dicens; adducite mihi Psaltem, quæ cùm caneret, facta est manus Domini super eum. Abulensis verò id non fuisse Iacobo reuelatum existimat, ne fortè bonum illud, quod ex illa venditione secutum est, præpediretur.

Tostatus. Fabella Iudaica quòd Deum fratres Iosephi excommunicatione ligauerint. Herẽ quid. Quare proditio fratrũ non fuerit reuelata Iacobo. 1. opinio.

2.

3.

In problemate 259. easdem ferè rationes affert, quòd derelictus esset Iacob à diuino Spiritu. Est autem disputatio non modica de nomine inferni, ad quem se descensurũ ait Iacob; vbi Hebraicè legimus שאולה seola; Græcè εἰς ἅδου; quod non tantùm hæretici, verùm etiam Catholici vertunt sepulchrum, & fossam, sic enim Eugub. Vatabl. Pagninus, Lipomanus, Caietanus, & alij: adeout Steuchus recognition. in Genesim dicat non significare eum locum, vbi sceleratorum animæ recipiantur, qui dicitur gehenna, vt confirmat ex R. Mose Ægyptio, & Aben-Ezra qui Chaldaicam editionem ideò reprehendit, quòd hîc verterit gehennam; quibus addit locum hunc Isaiæ: *qui a non infernus confitebitur tibi*, habere Sheol, idest fossam; figmenta etiam vocat, quæ de limbis hîc habet Lyra, cuius hæc sunt verba. Hebræi exponunt in foueam, vel sepulchrum: Catholici autem meliùs exponunt dicentes, in infernum, idest ad limbum sanctorum patrum, qui locus est superior pars inferni: Volunt igitur isti cum hæreticis hunc esse sensum verborum: Tanto dolore ob Iosephi mortem Iacob affectum fuisse, vt credideric se nunquam à dolore temperaturum, donec ad sepulchrũ deferretur; quasi diceret, non finietur dolor, nisi per obitum meum. Sensum hæreticorum suggeret Martyr. Inferi, quorum meminit Scriptura, designant statum mortuorum, quando in fouea, aut sepulchro deponitur cadauer, animusq; inter alios spiritus est receptus; postea refert Aben-Ezra, de quo antea dictum est; miratúrque quosdam Rabi-

Problema 259. שאלה quid sit. ἅδου. Pagninus. Steuchus. Quid significet infernus in hoc loco. Martyr diaboli. Explicatio hæreticorũ, qui non solùm purgatorium, sed

O

& inferos abolere volunt, cùm ad eos sua infidelitate & pertinacia properent.

nos, qui locum de inferis explicarunt: quibus addit: Iacobus iam sibi videbatur pro certo habere se viuo nullos ex suis filijs obituros, quare cùm modò sibi chariorem videret morte ereptum, iam cogitabat Deũ sibi propter aliquod graue peccatum fuisse admodum iratum, & ideo ad gehennam condemnaturum, similiérque de Iosepho suspicabatur, illũ non fuisse à crudeli fera deuorandum, nisi grauiter Deum offendisset. Per infernum, qui limbum patrum volunt accipere, incerta afferũt, nam de illis inferorum mansionibus nil diffiniuit Scriptura, quare sunt hominum fabulæ. Et sinus Abrahami, de quo in Luca habes, in quem collectus est Lazarus, nobis significat beatorum Ecclesiam, quę fœlix, & beata fuerat, etiam eo tempore, cùm Christus illa loquebatur Iudæis.

Falleris Martyr: optimè limbũ constituunt patres.

Fabulas fabulosus Martyr fingit, vt Dei timorem excutiat.

Et quidem non est mirũ, si tollere conentur hæretici limbos, & infernum, & magis adhuc purgatorium, cùm sanguine Christi sine proprio labore se in paradisum enasuros credant; nisi miremur eam patriam nõ illis placere, ad quam tamen quotidie properant, & cuius futuri sunt incolæ, nisi resipiscant. Meliùs igitur Abulensis explicat infernum, ad quem animæ descendebant ante Christi mortem; adeout putaret Iacob se reperturum filium post mortẽ in sinu Abrahæ; vbi addit Isaac, qui 13. post venditionem nepotis vixerit annos, eius mortem pariter fleuisse. D. autem Hieron. cæteris anteponendus Epist. 119. ad Dardanum explicat de inferis; sicut & D. Aug. q. 126. in Genes. qui etiam id Gen. 42. *Deducetis canos meos ad inferos:* 12. de Gen. ad lit. c. 33. de inferis peccatorum interpretatus est. Et 20. de ciuit. c. 15. affirmat animas sanctorum istorum apud inferos fuisse, donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret. Omitto Rupert. glossam ordinariam, & historiam scholast. eiusd. esse sententiæ, quandoquidem nobis antiquior adest S. Hieronymus in c. 4. ad Ephesios, & Epiphan. in Anchorato, qui de inferno, seu loco damnatorum illud Numer. 16. interpretati sunt: descenderúntque viui in infernum. Vnde & Pagninus hîc vertit infernũ, quam significationem seol habere Oleaster, & Vatablus in illo loco fatentur: & Genebrardus in id Psal. 9. *Conuertantur peccatores in infernum*, hæc habet. Hîc Sceola in Deras exponitur Gehinnon, idest Gehenna. Thalmudici dicunt ה׳ fini additum esse ad significandum, quòd non solùm ad infernum descendunt, idest gehennam, sed etiam ad infimum inferni locum. Sunt & alia loca in quibus obseruare possis Seol pro inferis sumi, vt Psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno;* in quem versum Genebrardus 2. nouatorum errata obseruat: primum quidem, quòd vocem Sceol sepulchrum interpretentur, cùm propriè significet infernum animarum. Vbi sectarij animam pro corpore hîc positam fuisse dicunt, vel vt impuriùs loquitur Beza, etiã pro cadauere. Sequitur Psalm. 138. in quo legitur; *Si descendero in infernum ades;* cui simile est illud dictum Saluatoris Math. 11. *vsque ad infernum descendes:* Prouerb. 15. *infernus, & perditio coram Domino.* Iob. 26. *Nudus est infernus coram illo.* Prou. 27. *Infernus nunquam impletur;* qui c. 30. dicitur *insatiabilis.* Ex quibus locis Pererius infert locũ hunc Genesis facilè de inferis interpretari posse, vt sit sensus. Propter acerbissimum hunc filij mei casum, maximo cum luctu moriar: Et ita descendam in locum inferi, in quo est filius meus Iosepheh: quod eò probabiliùs esse videtur, quò minus Ioseph sepultus esse potuit, cùm à fera bestia deuoratus supponeretur. Nolim tamen de his in præsentia latiùs disceptare, quandoquidem id in proprijs quæstionibus iuuante Deo facturus sum, vbi quàm pertinaces, quámque malè feriati sint hæretici, constabit, qui limbos, aut purgatorium fabellarum instar existimãt. Interim obseruabimus Schindlerum virum hæreticum in Pentaglotto fateri שאול sumi pro גיהנם idest gehenna, inferno, seu loco damnatorum. Et Illyricus ait inferos sumi pro mortuis omnibus, siue in supplicijs crucientur, siue in campis Elisijs delitientur, refertque ex D. Augustino, quomodo Iacob videtur accipere locum hunc Genesis; & Osée 13. *De manu inferi reducam eos.* De hoc sanè inquit, nullum dubium est, quin שאל Scheol, sepulchrum, infernus hîc pro ipsissimo loco æterni supplicij ponatur; sic & 1. Cor. 15. sic & Psal. 16. Scheol infernus, ipsum verum infernũ significat, & opponitur ei descriptio vitæ, ac fœlicitatis æternæ. Est verò dignum obseruatione, quòd & sepulchrum, & infernus vno nomine Sceol à petendo dicitur, quia semper petunt, & nunquã tesle Salomone satiantur. Sic etiam Isa. 5. Propterea infernus dilatauit animã suam, de exitu æterno accipere possumus. Hæc Illyricus; sed qui se in aliud extremum conijcit, verbo, *infernus*, vbi enim caput 3. interpretatur primæ D. Petri epistolę, censet impius Christum quidem verè ad inferos descẽdisse, sed ibi dolores inferni passum fuisse, cuius etiã impietatis reos videas hæreticos Caluinistas, vt ex eorum catechismo constat, de quibus alibi dicetur.

Abulensis.

Isaac fleuisse mortem Iosepheh.

D. August. limbum inferorum astruit.

D. Hieron. Epiphan.

Seol infernum significat.

Oleaster.

Vatablus.

Genebrardus.

Psalm. 9.

Thalmudici.

Psalm. 15.

Psalm 138.

Math. 11.

Prouer. 15.

Iob 26.

Prouer. 27.

Plurima loca Scripturæ inferos probantia afferuntur.

Schindlerus.

Illyricus.

Osee 13.

1. ad Cor. 15

Psalm. 16.

Sceol vnde dicatur.

Isai 5.

Error Illyrici & Caluinistarum de pœnis Christi in inferno.

De inferis videri potest in lexico Theologico Ioannes Altenstaig, qui quadruplicẽ infernum ex Theologorum sententia recitat; primus est damnatorũ, in quo sunt tenebræ, carentia diuinę visionis, & gratiæ, & pœna sensus; vno verbo pœna damni atq; sensus ęterna, quę singulos in lethali peccato actuali decedẽtes in cẽtro terræ immensũ torquet. Secundus locus est puerorum in originali peccato decedentium limbus, in quo perpetua est gratiæ, & gloriæ priuatio, nulla tamẽ pœna sensus. In tertio, qui vulgò Purgatoriũ nuncupatur, est carẽtia gloriæ, & pœna sensus temporalis, sed ibidem residentes gratia minimè carẽt. Quartus denique sanctos veteris testamenti patres vsque ad Christi descensum continebat, in quo tametsi gloria priuarentur, non tamẽ gratia, nec vlla pœna sensus torquebantur; & in hæc 2. inferorum loca Christus descendit. Si Venetus nomine diuini Spiritus Prophetiæ donum, vel potiùs vsum, & actum ipsius doni intelligat, rectè quidẽ, nec enim Prophetis semper adest, attamẽ nolim iam inquirere, an Prophetiæ donum sit per modum actus, aut habitus: Quòd si per illum spiritum Dei gratiam intelligeret, nusquam ea, quæ hîc affert, concessero; quandoquidem Iacob non fuit Deo inuisus, tametsi nesciret, quid de Ioseph actum fuerit.

Altenstaig. 4. inferi recitantur. 1. locus.

2.

3. In hæc duo postrema loca Christus descendit.

4.

Iam verò ad innocentis venditionem, cuius problemata 260. meminit, accedamus, de quibus cùm Venetus disserat, nec tamen quidquam reprehensione dignum asserat: pauca tantùm addo, nempe Putipharem eunuchum Pharaonis, cui Ioseph ab Ismahelitis venditus fuit, dici principem Laniorum, habetur enim Hebraicè השבחים hasabahim Laniorum; paraphrasis Chaldaica legit interfectorum, quòd coquis, & pecorum mactatoribus, quos Pharao habuit in domo sua, præficeretur; tametsi Vatablus ex paraphrasi Chaldaica vertat

Problema 260.

Vatablus.

vertat principem militum, quòd sub se milites quosdam haberet, adeout simul dux custodiæ regiæ, & hospitij præfectus fuisse videatur: Adiuertit etiam סריס & principem militum, & Eunuchum significare, non quòd exsectus esset, sed quia mos Orientalibus fuerit hoc nomine satrapas, & aularum principes appellare. Græcus habet ἀρχιμάγειρον, qui potest eum significare, qui carceri, & carnificinæ præerat, seu damnatorum plectendorum curam habebat, vt loquitur Fagius. סריס Serim autem, Paraphrastes vertit רבא Raba, quod dominum & principem sonat. Vt iam non sit opus dubitare, quomodo Putiphar Eunuchus dici potuerit, seu spado, tametsi Pererius plurimùm in hac quæstione laboret; vbi ex duobus liberum facit, quod eligas; quorum primum est ex Hebræorum traditione à Diuo Hieronymo commemorata. Dicunt enim obscœnè Putipharem de Iosepho cogitasse, quem ob pulchritudinem, vtque suæ libidini satisfaceret, emerat: eúmque propterea factum Eunuchum arefactis à Deo penitus virilibus: vnde per anticipationem ita vocari debuit, quia quò tempore Iosephum emit, nondum Eneuchismo laborabat: aliud est Eunuchum dictum fuisse, quòd præcipuo munere apud regem fungeretur. Castrantur enim homines, vel ad diuturniorem alicnæ libidinis patientiam, conseruato puerilis formæ decore; vel vt vocis in canendo suauitas, & tenuitas diutiùs perseueret, vel morbi inibi sæuientis propulsandi gratia; vel vt mulierum custodia turbò his committi valeat. Fiebat autem Eunuchismus excisione testium, vel etiam ipsius veretri cùm testibus abscisione, tunc autem ænea fistula mingendum erat; alij fiebant Eunuchi testiculorum attritione: nam puellus in balnea demittebatur, cuius testiculi attererentur, vsque dum velut dissipati euanescerent, vel ita torquebantur, vt vena, quæ illis defert alimentum, velut nodo interciperetur, & ita tabescerent, vt ex Ægineta Pererius refert, cui Scriptura sacra fauet, quandoquidem Math. 19. tria Eunuchorum genera refert: & Deuter. 23. prohibetur Ecclesiæ aditus Eunuchis, siue id per attritionem, vel amputationem tam testium, quàm veretri fieret, nec Eunuchum animal offerebatur Domino Leuitic. 22. Eneuchismi originem refert Marcellinus lib. 14. ad Semiramidem Nini vxorem. Vide Pererium, qui disput. 9. in hoc caput, octo Eunuchorum ministeria, tam ex Scriptura, quàm ex prophanis auctoribus refert: qui & aliam difficultatem disput. 6. discutit, nempe Ismaëlitas vocari etiam Madianitas, quia licet hi ex Madian filio Cethuræ, illi verò ex Ismaël filio Agar processissent, attamen quia partem eandem orientalem, Arabiam videlicet incolebant, simúlque ad nundinas procedebant, hoc & illo nomine vocari potuerunt, quod D. August. quæst. 124. in Genesim innuit: est autem falsa Hebræorum opinio à scholastica historia c. 87. relata, quæ Cethuram & Agar eandem fuisse asserit.

Serim quid significet.

Fagius sectarius.

Paraphrastes.

Raba.

Quales fuerint Eunuchi.

Quare masculi pueri euirentur.

Pessimè faciunt, qui peruersa intentione pueros excindunt.

An verò & quando id liceat dicetur alibi.

Quomodo ficerent Eunuchi, quotue modis.

Math. 19.

Deuter. 23.

Leuit 22.

Amian.

Marcell.

Pererius.

D. August.

Opinio Hebræorum falsa.

PROBLEMA CCLXI.

CAPVT XXXVIII.

Versiculus 28. capitis 37. & primus capit. 38.

VR descendente Ioseph in Ægyptum describitur descensus Iehudæ ad Hodollamitem? Tot quippe, tantáque sunt hîc sacramenta, vt vix explicari queant. Ioseph enim iustus qui mundi fundamentum dicitur, in Ægyptum ducitur; & Iehudas, qui habet nomen quadriliterum, cum quadrifario corpore, ex 4. videlicet elementis confecto descendit ad hodolami עדלמי quod יד עולם iad holam, idest manum, vel virtutem mundi importat. Vnde denotatur, quòd eodem tempore, quo Christus contentus in Iehuda, à quo mysteriosè descendit, in mundum hunc venit, vt ipsum saluaret; descendit Ioseph, idest congregatio iustorum Mizraimah מצרימה in Ægyptum, quæ angustias significat, vt inde sublimis valde fieret, sicut scriptum est: Vos in mundo pressuram habebitis. Et iterum: Vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Et alibi, merces vestra multa est in cœlis. Vnde sicut ipse Christus veniens in mundum dictus fuit rex, sic iusti ex angustijs, & tribulationibus reportarunt lucrum gloriæ immensum, & Iosephi ex venditione præsidentiam Ægypti consecutus est. Connexæ autem sunt vtriusque, Ioseph videlicet, & Iehudæ historiæ, vt denotetur connexio, & vnio membrorum cum capite Christo; nam Iehudas Christum, Ioseph verò corpus eius mysticum præfigurarunt.

Gen. 37. & 38.

עדלמי

מצרימה

Ioh 10.

Luc. 6.

PROBLEMA CCLXII.

1. *Versiculus 2. capitis 38.*

VR Iehudas accepit vxorem Chananæam nomine Suah? Nonne inuisæ erant parentibus mulieres Chananææ? Nam idcirco neque Izahac, neque Iahacob acceperunt vxores Chananæas? Quomodo igitur vir tam sanctus, & regius, & cum tanto mysterio, vt indẽ redemptor nasceretur, accepit mulierem illam? Nonne ex ipsius mulieris nomine huiusmodi quæstio deciditur? Suah namque salua, vel saluata interpretatur, non enim Chananæam in malo perseuerantem accepit, sed saluandam. Sicut & Christus Chananæam illam in gratiæ petitione per-

Gen. 38. 24. & 28.

2.

seuerantem exaudiuit. Vnde indicatur, quod ex Moabitis per Rut, & ex Chananæis per Suah introduci debebant aliqui in gregem Domini, iuxta illud Præcursoris: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Hinc huiusmodi magno mysterio in genealogia Redemptoris describuntur, vt inde innueretur, quidnam Redemptor ipse facturus esset.

PROBLEMA CCLXIII.

I. *Versiculus 8.*

VR Iehudas curauit, vt mortuo Her eius primogenito, alius filius ingrederetur ad vxorem fratris? Nonne quia Iehudas vir Deo plenus prænouerat legem in Deuteronomio postea promulgatam, de suscitando videlicet semine fratris, quod Hebræi libun appellant? Demandatum enim id fuerat multis rationibus suo loco exarandis, quarum hanc tantùm in præsentia recensebimus. Diligentissima namque cura Deo fuit, vt genealogia Redemptoris ordine debito texeretur, eiúsque gesta præfigurarentur. Hinc adueniente Christo, cessauit genealogiarum descriptio. Sicut Paulus innuit, dicens, quòd stultæ sunt, & inutiles quæstiones, & scripturæ de genealogia. Et hoc ideo, quia nomina nostra (teste Christo) in cœlis scripta sunt. Hîc quoque describitur Sacramentum Christi, qui ex Synagoga iam vidua facta suscitare debebat filios Abrahæ patris fidei, & Synagogæ, immo tanquam lapis angularis ex vtroque vnum facere, sicut Præcursor cum Paulo testatur.

Gen. 38. Deut. 25. Ad Tit. 3. Luc. 10. Ad Eph. 2.

CIRCA 261. problema non paruæ difficultates occurrunt! Et quidem primò, cur potiùs Iudæ, quàm aliorum fratrum Moses in hoc capite meminit. Aliqui dicunt apud Abulensem, Ioseph vendito, & Iacob indies insolabiliter flente, fratres omnes Iudæ fuisse molestos, dicentes ei: nunquam Iosephum vendidissemus, nisi nos ad id impulisses; cui, si tantummodò præcepisses, nullum malum irrogassemus; quas exprobrationes cùm sustinere non posset, ab eis declinauit, & accepit vxorem, tametsi R. Abraham Aben-Ezra factum istud Iudæ 2. aut 3. annos ante Iosephi venditionem contigisse putet. Tostatus verò ait Deum mouisse Mosem, vt specialiùs generationem Iudæ, quàm aliorum enarraret, quandoquidem de tribu Iuda Messias nasciturus erat, & ideo genealogiam eius cunctis manifestari voluit: Adde quòd in Phares, & Zara quædam miracula ostendantur, & in morte filiorum Iudæ Her, & Onam magna Dei iudicantis seueritas appareat.

Cur Moses hîc potiùs Iudæ, quàm aliorũ fratrum meminit. R. Abrahã. Tostatus.

Iudæi verò, referente Martyre, dicunt, quòd quemadmodum in Iosephi venditione, dignitas videtur cæteris fratribus detracta, atque in eum translata, sic in præsentia narrari audiemus dignitatem primorum filiorum Iudæ, quòd grauiter peccarint, in alios posteriores, quos è Thamar suscepit, deriuatam. Quamuis Bechai contendat dicta, & quæ modò narrantur, bene conferri posse, quòd vt fratrem vendendo illi decem meruerunt, vt post eorum mortem, pluribus annis reuolutis, illorum spiritus ad corpora reuerterentur, pœnásque darent sub Hadriano Cæsare tanti facinoris perpetrati: Nam in libro Zohar, vbi preces habentur, quas Iudæi repetunt in die Chippurim, quando pro expiatione ieiunant, mentio fit decem Rabinorum magni nominis, qui ab Hadriano Cæsare sunt interfecti. Interrogauit enim illos Cæsar, quam pœnam sumeret illorum lex de eo, qui plagij teneretur; illi prudenter responderunt ex Deuteronomio, crimen huiusmodi esse capitale. Tunc Cæsar illos interemit, insimulans, quòd huius criminis teneretur. Quem verò sit causatus illos vendidisse liberum hominem, ibi non exprimitur, sed in Thalmud, vt Christo detrahant, quando narrant istud factum, dicunt fuisse Iosephum; & ne absurda videantur dicere, scilicet post tot tempora fuisse istos punitos propter scelus tam antiquum, absurdiora proferunt, nam μετεμψύχωσιν astruunt, volúntque animas decem fratrum Iosephi migrasse in istos decem Rabinos, & ideo sic illos esse punitos. Quibus addunt Her, & Onan filios Iudæ, cùm propter scelera sua à Deo fuissent interfecti, atque postea Thamaræ astu, atque industria excitatum esset illorum semen, eorum spiritus in vitam retractos esse, eámque ignominiæ notam subijsse, vt ex nurus, & soceri incestu procrearentur. Quæ transanimatio iamdiu à Philosophis explosa est, Philosophia nempe formas de subiecta materia in aliam subiectam materiam posse migrare constanter negat, atque adeò Iudæorum opinio fabulosa est.

Martyr sectarius apostata Hebræorum fabellas narrat. R. Bechai. Preces diei Chippurim. Stultitia Rabinorũ.

μετεμψύχωσις ridicula animæ Iosephi, & fratrum eius. Refellitur à Philosophis transanimatio.

Secundò difficile videtur, quomodo Iudas eodem tempore vxorem duxisse potuerit, cùm inter Iosephi venditionem, & ingressum Iacob in Ægyptum anni solùm 23. enumerentur, intra quos coniugium Iudæ, trium filiorum generatio cum cæteris, quæ ibidem edisseruntur, vix ac ne vix quidem fieri potuisse videantur: vnde fit, vt plurimi notent hîc hysteron proteron, vt anteà fieri debuerint; quibus fauet D. August. q. 128. in Genes. Attamen Pererius ita rem intelligi posse arbitratur, vt anno, quo Ioseph venditus est, Iudas vxorem duxerit: ex qua sub finem eiusdem anni Her, & inde duos alios successiuè genuerit, adeo ut Her 17. annos natus Thamar vxorem duxerit, qui cùm ob impietatem sub eiusdem anni finem occisus fuisset, initio succedentis anni 19. Onan in coniugium succedere potuit, post cuius mortem à Deo illatam, cùm tertius nempe Sela eidem Thamar minimè coniungeretur, quæsiuit illa per simulationem concubitum Iudæ, ex quo gemellos habuit Phares, & Zaram; qui tametsi in Ægyptum cum suis filijs Hesron, & Hamul ingressi dicantur Gen. 46. necdum tamen nati essent, id ea ratione verum esse potest, quòd in parentibus virtute continerentur; sic enim D. August. quæst. 151. hanc difficultatem soluit, quomodo 33. animæ ex Lia genitæ fuerint in Mesopotamia: quia illa locutio confirmatur, tanquam ibi omnes ortæ sint, quarum parentes ibi orti sunt; reuera enim filij Iudæ in terra

Difficultas de Iuda circa chronologiam. D. August. Gen. 46. D. August.

in terra Chanaan nati sunt, sicut & filij Ruben, Simeonis, & Leui, qui non potuerunt in Mesopotamia generari, quãdoquidem Ruben erat tantùm 13. annorum, Simeon 12. Leui 11. quando Iacob è Mesopotamia discessit, ac proinde nondum generare potuerunt, vnde nec vllus eorum filius, sed tantùm filij Iacob c. 35. enumerantur. Igitur cùm filij, atque nepotes Liæ in Mesopotamia geniti dicuntur, id de nepotibus intellige mediatè, & in eorum patribus, qui nati fuerant in Mesopotamia. Alio etiam modo difficultatem hanc soluere possumus si cum D. August. q. vltima in Genesim asseramus per ingressum Iacob in Ægyptum totum tempus intelligi, quo in Ægypto vixit, nempe 17. annos, vel 71. quos Ioseph post ingressum patris vixit? Hinc intelligi possunt septuag. Interp. qui c. 46. Genes. 75. animas cum Iacob ingressas aiunt, cùm Hebraicus textus 70. solùm enumeret: nam Iosephi nepotes, & pronepotes post Iacob obitum septuaginta Interpretes respicere potuerunt. Venetus perpetua allegoria in hoc problemate vtitur, quæ eo gratior est, quò magis Christus placet, de quo pulchrè satis historiam explicat: & quidem Ioseph, verus nempe Seruator noster rectè mundi fundamentum appellari potest, quandoquidem omnia propter eum facta sunt, vt aliàs ex professo dicetur.

Gen. 35. LXX. Interpretes. Laudatur Venetus. Probl. 262

Laudo etiam sensum allegoricum problematis 262. At de vxore Iudæ non omnes consentiunt: quidam ex mala, & improba matre malos filios, & facinorosos genitos esse volunt, siquidẽ erat Chananæa. Alij dicunt eam non fuisse Chananæi filiam, sed mercatoris, quod ex Prouerbijs ostendunt; cùm enim dicitur. *Sindonem fecit, & cingulum tradidit Chananeo;* vertunt, mercatori. Aiuntque vxores filiorum Iacobi fuisse Ægyptias, Moabitas, Edomæas, Ismaëlitas ex filijs Cethuræ vxoris Abrahami, quæ essent genere coniunctæ, non autem ex Chananæis. Solummodò fatentur de Simeon, quòd Chananæam habuerit, quia infrà dicetur Saül filius Simonis ex Cananitide. Quamuis Bechai audeat dicere ex sententia veterum, illam fuisse Dinan, quæ fratri sit copulata in matrimonium: dicitur autem Chananæa propter Sichem filium Hamor, qui eam oppresserat, quæ omnia, quatenus Scripturæ sacræ contraria sunt, fabularum instar habeo. Quæ Venetus habet, allegorica sunt, nec spernenda; Christus enim accepit Synagogam diaboli filiam, quæ illi genuit tres filios, nempe 3. quaterniones Apostolorum, vt ex Lipomano Delrius refert, vbi ait Sue non esse nomen vxoris, sed patris eius Soceri Iudæ, cùm sit pronomen Hebraicum masculinum, quod patet ex versiculo 12. huius capitis. Descendit autem Iudas ex Dothaim terra magis aquilonari, & ideò altiore, in odollam magis australem.

Prouerb. 31. Cuius patriæ fuerint vxores Iacobi, & Iudæ. Bechai. Allegoria. Sue quid sit.

PROBLEMA CCLXIV.

1. 2. 3. *Versicul. 9. & 10.*

VR tam ægrè tulit Deus, quòd Onam funderet semen in terram? An quia ordinem naturæ præuertebat? cùm Plato dicat: Non effundas semen in loco, vbi non præsumis quòd nascatur. An quia destruebat familiam fratris, quam ædificare debebat? An quia mali dæmones ex semine fuso in terram, maleficia nefanda committunt? Vt Sapientes norunt, & ipsi dæmones confessi sunt.

Gen. 38. Plato 8. de repub.

PROBLEMA CCLXV.

Versiculus 14. 15. & 16.

PECCAVIT-NE *Thamar se meretricem effingens, vt cum socero concumberet? Non quippe peccauit. Nam (teste Zohar) non ad explendam libidinem, sed mysteriosè id egit, vt ex Iehuda, & ipsa Messias generaretur. Nec enim sine causa, hæc Thamar, & Rut eodem ordine, mortuis videlicet prioribus viris, & ex charitate semen suscitantes, interseruntur genealogiæ Redemptoris, qui suscitauit semen prioris Adam, cum posteris omnibus iam præmortui. Quod nisi fecisset, vanus fuisset primus homo. Thamar autem procurauit hanc genituram ex socero, cùm eius filij essent mali, vt Scripturæ narrat.*

Gen. 38. Zohar. Rut. 4. Math. 1. Gen. 38.

PROBLEMA CCLXVI.

1. *Versiculus 18.*

VR Thamar in pignus hœdi promissi petijt annulum tephilim, & baculum? Nonne magna sunt hæc sacramenta, futurorúmque euentuum figuræ? Suscitabatur enim semen fratris in figuram illius, qui omne semen primi, & terreni Adam iam præmortuum per nouam genituram suscitauit, de qua scriptum est: Nisi quis renatus ex aqua, & Spiritusancto fuerit, non intrabit in regnum cœlorum. Et hoc per *commixtionem* summi verbi cum nuru, idest carne; quæ tenet locum vxoris spiritus, & melioris hominis, qui factus est Filius Dei, cùm antea mortuus esset peccato originali. Verbum enim vniuit se cum carne, vt scriptum est. Et verbum caro factum est. Ipsi autem nurui promissus fuit hœdus, qui solebat offerri pro peccato, idest

Gen. 38. Ioh. 3. Ioh. 1.

homo animalis, qui erat in Christo offerendus in sacrificium peccatorum, sicut Paulus apertè testatur dicens: Eum qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, pater videlicet æternus. In pignus verò huius oblationis faciendæ, nurus exegit baculum, & annulum, quo desponsata fuit natura humana Christo virga crucis. Exegit quoque Tephilim, idest ornamentum brachij, quando orabatur. Pro quo communis editio habet, armillam. Illud enim nobis tradidit Christus, qui docens nos orare, longè faciliorem impetrandi viam præbuit, quàm præberet ornamentum illud. Leuit. 4. 2. Cor. 5.

PROBLEMA CCLXVII.

1. *Versiculus 27.* 2.

VR vno concubitu Thamar geminos concepit pueros? An possibilis fuit geminus fœtus ex vno concubitu? Nonne de hoc Naturales disputant, quorum aliqui asseuerant id posse fieri? Sed an fuerit vnicus concubitus necne, ex veritate literæ elici nequit, cùm ipsa nec de vno, nec de duobus mentionem faciat. His igitur omissis ad mysteria veniemus. An igitur sicut Izahac duos filios, & geminos habuit: *in quorum altero tota concubitus immunditia collecta est (de qua Propheta, Et in peccatis concepit me mater mea) alter autem, ex quo debebat generari Messias, & qui pater electæ familiæ futurus erat, purior remansit:* sic etiam Iehudæ contigit? Et præcipuè cùm ille concubitus fuerit valdè immundus, quia cum nuru (quamuis ignoranter) fuit. Et quia ipse Iehudas intendebat fornicari (*cùm tamen fornicatio nondum esset prohibita*) hincad expurgandum partum immundum, hœdum obtulit, qui (vt nuper diximus) pro peccato offerri consueuerat. Immunditia autem illa in aram proiecta est; hinc de ipso tanquam de abiecto silet Scriptura. De Phares autem genealogia fit sermo, vt Mathæus narrat. Gen. 38. Gen. 25. Psalm. 50. Math. 1.

Problema 264. discutitur.

CIRCA 264. problema notandum est primùm Thamaræ coniugem Er à Deo interfectum fuisse eo quòd malus esset, vbi ferè conueniunt Interpretes, vt asseuerent Er idem peccatum commisisse, quod Onan, quanquam diuerso fine: Onan enim per inuidiam id fecit, ne semen fratri suscitaret: Her verò libidine ductus, ne puerperia, & liberorum lactatio de pulchritudine coniugis, quam deperiat, quidquam decerperet; quod peccatum maximum fuisse satis constat ex ipsa punitione, quandoquidem, qui talia factitant, homicidæ reputantur; vt Martialis de Pontico masturbatore concludit lib. 9. Epigr. Martialis.

Hoc nihil esse putas? scelus est, mihi crede, sed ingens
Quantum vix animo concipis ipse tuo.

Iure igitur vterque morte affectus est; nec omitti debet illa metathesis quæ fit in nomine ער her, quod inuersis literis sonat רע ra, quod malum, atque peruersum significat; Her autem vigilem significat, sicut Onan dolorem, & iniquitatem: Eos autem occisos esse ab Asmodæo, qui & Tobiæ 3. Saræ maritos libidini deditos trucidauit, probabile est: Vbi proficiet aduertere non tantùm D. Christinæ visionem, qua cernebat Christum toti mundo grauissima supplicia propter pollutionis scelus intentare, sed etiam eos esse incurabiles, qui huic nefandæ Veneri tot annis dederunt operam, quot vixit Christus, nempe 33. nisi extraordinaria Dei gratia succurrerit, vt Ioannes Benedictus in summa casuum ad 6. decalogi præceptum ex Conrado Clingio notauit. Ex eo verò, quòd Onan fratri generare debuisset filios, colli potest multa iam in vsu fuisse apud populum Dei, tametsi nondum lex promulgata fuisset, quæ, quod ad seminis suscitationem attinet Deuter. 25. habetur. ער רע Tob. 3. Visio B. Christinæ. Quicquid tamen Benedictus, & Clingius dixerit, certum est vniuique Dei misericordiam parere, quandiu vixerit. Deuter. 25.

Maxima verò inuidia fuit, quòd Onam nequidem vnicum filium fratri suscitare voluerit, qui tametsi fratris Er nomen tulisset, eius tamen nomine cæteri nuncupati fuissent, nisi fortè primogenitus decessisset è vita, ei siquidem secundogenitus subrogari consueuerat. Rabi Salomon, & Rabi Bachai putant Thamar sacerdotis fuisse filiam, scilicet Sem filij Noë, quod ex genere supplicij probant; adulteræ enim in lege lapidabantur: at filia sacerdotis comburebatur, si matrimonium violasset. Diuus Augustinus peccatum Her sæuitiæ, atque crudelitatis esse censuit lib. 20. contra Faust. capite 84. vnde & eum grauiùs, quàm Onan peccasse asserit, tametsi Pererius cõtrarium sentiat; cùm enim ambo eodem scelere infecti fuisse videantur, & Onan videret fratrem suum supplicio iam affectum; sicut Balthasar Daniel. 5. patre Nabuchodonosore, quem punitione coërcitum sciebat, grauiùs deliquit, ita & Onan, vt ex textu Scripturæ colligi potest, qui vitium Onan rem detestabilem appellat; at hæc sunt parui momenti; nec tamen sine fructu colliges ex Lactantio lib. 1. de falsa religione, prodigiosum Erichtonij ortum ex illa historia nasci potuisse, quem ex Vulcani semine in terram profuso generatum esse ferunt. Verùm ad alia problemata pergamus. R. Salomõ sententia non mihi probatur. D. August. Daniel. 5. Lactantius.

Probl. 265. discutitur.

In 265. Venetus asserit Thamar per concubitum cum Iuda non peccasse, quod cùm Censores deleuerint totum; videamus an iure, vel iniuria. Et quidem id meritò fecisse videntur, quandoquidem ipsa se meretricem simulauit, ac si transeuntium libidini exponeretur: quod Iudam vehementer ad peccandum excitauit. Adde concubitum soceri cum nuru detestandum esse: nec enim eius malitiam excusare potuit intentio bona, aut finis etiam si optimus, cùm malum ex quocunque defectu nascatur, bonum autem ex integra causa, tametsi prauitatem aliquantisper intentio bona minuere Quòd Thamar, & Iudas peccarint.

possit.

Augustin. possit. Nec obstat quòd postea Iudas, *Iustior me est*, dixerit, id enim D. Hieron. & August. de minus mala, & culpabili explicant; sicut quibusdam per Ezechielem dictum est, *Iustificastis Sodomam*: idest tantum peccastis, vt vobis Sodoma comparata iusta videatur, inquit D. Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 62. qui cap. 83. & 84. latè disserit de Iuda, quam peccasse concludit. At verò Chrysostomum obijcies, qui homil. 62. in Genes. Thamar excusat à peccato: sed homil. 1. & 3. in Mathæum Thamar, & Iudæ commixtionem turpe vocauit adulterium: vnde potuit in Genesi solam facientis intentionem, atque finem respicere; in loco posteriori factum ipsum, quod turpe fuit: quod aliquo modo confirmari videtur à Theodoreto D. Chrysost. sectatore qu. 94. in Genesim. Eodem modo D. Ambrosius explicari potest lib. 3. Commentar. in Luc. vbi minus verum esse videtur, quòd ait Selam tũc mortuũ, quando concubitus ille contigit, quandoquidem vnus ex 5. filijs Iuda ca. 46. Genesis numeratur: & Num. 26. à Selæ familia Seleitarum profecta dicitur. Non ergo malè Censores totum hoc problema delendum esse iudicarunt: quid enim nobis cum Iochai, & eius Zohar, cæterisque hænijs Cabalisticis? D. Chrysostomus sibi ipsi conciliatur. Theodor. D. Ambr. Genes. 46. Num. 26.

Problema 266. in examen adduco.

In problemate 266. pro, *commixtionem*, Censores scribi iubent, *vnionem*, naturæ enim Christi diuina nempe, & humana impermixtæ remanserunt: cætera sunt allegorica. Posset etiam absque iniuria totum problema sequens deleri, cùm plurima falsa contineat; nam præter ea quæ cum Censoribus delenda notauimus, falsum est quod Iudas hœdum obtulerit ad partum immundum expurgandum; id enim præstitit, tum vt promissis satisfaceret, tum vt arrhabonem quem dederat redimeret: nugatur autem vbicunque de immunditia loquitur: Adde quòd statutum sit non tantùm apud Theologos, sed etiam Philosophos fornicationẽ semper prohibitam fuisse, vnde meritò Cornelius hoc in loco in Venetum animaduertit.

Tametsi enim in fornicatione, qua solutus cum soluta rem habet nemini fieri videatur iniuria; attamen certum est esse peccatum, non tantùm ex eo quòd in Scriptura prohibeatur, vt patet ex præcepto, *Non mœchaberis*, & Deuter. 23. *Non sit meretrix in Israel, & scortator non inueniatur in eis*, adeout D. Paulus nec ipsam fornicationem, & immunditiam inter Christianos nominari velit: sed etiam quia homo lædit seipsum, & in ipso Deus, quandoquidem membrum Christi fit membrum meretricis, templum Dei deuastat, & imaginem Dei in se deturpat. Fit etiam alteri iniuria, nam filius inde si nascatur, labem ex natalibus contrahit minimè leuem, malè educatur, exprobratur illi perpetuò, quòd spurius sit natus, & patris culpa ad plurima cùm ciuilia, tum Ecclesiastica munia reddatur non idoneus. Deut. 23.

Neque tantùm legi Dei, sed, & rectæ rationi aduersatur. Cupit enim quisque naturaliter, vt sua omnia proprium ac debitum finem assequantur: at verò generatio minimè finem suum assequitur, nisi debito fiat ordine, vt inde productus filius parentum culpa nil damni incurrat, quod tamen in spurio contingit. Verùm hanc de fornicatione quæstionem, An quando proles ex hypothesi nullum detrimentum incurreret, foret licita, in proprijs quæstionibus latè tractabimus. Interim Scholastici consulantur.

PROBLEMA CCLXVIII.

CAPVT XXXIX. 1. *Versiculus 1.* 2.

VR Dei nutu Ioseph in Ægyptum deductus est? An vt patrem, & fratres pasceret? sicut Propheta canit: Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph: hinc ipse Ioseph dixit fratribus suis, Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos. An (vt altiùs conscendamus) id factum fuit, vt & ipse hauriret influxum, quo proficeret? Sicut contigit Abrahæ, totique eius familiæ, Mosi, & ipsi Christo: qui omnes in Ægyptum descenderunt. *Hinc & anima hominis in ergastulum corporis, & angustiam carnis demittitur, vt ibi purificetur, corroboretur, & agilior ad sublimia fiat, non obstantibus fœditatibus ibi contractis. Quemadmodum & aurum plumbo, fece, vt ita dicam, metallorum, igne, & vase terreo purificatur.* Propterea scriptum est, quòd Dominus fuit cum Ioseph in carcere posito, & misertus est illius, eique gratiam coram carceris principe dedit. Genes. 39. Psal. 104. Genes. 45. Genes. 12. Math. 2. Genes. 39.

PROBLEMA CCLXIX.

CAPVT XLI. 1. *A versiculo 40. & deinceps.* 2.

VR Ioseph tanta dignitate sublimatus fuit, vt vniuersæ Ægypto præfectus sit? An quia sic Deus disposuit, iuxta illud Prophetæ: Et exaltaui electum de plebe mea? An id fuit (si causa est in exaltato) quia pactum Domini seruauit, nolens erroribus fratrum consentire? Nam & eos patri accusauit, requisitusque ab vxore Phutipharis, adulterio nequaquam consentire voluit. Hinc non sine magno mysterio iustus denominatus est. Ab eodem enim fonte pactum, & iustus procedunt. Nam quicquid iustitiæ est, id in obseruatione legalis fœderis, in vniuscuiusque corde (vt ait Apostolus) scripti reperitur. Ex cuius quidem legalis fœderis obseruatione non tantùm consequitur quis nomen iusti, sed pacem, vitam, & sublimationem perfectam, sicut Propheta canit: Nimis honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Genes. 41. Psal. 88. Gen. 37. 49. 2. Cor. 3. Psal. 138.

PROBLEMA CCLXX.

1. QVo myſterio omnia illa enarrantur in ſublimatione Ioſeph? Nonne hæc omnia ſcripta ſunt ad oſtendendum imperium, quod Ioſeph venditione, & carcere æquanimiter toleratis: & conſtantia contra mulierem demulcentem oſtenſa, obtinuit ſuper Ægyptum quæ craterem inferiorem effigiat? Quæ quidem Ægyptus irrigatur tamen à flumine, ab horto voluptatis procedente. Vnde innuitur quòd ipſe Ioſeph de inferioribus omnibus triumphauit, ſuſcipiens quicquid boni crater ille ab alto ſuſcipiebat, quæ omnia per allegoriam dicta ſunt. Annulus enim ſigillum erat, quo omnia edicta ſua munire poterat. Stola byſſina, regia veſtis erat. Torques aurea, inſigne præſidentiæ. Currus tribunal imperij denotabat. Præco clamans, vt omnes ei genua flecterent, executionis dominij dati ſignum fuit. Geneſ. 41.

NIHIL circa 268. problema notandum eſſe puto, præter eum influxum fictitium, quem vult eos hauſiſſe, qui deſcenderunt in Ægyptum, quæ propterea iuſſu cenſorum deleri debeant. Vnicum autem hoc problema in c. Geneſis 39. fecit Venetus, nec vllum circa cap. 40. ſcripſit, fortè quòd in Zohar, aut alijs Rabinis nihil repererit, quod placeret admodum, vel dignum iudicaret, quod problematibus inſereretur. Propterea tranſit ad 41. caput, circa quod verſatur 269. problema, in quo nihil animaduerſione dignum exiſtimo, niſi cauendum eſſe, ne putemus omnem iuſtitiam oriri ex ſola obſeruatione legalis fœderis, eo ſenſu, vt velit ex operibus noſtris nos ſolummodo iuſtificari, quandoquidem noſtra iuſtitia interior, qua renouamur, præſertim à diuina miſericordia, Chriſtique meritis dependet, cui omnia noſtra, imprimis verò gratiæ dona accepta ferre debemus.

In problemate 270. dummodo non alludat ad nugas aliquas, quas nomine crateris occulter, ſed tantùm bona, vt frumentum cæteróſque fructus ſignificare velit, quæ Ioſeph ſub dominio ſuo haberet, nil video quod argui debeat, nec enim in præſentia diſcutere velim, an Nilus Ægyptum irrigans ab horto voluptatis, ſeu Paradiſo terreſtri proficiſcatur. *Problema 270.*

PROBLEMA CCLXXI.

1. VIS fuit maior in Ægypto, Pharaóne an Ioſeph? Nonne videtur Pharao fuiſſe maior? Nam ſibi reſeruauit ſolium, & primum currum, vt in textu habetur. Ioſeph quoque imperium à Pharaone dependebat, qui illud tradidit. Geneſ. 41.
2. Sed nonne dixit Pharao ipſi Ioſeph: Abſque tuo imperio nemo mouebit manum, aut pedem in tota terra Ægypti? Non enim hoc dixit Pharao decernens, ſed denuncians ea, quæ Deus decreuerat. Nam à Deo principaliter ipſe Ioſeph habuit illud imperium, à Pharaone verò executiuè. Maior itaque fuit Ioſeph, quia Pharao obediuit ipſi, quando illuſtratus à Gabriele futura reſerauit; non autem Ioſeph obediuit Pharaoni. Nec enim ipſe Pharao potuiſſet etiam volens contra ipſum.

PROBLEMA CCLXXII.

1. QVo nomine Pharao Ioſeph appellauit? Nonne ſaluatorem mundi, vt habet vulgata editio? Sed nonne veritas literæ habet צפנת פענח Zaphnat pahneah: quod reuelatorem occulti ſignificat? Anteà verò à præconibus vocatus fuerat אברך Abrech; quod pater tener dicitur, vel pater regis: vt R. Salomoni placet. Pro quo communis editio habet, præpoſitum. Sed nonne ipſe Ioſeph Pharaoni quoque prælatus eſt, in eo, quòd reuelator ſecretorum (quod Dei proprium eſt) appellatus fuit? Et quia Gabriele docente (vt aliàs dictum eſt) id faciebat; nonne etiam ex dignitate tutoris arguitur dignitas cuſtoditi? vnicuíque enim datur Angelus conueniens. Gabriel autem eſt vnus ex 7. principibus, qui adſtant coram Deo. Et quod vox populi (quæ Dei vox dicitur) intonuit: nonne quoque arguit ipſum fuiſſe maiorem Pharaone, cùm pater eius dictus ſit? Habebant enim Ægyptij ipſum in patrem. Verùm quia iuuenis erat 37. annorum, dictus fuit pater tener. Pharaonis autem pater fuit, ſicut de Moſe dictum fuit: Conſtitui te Deum Pharaonis. Geneſ. 41. *Verſiculus 45.* Exod. 7.

PROBLEMA

PROBLEMA CCLXXIII.

CAPVT XLII. 1. *Verſic. 4. cap. 42.* QVR Iahacob mittens filios in Ægyptum pro alimonia, domi retinuit Beniamin? An quia valde diligebat eum, & ſolum exiſtimabat ſuperſtitem ex filijs Rachelis prædilectæ? An quia timebat fratrum inuidiam, quam partim expertus fuerat in Ioſeph? An (vt ad altiora conſcendamus) quia nolebat vir ſanctus remanere ſine aliquo fructu Rachelis, ideſt contemplationis, vt ſupradictum eſt? Nolebat enim priuari filio dexteræ, de qua ſcriptum eſt: Delectationes in dex- Geneſ. 42. Pſal. 151.
2. 3. tera tua in æternum.

CERTVM eſt Pharaonem maiorem fuiſſe, vt rectè Venetus ait in 1. parte problematis, qui tametſi moueretur à Deo, vt eum honorem, quem textus exhibet, Ioſepho deferri iuſſerit: id tamen liberrimè decreuit; nec illicò dixeris reges conſiliarijs poſtponẽdos, quòd horum conſilia ſequantur, eiſque velut obediant: Imo & Ioſeph Pharaoni obediuit, ſiue cùm ſomnia interpretaretur, ſiue cùm honorem ſibi delatum acceptaret: nec mihi dubium eſt, quin illud dominium libenter à ſe Ioſeph abdicaſſet, ſi regi placuiſſet, cuius imperium ſuſcepiſſet, vnde facili negotio iudicaueris, quid de poſteriori 271. problematis parte ſentiendum ſit. Ad 272. procedamus. *Pharaonẽ Ioſepho maiorem fuiſſe.*

In litera Hebraica, quam malè Venetus literæ veritatem appellat, vt etiam Cenſores animaduerterunt, illa verba ſcribuntur, quæ Toſtatus Ægyptiaca eſſe, non autem Hebraica affirmat, quia vertit eius nomen Pharao, cúmque lingua Ægyptiaca nominibus illis compellauit, quæ mundi ſaluatorem ſignificant: aitque D. Hieronymum hæc pauca verba intelligere potuiſſe, maximè cùm per Ægypti regiones diu ambulaſſe videatur, dum iſtius prouinciæ Heremicolas viſitaret. Vatablus vertit abſconditorum interpretem, aitque voces illas eſſe Hebraicas: quid verò ſignificent hæc verba fatetur Aben-Ezra ſe ignorare, vt iam D. Hieronymo gratias habere debeamus, inquit Steuchus, quòd rem obſcuram, & ab ipſis 70. ignoratam, ſicut & ab Hebræis, nobis aperuerit; quas voces apud Septuaginta corruptas eſſe animaduertit, nam apud eos legimus φμ θομφανὴχ, cùm Hebraicè ſcribantur צפנת פענח tſaphnath pahneah, niſi fortè 70. didicerint ab Ægyptijs illas voces, quas habent, eſſe proprias, quibus Pharao vſus fuerit, quæ apud Hebræos corruptæ fuerint. Ob quam fortè difficultatem Cenſores ante *Secretorum reuelatorem*, ſcribi iubent, *etiam*, vt verſionem noſtram, quæ vera eſt, tueantur. Diuinat autem, cùm ait Gabrielem Ioſepho ſomniorum interpretationem reuelaſſe, eiúſque fuiſſe cuſtodem: quis enim obſecro illud ei reuelauit? fortè Zohar fabuloſus, quamuis id reuera per Gabrielem, aut alium quempiam Angelum Deus efficere potuerit. *Problema 272.* Toſtatus. Vatablus. Steuchus gratias agit D. Hieron. Difficilia verba Scripturæ.

In ſequenti problemate ad cap. 42. Geneſis pertinente, tantùm aduerte, illud altius, ad quod aſcendit allegoricum eſſe, quod proinde literæ veritatem præcedentem ſupponere debet. *Problema 273.*

CAPITA *reliqua vſque ad 49.*

PROBLEMA CCLXXIV.

Verſ. 11. c. 43. QVR Iahacob tandem compulſus, nulli ex filijs voluit credere Beniamin, niſi Iehudæ? An quia inſtantiùs eum petijt? An quia maiora pignora promiſit? Sed Geneſ. 43.
1. nonne Reuben obtulit duos filios occidendos, niſi eum reduxiſſet? An igitur Ibid. 42.
2. quia regium ſceptrum, & regium verbum erat in Iehuda, ſicut ſcriptum eſt: Non auferetur ſceptrum de Iehuda. Hinc bis cecinit Pſalmographus: Iehuda rex meus, verum Gen. 49. Pſalm. 59. & 107.
3. enim debet eſſe verbum regis.

PROBLEMA CCLXXV.

1. QVR commota fuere viſcera Ioſeph ſuper Beniamin? An quia germanus erat, vt in textu dicitur? An (vt Zohar ſentit) quia eo ſpiritu, quo cætera peragebat ſanctus Geneſ. 43.
2. Ioſeph, præuidit euerſionem templi, in ſorte Beniamin ædificandi? Quod præuidens mater Rachel plorauit, vt ſcriptum eſt, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari. Ierem. 31.
Verſ. 30. cap. 43. Zohar. Nec obſtat, quòd Mathæus dicat, ploratum illum fuiſſe propter occiſionem infantium ab Herode factam in confinibus illis, quia vtrúmque conuenire poteſt. Math. 2.

PROBLEMA CCLXXVI.

1. QVR Iahacob tandem deſcendit in Ægyptum? An (vt alibi diximus) quia patres deſcenderunt in Ægyptum, vt inde robuſtiores fierent? An quia ſic decretum fuerat in Geneſ. 46.

2. excelsis? Sicut Abrahæ reuelatum fuerat ab eo, qui dixit, Scito prænoscens, quòd peregri- Ibid. 15.
Versic. 6. num futurum sit semen tuum in terra non sua. An vt sicut Ioseph angustijs, & tribulatio-
cap. 46. nibus superiùs adductis expurgatus, tanta præfecturæ dignitate ornari meruit: sic populus
3. Israël post tam graue, diuturnúmque seruitutis iugum, & ipse vexationibus expurgatus ex-
cellentissimum donum legis, punitis Ægyptijs, suscipere mereretur? Hinc subinfert oracu-
lum. Gentem autem, cui seruituri sunt, ego iudicabo, ipsi verò egredientur cum magna
substantia, non tantum auri, & argenti, sed & vestimentorum, quibus decorati filij Israël
legem in Horeb suscipere meruerunt, vt infrà dicemus.

PROBLEMA CCLXXVII.

1. CVR scriptum est, quòd Iehudas appropinquauit Ioseph? An id in loco tam Genes. 44.
graui sine mysterio describitur, maximè cùm apud Hebræos ibi tractatus
2. celeber incipiat? An igitur (vt expeditiùs ad mysteria veniamus) appropin-
Vers. 14. quatio Iehudæ ad Ioseph denotat appropinquationem, & colligationem,
cap 44. quam debet habere rex per Iehudam signatus, cum iustitia, vel iusto per Io-
seph denotato? Nam (vt Augustinus ait) quid sunt regna sine iustitia, nisi la- D. Aug. 4. de Ciuit. cap. 4.
3. trocinia? An duo reges (vt Zohar placet) alter actiuæ, alter verò contemplatiuæ vitæ con-
Zohar. uenerunt, vt perfectum regnum efficerent? Quale fuit regnum Christi, qui vtrámque ser- Psalm. 47.
uauit. Hinc Propheta canit: Quoniam ecce reges congregati sunt, conuenerunt in vnum:
ipsi videntes sic commoti sunt, præuidentes videlicet futuros eorum euentus.

Quare potiùs Iudæ, quàm cæteris Beniamin datur, sex rationes.

NONNVLLAS rationes Venetus affert in 274. problemate, cur Iudæ potiùs, quàm cæ-
teris fratribus Beniamin concesserit, præter quas Abulensis, & ex eo Pererius alias causas addunt:
1. ratio. Et quidem primò Iudas potentior erat ad persuadendum, cùm ingenio, auctoritate, & facundia ex-
celleret; adde quòd ea verba non suo tantùm, verùm etiam omnium fratrum nomine patri dixit,
2. vt Philo notauit. Deinde patri Iudas gratior esse poterat ob prudentiam, & morum grauitatem,
cùm tamen ob incestum Ruben ei inuisus esset, quãdoquidem eorum paternum violauerat, ideó-
Theodor. que illi suspectus erat, inquit Theodoret. qu. 103.
3. Tertiò Ruben conditionem iniquam, absurdam, & irrationalem obtulit, quam potius auersari, &
4. execrari, quàm acceptare Iacob debuit. Quartò, cùm ea Iudas protulit, erat maior frumenti inopia,
& fames, vnde Iacob faciliùs necessitate vinci po-
5. tuit, & veluti cogi, vt Beniamin dimitteret. Quintò
grauior videri potest conditio Iudæ, quàm Ruben;
nam filiorum occisio breuis, atque citò transitura
erat, cùm Iudæ pœna perpetuò duratura esset: pœ-
Seneca. na verò quo diuturnior, eo grauior; vnde Seneca:
Nemo tam est timidus, vt pendere semper malit,
Ouid. quàm semel cadere: vnde Naso de Ponto:

Mitiùs ille perit subita qui mergitur vnda,
Quàm sua, qui tumidis brachia lassat aquis.

6. Sextam causam allegoricam Origenes attulit,
nempe Iudæ conditionem Iacobo visam fuisse
grauiorem, quòd pœnam æternam figuraret, cui-
us in æternum rei sunt peccatores in inferno:
cùm tamen Ruben obtulisset conditionem, quæ
solas pœnas temporarias vitæ præsentis referret,
quæ tametsi graues, & acerbæ sint, respectu pœnæ
æternæ pro nihilo ducuntur.

Problema 245. In problemate 245. si prout Veneto, mihi quó-
que diuinare liceat, cur viscera Ioseph super Beni-
amin commota sunt, probabile dicam, ad lachry-
Quare Ioseph fleuit cùm vidit Beniamin. mas eum commotum fuisse, quòd talis esset apud
patrem, qualis aliquando Ioseph ipse fuerat, nem-
pe charissimus: quod cùm apud se cogitaret Ioseph
fletum continere non potuit. Gratum est, si verum
quod R. Salomon ait, Iosephum nempe ideo fle- Ratio R. Salomon.
uisse, quòd Beniamin sequentia dicentem audie-
rit. Cùm ab eo quæsijsset, an haberet vxorem, &
filios, respondit se decem filios habere; quorum
nomina essent Bela, Bechor, & cætera, quę 46. cap.
habentur: Cùm autem rursus quæreret Ioseph,
cur ita filios appellasset, quandoquidem non ita
proaui vocarentur, respondit: Hæc eis nomina
imposui ad memoriam illius fratris mei, quem
perdidi. Vnde primus Bela dicitur, idest deuora-
tus, vel destructus, quia de eo dictum est, quòd
pessima bestia deuorasset eum. Gera significat pe-
regrinum, quia mortuus non est, sed in aliena ter-
ra peregrinus est. Naaman pulchrum sonat, nam
valdè pulcher erat, vt dicitur. Echi, idest frater
meus, qualem eum, & non alios existimabam. Ros
significat caput, quia ipse erat caput meum, quo-
modo cætera filiorum nomina applicari possunt;
quod Iosephum vehementer commouit, cùm tan-
ta eum dilectione frater Beniamin prosequeretur,
vt ad fratris perditi memoriam omnibus filijs no-
mina dederit: quam tamen rationem Abulensis
reijcit, ex eo quòd solus Beniamin vterini conspe-
ctus ad ciendas lachrymas suffecerit.

In 276. bene, si per robur intelligat ideo patres Problema 276. & 277.
descendisse, vt commodiùs viuere possent, vnde
robustiores fierent, vbi enim fames viget, virtus
corporum minuitur. In 277. omnia sunt allego-
rica.

Refert Tostatus ex Iudæis, Iosepho Iudam ira- Tostatus plurima recitat de verbis, quibus Iudas Iosephum allocutus est.
tum fuisse, eique dixisse: sicut Pharao est fraudu-
lentus, & calumniator, ita & tu; refertque ex trans-
latione Chaldaica, quòd Iudas ad Iosephum, qui
Beniamin detinere volebat, cum impetu accesse-
rit, & apprehenso ense per manubrium attrahere
voluerit, quasi inuasurus Ioseph, cui dixit, Quare
nos quotidie affligis? ecce prima vice calumniatus
es nobis, quòd eramus exploratores; postea dixisti,
quòd ad te puerum Beniamin duceremus, vt eum
videres: nunc autem calumniatus es, ponens scy-
phum in sacco pueri, vt eum subijceres in seruitu-
tem. Tu es calumniator, sicut dominus tuus
Pharao.

Pharao. Numquid scis meos fratres Simonem, & Leui vnam ex ciuitatibus terræ Chanaan destru-
xisse? Nunc ergo si insurgat furor meus, & indi-
gnatio mea dura, omnes Ægyptios transfodiam
gladio incipiens in te, & finiens in Pharaone, qui-
bus multa alia ridicula translationem istam, &
Hebræos addere Tostatus recitat; quæ omnia, in-
quit, aliena sunt à textu; quod verum est, quando-
quidem nihil aliud ex hoc capite colligere possu-
mus præter magnam cùm animi, tum corporis
submissionem, qua Iudas cum omnibus fratribus
Iosephum venerabantur, & alloquebantur. Certè
nihil ex ijs, quæ Tostatus recitat, paraphrasis no-
stra Chaldaica continet: quæ tamen Onkelo tri-
buitur, vt ex Fagio, qui eam transtulit, cæterisque Vatablus.
constat. Notat autem Vatablus vndecimam He-
bræorum sectionem huius libri incipere ab eo Hîc incipit 11. sectio Hebręorũ.
vers. 18. capitis huius 44. Accedens autem propiùs
Iudas, confidenter ait Hebraicè וגש Vaigas, & ac-
cessit. Vera autem causa cur Iudas confidenter ad Quare Iudas ad Iosephũ confidenter accessit.
Ioseph accessit, est, quòd prudentior esset; deinde
nullo scelere detinebatur, quod pudorem inge-
reret: demùm criminis reus fuisset apud patrem,
nisi Beniamin reduxisset.

PROBLEMA CCLXXVIII.

1. CVR Iahacob, & omnes filij eius dici voluerunt pastores ouium? An quia Genes. 47.
oues sunt animalia maximi lucri, vt triuiale est? An quia animalia sunt om-
2. nibus benefica, nulli verò nocentia? Quales esse debent, nedum milites,
Versic. 4. sed etiam veri duces. An quia oues (teste Christo) reponendæ sunt in Math. 25.
cap. 47. dextera: typum iustiorem tenentes? An quia innuunt (vt secretiores Theo-
3. logi volunt) quendam influxum beneficum à supramundanis locis ve-
nientem, quem suscipientes oues pacificæ, & filij Dei dicuntur? Iuxta illud Saluatoris: Math. 3.
4. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Hinc Habel, Patriarchæ omnes, Moses, &
Dauid dicti sunt pastores ouium. Quos prosequens (non litera, sed spiritu) summus Redem- Ioh. 10.
ptor, dixit, Ego sum pastor ouium.

PROBLEMA CCLXXIX.

1. AD quem puteum iuramenti venit Iahacob, proficiscens in Ægyptum? An ad Genes. 46.
2. illum puteum, quem Abraham, & postea Izahac fodit in terra? An ad illum & 26.
puteum septem, dictum Bersabah: quem ille puteus in terra fossus referebat?
Versic. 1. Qui quidem puteus ideo iuramenti puteus dictus est, quia quando iuramen-
cap. 46. tum datur, adiuratio fit per illos septem canales, in puteum illum influentes;
ne scilicet influant sibi, nisi verum dicat is, qui iurat: sin autem vera proferat, influant in
eius beneficium, vt alibi dictum est. Hinc, & vocabulum iuramenti, & septenarij, idem est
apud Hebræos. Nec ipse Iahacob illuc venit, vt iuraret, sed vt inde vim patrum susciperet:
qui idcirco puteum illum foderant pro se, ac posteris suis. Hinc dicitur, quòd audiuit Deum
vocantem se, ac fauorem sibi promittentem.

PROBLEMA CCLXXX.

1. CVR Iahacob obtulisse dicitur victimas Deo patris sui Izahac? An quia erat Genes. 46.
Versi. idem Deus peculiaris Izahac? Sed nonne scriptum est: Dominus Deus tuus, Deus
primus. vnus est? An igitur obtulit Deo Izahac, quia Abraham pietatem, Izahac au- Deut. 6.
2. tem robur ipse Deus infuderat? Iahacob enim tunc non pietate, sed robore
indigebat, quo intraturus in terram alienam muniretur nedum ipse, sed
etiam eius familia, quæ tot tantáque illic perpessura erat. Hinc dixit ei Deus: Ego sum for- Genes. 46.
tissimus Deus patris tui, noli timere descendere in Ægyptum. Ego descendam tecum, &
inde educam te.

Cur filij Iacob se pastores ouũ dixerunt 3 rationes. Iosephus.

FACILIS ratio, quam tantoperè Venetus in
278. probl. inquirit, quia reuera tales erant, at-
que pro talibus à Pharaone voluerunt haberi, ne
vel rex eos aulicos, & bellatores faceret, sic enim
facilè à se ipsis distraheretur; deinde ne cum mul-
tis virtutibus præstarent, Ægyptiorum odium, &
inuidiam in se concitarent, vt Iosephus lib. 1. An-
tiq. notat. Denique ne à vero Dei cultu ad Ægy-
ptiacas superstitiones deflecterent; admodũ enim
opportunè Gessen habitarunt, vt expeditior esset
eorum regressus in Chananitidem Ægypto pro-
pinquam, in qua Hebræi per 215. annos habita-
runt. Cauendum est ne supramundanos influxus
Veneti, de quibus hîc agit, ad nugamenta Caba-
listica referamus; quòd si velit diuinam gratiam
iustis infundi per oues significatis, optimè.

Sed ad puteum iuramenti pergamus, de quo in Problema
probl. 279. fit sermo. Et quidem primò clarum est 279.

Quare Iacob ad puteum iuramenti venerit 4. rationes.

cur illuc venerit Iacob, nempe vt Deo patris sui Isaac victimas mactaret: deinde puteus ille fuit idem, de quo cap.21. & 26. Genesis agit, qui dictus est Bersabee, siue puteus iuramenti, vel septem, quòd ibi 7. agnas electas Abrahamus dederit Abimelecho, & vterque iurarit: tertiò erat recta via, vt pergeret Iacob ex Hebron in Ægyptum. Denique locum illum sanctum existimauit, cùm ibi Abraham altare erexerit, Deúmque inuocarit, vt
Genes.16. patet Genes.1. & Isaac religiosissimè Deum coluerit. Illos autem 7. canales ad nugas Zoardinas pertinere censeas; quòd si per vim patrum, ad quam suscipiendam venerat, diuinum auxilium intelligat, quod Iacob per sacrificia postulauit, nihil dicit à veritate dissonum, quod illicò Deus illi promisit, vt in textu habetur. Attamen minus cautè loquitur in sequenti probl. cùm ait tunc non indiguisse Iacobum pietate, quæ cùm ad omnia valeat, Apostolo teste, semper ea homines indigent, imo quò maior pietas fuerit eò maius robur est; siue vt virtutem exerceas, siue vt vitia comprimas, & aduersa fortiter, & æquo animo patiaris; putauit autem satis Iacob, si Deum nomine Isaac recensito inuocaret: nec mihi dubium, quin tam Abrahamo, quàm Isaac cùm pietatem, tum etiam fortitudinem indiderit, tametsi fieri possit, vt aliquis iustus alteri in aliqua virtute præcellat, iuxta id, Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi.

PROBLEMA CCLXXXI.

1. *Versicul. vltimus cap. 48.* QVAM partem dedit Iahacob Ioseph filio suo extra fratres suos, è manu Amorrhæi in gladio, & arcu suo ablatam? An fortè agellum aliquem (vt dicitur) quo solebat potiri Iahacob, dum ibi moraretur? Genes.48. Sed quid indiguit Ioseph tanto regno præfectus, huiusmodi prædiolo? Genes.47. cùm ipse patri, ac fratribus regionem, & alimenta iam tradidisset. An igitur prædium illud sublime fuit?
2. Iuxta quod (non sine mysterio) venit Iesus locuturus cum Samaritana? Ioh. 4. Quod quidem prædium Iahacob acquisiuit arcu, & gladio virtutis sibi à Deo præstitæ? Locus enim quidam supramundanus est apud Deum, quem homo potest acquirere, iuxta illud, Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Qui locus etiam hæredibus dari potest, sicuti Abraham dedit omnia quæ possederat, Izahac. Math. 6. Christus autem acquisiuit plenitudinem præmiorum; Genes. 25. de qua (teste Iohanne) omnes nos accepimus. Ioh. 1.

PROBLEMA CCLXXXII.

1. *Versic. 1. cap. 49.* QVO spiritu propinquus morti Iahacob filijs, quæ ipsis superuentura erant, prænuntiauit? Genes.49. An quia (vt Plato docet) anima morti proxima incipit dissolui à sensibus, quibus ligata, & impedita erat? Hinc tunc limpidior fit in cognoscendis occultis. An illustratus Dei Spiritu, quo inspirati locuti sunt Prophetæ (vt Petrus
2. perhibet) prædixit non tantùm ea, quæ filijs, sed quæ veræ familiæ, per filios, & familiam 2. Petr. 1. suam figuratæ superuentura erant?

PROBLEMA CCLXXXIII.

1. CVR iurante Iahacob de sepeliendo corpore patris in Hebron, scriptum est, quòd Israël adorauit conuersus ad lectuli caput? Genes.47. An adorauit Ioseph gratias
2. referens de promissione facta? Sed cur ad lectuli caput? An igitur illorsum *Versicul. vltimus cap. 47.* adorauit, quia caput strati ad terram sanctam vergebat, quorsum patres adorare consueuerant, vt dicitur? Sed quis nouit situm lecti illius? An igitur
(sicut in veritate literæ habetur) adorauit ad caput מטה hamitah, quod le-
3. ctum, virgam, & crucem interpretari possumus? Et sic erit sensus, quòd adorauit crucem, per quam cognoscebat se vnà cum patribus ex illa spelunca, quam nunc vacuam videmus, resurrecturum cum illo, qui in ipsa cruce triumphauit. Cognouítque se ex illa spelunca migraturum ad paradisum voluptatis, cuius ipsa spelunca ianua est, vt secretiores Theologi dicunt, & norunt ij, qui per analogiam historiæ, diuina metiri sciunt: An adorauit
4. (vt Zohar ait) diuinitatem, quam ad lecti caput fulgere conspiciebat. Zohar.

CIRCA 281. problema non est parua difficultas, quænam sit pars illa, quam Iacob tulerit in arcu, & gladio; quam partem textus Hebraicus vocat שכם, 70. σικιμα de qua loquitur D. Ioann. cap. 4. & Iosue 32. dicitur venisse in possessionem duobus filijs Ioseph. D. Hieron. in tradit. Hebraic. ait Sichem nunc dici Neapolim Samaritanorum vrbem; huius verò meminit Scriptura Genes. 33. cùm tamen legamus vnam: & Sichem significet partem. Inde dubium oritur, an hic locus vel de Sichem vrbe, quam armis filiorum in vltionem stupri Dinæ Sichimijs occisis Iacob acquisierat, vt D. Chrys. hom. 67. in Genesim existimat; an verò de parte illa terræ, in qua Iacob disperdidit deos alienos,

Psalm. 2. Augustin.

alienos, iuxta id psalm. 2. Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, vt censet D. August. quæst. 167. in Genes. intelligendus sit: maximè cum Genes. 49. propter illud expugnatæ Sichimæ facinus Simeoni, & Leui maledixerit.

Est & alia difficultas, quomodo in gladio, & arcu de manu Amorrhæi Iacob tulerit partem illam: D. Hieronym. gladium, & arcum, ait fuisse iustitiam Iacob, per quam meruit, vt interfecto Sichen, & Hemor de periculo liberaretur, alioquin enim ob euersionem vrbis confœderatæ, ab incolis oppidorum vicinorum opprimendus videbatur, nisi Deus timorem illis incussisset.

Quomodo Iacob tulerit partem in gladio & arcu. Prima sententia D. Hieron.

Deinde fortitudinem Iacob de pecunia intelli-
2. git, qua Sichimam emerat, pecunia verò in multa fortitudine, sudore, & labore acquiritur; illam autem ab Hemor centum agnis emerat, Gen. 33.

Tertiò Paraphr. Chaldaica habet, oratione, &
3. Chald. obsecratione mea, quibus significat arma fortissima Iacob, & cæterorum iustorum orationem esse, qua à Deo, quicquid necessarium fuerat obtinent, & qua Iacob impetrauit, ne Sichimitarum agro priuaretur. Ita Aben-Ezra, & Abulens. quod ex
Abulens. Exod. 17. Mose confirmari potest, qui per manuum eleuationem, Exod. 17. Amalecitas debellabat: vnde, &
ad Ephes. Apostolus ad Ephes. 6. sacram panopliam describit, Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, induti loricam iustitiæ, &c.

Quartò Rabi Salomon, eiúsque compatriota,
4. R. Salomõ. vt ait Tostatus, existimat Iacobum cum filijs armatum stetisse in porta Sichem, vt expectaret insultus hostium, quibus tantus pauor incussus est, vt in Iacob irruere non fuerint ausi: sed illud fictum est ab isto Rabino.

Quintò Caietanus ait illam partem non intelli-
5. Caietanus. gi de vrbe à Sichimitis erepta, quandoquidem isti non erant Amorrhæi, sed Heuæi; sed de alia pugna, quam Scriptura non exprimit locutum esse Iacobum existimat.

Sextò Masius in cap. vlt. Iosue ait Iacob emisse
6. Masius. ab Hemor partem illam agri, sed postmodum ex ea Amorrhæos expulisse, qui non iure, sed armis fundum illum à Sichimitis eripuerant.

Septimò Pererius ex Hebræis refert illud à Ia-
7. Pererius. cob per anticipationem dictum fuisse de Amorrhæis, cæterísque nationibus quas posteri expugnaturi erant.

Octauò de filijs Ioseph interpretantur, cuius
8. filij duas partes in terra promissionis accepturi erant; sic enim Ioseph partem vnam supra fratres accepisse dicetur.

Nonò de fauore Iacob intelligunt, quo Si-
9. chimitis adeo gratiosus fuerit, vt, tametsi peregrino, libenter vendiderint, idque pretio satis exiguo.

Decimò aiunt Iacob proiectis versus Iosephum
10. aliquot sagittis, gladióque protento, atque solemni ritu Barbaros illos specie tenus exuisse sua possessione; eo ferè modo, quo Ioas Eliæ iussu sagittis emissis, atque percusso solo Syriam certa spe debellauit, atque Iosepho partem illam iure belli obtentam, dedisse.

Et quidem probabilissimum est partem illam non intelligi de vrbe Sichima, quandoquidem Iacob cædem istam & bellum detestatur, & arma iniquitatis vocat, quibus Sichimitas expugnarunt Simeon, & Leui: de quibus ait capite 49. In consilium eorum non veniat anima mea: vnde 9. peccata filiorum Iacob, narrat Pererius in capite 34. Pererius. versic. 26. Pars igitur, quam dedit Iacob Iosepho non alia fuit, quàm ea, de qua Iosue 4. quam Ioh. 4. 37. Genes. Iacob reuersus de Mesopotamia emit vltimo Ios. ab Hemor; & in ea parte, agro, seu prædio ossa Ioseph sepulta sunt vltimo Iosue: imo fortè pater agrum illum dedit ei, vt ibidem sepeliretur.

In problem. 282. Venetus opinionem antiquo- *Problema 282.*
rum, erroneam tamen attingit: sic enim Xeno- Xenophõ.
phon 8. Cyrop. mortis tempore diuinatricem animam facit, vt & Plato in Apolog. quod multis exemplis Quintus Ciceronis frater 1. de diuinat. astruere nititur; quæ vel fabulosa sunt, vel dæmonis arte conficta. Profectò tantum abest vt instante morte possit anima futurorum euentum prædicere, nisi id peculiari Dei instinctu, atque dono fieret, quin potiùs ita turbatur, vel sopitur, ob sensus cùm exteriores, tum interiores tunc deficientes, vt vix quidquam intelligere possit, quandoquidem in operationibus suis à phantasmate dependet, & à concursu sensuum, qui pereunt. Itaque non prima, sed secunda Veneti ratio sequenda est.

Præclaram quæstionem problem. 283. aggredi- *Problema 283.*
tur, quæ ex eo pendere videtur, vt quid sit lectuli caput, inuestigemus. Vbi nostra versio legit: *Adorauit Israël Dominum conuersus ad lectuli caput:* & Hebræus וישתחו ישראל על־ראש המטה Vaistahu Israël hal ros hammita. Septuaginta habent, καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, idest; & adorauit Israël fastigium virgæ eius; quos Apostolus sequitur ad Hebræos vndecimo. Iuxta quam versionem explicat Diuus Augustinus ad Hebr. 11. August. de baculo, quem Iacob sustentandæ senectuti causa ferebat, cui, vt adoraret, innitebatur, itaut caput super baculum inclinaret; ita loquitur quæstion. 162. in Genes. vel super ipsa virga, quam à Ioseph acceperat, adorauit, non Ioseph, sed Deum: vel etiam Ioseph reuerenter honorauit, vt primarium Ægypti rectorem, vt Iosephi somnium compleretur, in quo Sol, & Luna eum adorare videbantur: ita Theodoret. quæst. 108. Theodor. & D. Chrysostomus homil. 66. in Genes. Quibus Chrysost. Procopius addit adorasse regnum Christi per Iosephi virgam designatum; vnde non ad imagines, sed ad prototypa dirigendus est animus, vt habetur in actis 2. Synodi Nicenæ in Epistola Hadriani Conc. Nic. Papæ ad Constantinum; & Irenen; & in eodem Concilio Leontius lib. 5. Apol. aduersus Iudæos Leontius. vindicat Christianos imaginum veneratores ab idololatriæ scelere.

Qui verò sequuntur nostram vulgatam editionem, quæ habet *lectuli caput*, quod etiam Hebraicus textus sonare videtur, aiunt Iacob se supra lectuli caput inclinasse, quia cùm in extrema esset ætate, vix sese prosternere poterat, vt Caietanus aduertit. Lira, & Tostatus volunt sese conuertisse ad Orientem, versus Chanaan, quæ respectu Ægypti Orientalis erat, sic enim Iudæi vbique terrarum post extructum templum, ad illud conuersi preces suas fundebant Danielis 6. Daniel. 6. Salomon enim deprecatus est 3. Regum 8. vt sic orantes, exauditentur: tametsi post factum tabernaculum, locus in quo Hebræi orabant, non esset versus Orientem, sed Occidentem, 26. Exod. Exod. & Leuit. 18. & 16. Leuit.

Quomodo, & cui hæc adoratio exhibita fuerit quinque ſententiæ.

An aurem hæc Iacob adoratio in honorem Ioſeph facta fuerit: nam parentes vitam priuatam agentes honorem filijs impertire debent: cùm ad aliquod dignitatis faſtigium euecti ſunt, vt Gellius libro 2. capite 2. explicat. An verò diuinitatem ipſam in capite lectuli viſam, quam Hebræi סכינה Saquinah dicunt, & ad ægroti caput aſſiſtere dicunt, adorarit, difficillimum eſt determinare:

Quid Iacob adorarit.

quandoquidem interpretes inter ſe minimè conueniunt. Alij explicant adorare, pro laudare, & gratias agere: vnde Thargum Hieroſolymitanum habet, Et laudauit, ſiue gratias egit Iſraël ſuper caput lectuli. Quartò dicunt adoraſſe ob religionem iuramenti à Ioſeph præſtiti, quod in iureiurando, Dei conteſtatio, & inuocatio fieret. Quintò dicunt adoraſſe, quatenus morbo grauatus ob longum cum Ioſeph ſermonem habitum ſe rurſum ad caput lectuli, requiem capturus reclinauit; ſic enim in noua tranſlatione Vatablus habet. Inclinauit ergo Iſraël verſus caput lectuli.

Animaduertitur in Eugub.

Pauca verò de vulgata editione dicenda ſunt, quandoquidem Eugubinus ait 70. æquiuocatione deceptos eſſe; nam מטה pro diuerſa punctorum collocatione lectulum, & baculum ſignificat; quando lectum ſignificat, dicitur מִטָּה mittah; quando baculum מַטֶּה: miror autem quòd abſurdum dixerit, & non intelligibile ſit, ſi virgam dixerimus, maximè cùm D. Paulus verſionem Septuaginta ſecutus fuerit ad Hebræos 11. An Eugubinus Epiſtolã ad Hebræos apocripham exiſtimabat? An non eam legerat? An putat Apoſtolum eraſſe? Sed nunquid ipſe Gennadium citat, qui hæc verba habet. βιάζεται μὲν ἑαυτὸν πρὸς ἀνόρθωσιν. ἐπισχεθεὶς δὲ, καὶ ἐπαναπαυσάμενος τῇ ἐν χερσὶ βακτηρίᾳ πληροῖ τὴν προσκύνησιν. Ideſt, Iacob cùm vellet Deo gratias agere, atque adorare, ſeſe obnixus erigebat ſuper ſummum baculi, eíque innixus, adorationem impleuit.

ad Hebr. 11.

Diodori ſententia.

Cui aliam Diodori ſententiam ſubiungit ῥάβδον μὲν εἶχεν ὁ Ἰακὼβ, οἷα δὴ γέρων. πότερον δὲ αὐτὸς ὁ Ἰακὼβ γέρων ὢν, καὶ δυσκινήτως, τοῦ ἔχων ἄκρῳ τῆς ῥάβδου ἁψάμενον τοῦ Ἰωσὴφ, κατεφίλησεν αὐτὸ τῆς ῥάβδου μέρος, οὗ ἥψατο, ἢ Ἰωσὴφ προσκυνήσας τῷ πατρὶ, ἥψατο τοῦ ἄκρου τῆς ῥάβδου. Ideſt, *Iacob vtpote ſenex baculum tenebat: an verò ipſe Iacob iam ſenio confectus, &, qui non facilè ſeſe mouere poſſet, baculi ſummitate tetigerit Ioſeph, eámque partem, qua eum tetigerat oſculatus fuerit, vel ipſe Joſeph adorato patre tetigerit baculi ſummum.* Quæ potiùs contra Steuchum militant, quàm, vt ex eis ſententiam ſuam confirmare poſſit.

Pluribus modis à 70. מטה vertitur.

Iuuaretur potiùs à Symmacho, qui vertit ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῆς κλίνης. Sed quicquid dicat Eugubinus Septuaginta hoc in loco benè verterunt virgam, non tantùm quia מטה vtrumque ſignificat, vt ipſe fatetur: quod Septuaginta pro locorum diuerſitate verterunt; non tantùm per ῥάβδος, vt iam dictum eſt: ſed etiam per σκῆπτρον, βακτηρία, στήριγμα firmamentum, πληγὴ plaga, θυμὸς ira, ζυγὸς iugum, ἔκτασις, σιτοδεία penuria, φυλὴ tribus, quia baculis nomina tribuum inſcribebantur, δίφρος ſella, ἀδικία iniquitas. Adde quòd omne fulcimentum, quo quis innititur, ſignificat, ſicut & robur, dominium, regnum, lectum, reclinatorium, & tricliniarem, pheretrum, & loculum, ſeu lectum ſtygium: deriuatur autem à radice נָטָה nata, ideſt, inclinauit, declinauit, extendit, receſſit, ſtatuit, vt apud Conradum Kircherum in concordantijs, & Schindlerum in Pentaglotto, cæteríſque lexicis videre eſt: verùm etiam quia D. Paulus ita vertit, vel potiùs ita citat ex Hebræo, vel ex Septuaginta. Vnde nec tantùm fuit quòd D. Hieronym. in tradition. Hebraicis miraretur, cur Septuaginta, *virgam verterint*, cùm vtroque modo legere potuerint, & Mitta, & Matte; nec enim erant puncta ſiue tempore Septuaginta, ſiue tempore D. Hieronym. quicquid ſuſpicetur Buxtorfius in Tyberiade, ſeu triplici commentario Maſſorethico, & Marinus Brixianus in arcæ ſuæ prolegomenis. Vnde Pererius aduertit non eſſe ſemper verum quod ait D. Hieron. Epiſtola 151. ad Algaſiam quæſt. 2. circa medium, nempe Apoſtolos, & Euangeliſtas tunc Hebræum ſuis ſermonibus expreſſiſſe, vbi Septuaginta ab eis diſcrepant: licet defendi poſſit ex tradition. Hebraic. in capite 4. Geneſis, cùm ait Apoſtolicos viros plerúmque teſtimonijs abuti iam inter populum diuulgatis, cùm ad populos loquuntur, niſi obſtaret quòd D. Paulus non ad populum concionem habuerit, ſed grauiſſimam epiſtolam ad Hebræos ſcripſerit. Poſſemus etiam cum Pererio dicere ſimul ad lecti caput, & virgæ faſtigium adoraſſe Iacob, potuit enim baculo ſuo inniti ſimul, & ad lecti ſui caput ſeſe conuertere. Sed & D. Hieronym. facilè, quod attinet ad hunc locum, tueremur, ſi D. Paulum Hebraicam dictionem ſecutum diceremus; potuit enim legere Matte, non verò Mitta: Denique potuit Hebraicè citatam epiſtolam ſcribere; quæ omnia in præſentia minimè diſcutio, tum quia ſatis ſupérque de hoc loco egiſſe videmur, tum etiam quia locum alium habent, in quo latiùs tractari poſſint.

נָטָה

Buxtorfius. Marinus. Brixianus. D. Hieron.

Neſcio ſi Venetus per ſpeluncam intelligat limbum, vel potius ſinum Abrahæ, in quo ſancti Patriarchæ ad vſque Chriſti aduentum includebantur, videtur ad neſcio quæ ſapientum nugamenta reuerti: quapropter cautè legendus eſt.

IN CAPVT XLIX. Geneſis.

Nonnulla me impulerunt, vt hîc textum integrum capitis 49. Geneſeos apponerem; quorum vnum eſt, quia ſuis problematibus ferè ſingulos verſus eiuſdem capitis Venetus attingit: aliud quia ferè textum omnem ſatis accuratè exprimo, quod ideò fortè non iterum in proprijs commentarijs explicabo, niſi quædam noua occurrerint.

CAPVT XLIX. Geneſis.

1 VOCAVIT *autem Iacob filios ſuos, & ait eis: Congregamini, vt annunciem quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſſimis.*

2. *Congregamini, & audite filij Iacob, audite Iſraël patrem veſtrum.*

3 *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio.*

4 *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.*

5 *Simeon & Leui fratres: vaſa iniquitatis bellantia.*

6 *In conſilium eorum non veniat anima mea: & in cœtu illorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.*

7 *Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſraël.*

8 *Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui.*

9 *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?*

10 NON AVFERETVR *ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt: & ipſe erit expectatio gentium.*

11 *Ligãs ad vineã pullum ſuum, & ad vitem, ô fili mi, aſinam ſuam. Lauabit in vino ſtolam ſuã, & in ſanguine vuæ palliũ ſuũ.*

12 *Pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.*

13 *Zabulõ in littore maris habitabit, & in ſtatione nauiũ pertingens vſq; ad Sidonem.*

14 *Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos.*

15 *Vidit requiem quòd eſſet bona: & terram quòd optima: & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factúſque eſt tributis ſeruiens.*

16 *Dan iudicabit populum ſuum ſicut & alia tribus in Iſraël.*

17 *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò.*

18 SALVTARE *tuum expectabo Domine.*

19 *Gad, accinctus præliabitur ante eum: & ipſe accingetur retrorſum.*

20 *Aſer, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.*

21 *Nephthali, ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis.*

22 *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens & decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt ſuper murum.*

23 *Sed exaſperauerunt eum, & iurgati ſunt, inuiderúntque illi habentes iacula.*

24 *Sedit in forti arcus eius, & diſſoluta sũt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Jacob: inde paſtor egreſſus eſt lapis Jſraël.*

25 *Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus vberũ, & vuluæ.*

26 *Benedictiones patris tui confortatę ſunt benedictionibus patrum eius: donec veniret deſiderium collium æternorum: fiant in ca-*

pite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos..
27 Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia.
28 Omnes hi in tribubus Israël duodecim: hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis, benedictionibus proprijs.
29 Et præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro
Ephron Hethæi.
30 Contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri.
31 Ibi sepelierunt eum, & Saram vxorem eius: ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet.
32 Finitisque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obijt: appositusque est ad populum suum.

PROBLEMA CCLXXXIV.

CVR Iahacob morti vicinus dixit filijs suis, congregamini? *Non quippe dixit, Con-* Genes. 49.
I. *gregamini, sed* האספו heasphu, quod colligimini, & augete interpretari possumus.
Quorum vtrúmque conueniebat. Colligendi enim erant ad semetipsos ij, qui va-
Versicul. 2. cap. 49. ria in negotia dispersi erant, vt dispositi essent ad suscipienda mysteria, quibus pa-
ter præditus erat. Augete quoque dici potest, videlicet ea quæ nunc, iure quasi hæreditario
trado vobis, & ea quæ iam possidetis. Vnde sensus est. Hæc non tantùm prænuntio, sed tri-
buò vobis efficaciter, ea tamen virtute, qua scio ipsa ventura me vobis prædicere.

PROBLEMA CCLXXXV.

I. QVIDNAM Iahacob tradidit primò Reuben? Nõne vocauit ipsum primogenitum?
Versic. 3. Sed cur antea benedixit Ioseph, ac filios eius, ipsúmque peculiari munere donauit?
& 4. Nonne quia (vt supradictum est) in mente habebat Ioseph loco primogeniti?
2. Quamuis quoad naturalem genituram Reuben esset primus. *Nec enim* Reuben
prior in donis dicitur (*vt habet mendosa traductio*) sed residuum doni. Quasi diceret. Resi-
duum doni eius, quod tibi debebatur, vt primogenito tribuo. Nam totum non dabo. Cùm
magnam ipsius partem amiseris, maculans cubile patris tui. Ideò sequitur. Effusus es, sicut
aqua, maculasti stratum patris tui. Nec enim superest aliud tibi dandum, sicut dedissem, nisi
ipsum torum maculasses.

PROBLEMA CCLXXXVI.

I. QVID Simehon, & Leui tribuit? Nonne solam detestationem temerarij ausus,
Versicul. primò in Sichimitas, postea in Ioseph ostensi? ideo dixit. Quia in eorum ira
5. 6. & 7. occiderunt viros, Sichimitas videlicet, & in furore suo eradicarunt taurum,
idest Ioseph, qui à Mose pulchritudo Tauri dicitur. Euulserunt enim ipsum,
quando vendentes eum, separarunt à patre. Quamuis autem שור sor taurum,
& murum significet: hîc tamen taurum Sapientes adiudicarunt interpretandum. Sequitur.
Diuidam eos in Iahacob, & disperdam eos in Israël. Quod factũ fuit: Nam tribus Leui vbiq;
dispersa legitur: Simehon autem fuit sub tutela Iehudæ, vt inde cõprimeretur. Furor eorum
pertinax, & indignatio ipsorum dura, vt in textu dicitur. Vnde vterque priuatus fuit benedi-
ctione; cùm non augmento, sed compressione virtus eorum dura indigeret. Recuperauit au-
tem Leui benedictionem; quando zelauit contra adoratores vituli, vt in Exodo legimus.

RIDICVLVM est 284. problema, dum ait Iacob non dixisse congregamini, sed colligimini, quasi verò colligimini non idem significet, ac congregamini: vnde 70. habent συνάχθητε: sed numquid אסף asaph, quod est radix האספו heasephu, significat congregare, colligere, ponere, leuare, & augere, quandoquidem ille qui congregat auget, & qui auget congregat: mysteria verò, quæ susceperunt, fuit benedictio, & prædictio futurorum: nec alio modo tribuit Iacob efficaciter virtutem augendi bona sua, nisi quatenus eis bona deprecatus est.

אסף quid sibi velit.

Sed ad primogenitum filiorum Iacob cum Veneto sequenti problem. transeamus, in quo, pro verbis istis, *Ut habet mendosa editio*, scribendum est: *Et Hebraicè*. Videre mihi videor sanctum Iacob Patriarcham, qui filios suos aduocet, dum sibi mortem imminere prospicit, quos vbi congre-

Quare Iacob filium Rubẽ suam fortitudinẽ vocet 3. rationes.

gauit à primogenito sumit initium; Ruben enim ex Lia primò genuit, quapropter suam eum fortitudinem appellat, siue quòd tunc ætate floreret, essetque valido corpore anno 84. siue quòd in eo fortitudo Iacob apparuerit, cùm vnũquodque perfectum censeatur; quartò meteororum, cùm sibi simile generat: siue quia Ruben debebat esse firmamentum, & baculus senectutis paternæ. Præterea dicitur principium doloris, quippe qui grauissimum dolorem patri ob incestum cum nouerca commissum inussit: eique solicitudinem attulit, nam vbi patres genuerunt, statim eos cura filijs consulendi, eorúmque rebus prospiciendi incessat: vel dolor patris fuit, quia primus congressus in virginibus non sine dolore peragitur: vnde Plin. lib. 10. cap. 63. Homini tantùm primi coitus pœnitentia, augurium scilicet vitæ à pœnitenda origine. Ex Hebræo autem vertunt principium roboris, vel laboris mei, cum robore sit opus ad laborem sufferendum. Chaldaicè verò dicitur, robur meum, & principium fortitudinis meæ, vel seminis mei: textus Hebraicus habet

Diuersæ significationes nominis ראשית & אוני

ראשית אוני Resit oni: 70. ἀρχὴ τέκνων, principium filiorum. Eandem phrasim Hebraicam habes Deuter. 21. quam D. Hieron. vertit principium liberorum. Neque mirum est hîc versiones ita discrepare, quandoquidem illa dictio און on, à Septuaginta cæterisq; interpretibus vertitur δύναμις, potentia, τὰ ὑπάρχοντα substantia, ἀνάψυξις requies, δόξα gloria, τέκνον filius, πόνος labor, seu κόπος, & ὀδύνη dolor, πένθος luctus, στενὸς angustus, ἀσεβὴς impius, ὀδυνώμενος dolens. ראשית, Resit etiam suis gaudet significationibus, tantumdem enim valet, quantum ἀρχὴ, ἀπαρχὴ, κορυφὴ, ἄκρον, καλάμη, πρωτογέννημα, ἀριθμὸς, συλλογισμὸς, ἄνθος, φυλὴ, πτέρυξ, προτομὴ, θυσία, μέγας, πολὺς, idest principium, primitiæ, vertex, summum, calamus, primitiæ, numerus, computatio, flos, tribus, ala, eminentia, sacrificium, magnus, & multus: ex quibus manifestò constat eundem Scripturæ locum diuersimodè posse intelligi, nec inter tantas varietates asylum aliud præter Ecclesiam habemus, ad quam vt ad legitimum interpretem, eúmque solum infallibilem recurrere debeamus, alioquin omnia nutent fidei nostræ fundamenta, necesse est.

Ad Ecclesiã recurrendũ esse, vt verum scripturæ sensum habeamus.

Sequitur, *prior in donis, maior in imperio*: vbi subintelligitur, esse debebas; primogenitus enim ita cæteris preponebatur, vt de bonis paternis ei cuncta duplicia tribuerentur, iuxta id Deut. 21. Dabit pater primogenito suo de ijs, quæ habuerit cuncta duplicia; iste enim est principium liberorũ eius, & huic debentur primogenita: præterea quandam veluti regalem potestatem in omnes fratres primogenitus obtinebat, quod his verbis significatur; maior in imperio, vt patet ex ijs, quæ Gen. 27. Isaac dixit filio suo Iacob, cùm eum benediceret.

Deut. 21

Genes. 27.

At ista particula non minus variat, quàm præcedens: Vbi enim legimus, *prior in donis, maior in imperio*; Hebræus habet יֶתֶר שְׂאֵת וְיֶתֶר עָז, quod vertunt de verbo ad verbum; excessus portandi, & excessus roboris. Pagninus excellentia dignitatis, excellentia fortis. Arias; excellentia extollendi, excellentia fortis. D. Hieronymus in tradit. Hebr. Maior ad portandũ, & maior robore: Græcus habet σκληρὸς φέρεσθαι, καὶ σκληρὸς αὐθάδης, vel αὐθάδεια: idest durus ad portandum, & durus præfractus, vel pertinaciter, vel procacitate, & iniuria. Ruffinus habet; durus in conuersatione, & durus temerarius contumeliam irrogasti: Romana editio, Durus ad ferendum, & durus peruicax fecisti contumeliam: quæ omnia potiùs Ruben scelus exaggerant, quàm vt illius futuram dignitatem aperiant.

Quid importet textus Hebræ. Pagninus. Arias. D. Hieron. LXX. Interpret. Ruffinus. Editio Romana.

At quomodo nostra vulgata cum Hebræo conueniat, operæpretium est ostendamus: Et quidem primò יָתַר iatar, quod significatione cum תור tour, נָתַר natar, & נֹטר natar congruit sumitur à Septuaginta pro ἀπολείπω, καταλείπω ἐγκαταλείπω, ὑπολείπω, hoc est relinquo; deinde pro προσκαταλείπω supersum, πληθύνω abundare facio, εὑρίσκω inuenio, ἐκζέω efferuesco, περιποιέω superstitem seruo, ἀπορρέω defluo, περισσεύω amplius habeo. שְׂאֵת seet, verò apud eosdem significat id quod mutuatur, vel debetur, à radice נָשָׁה, idest obrutus curis, seu malis, aut alijs occupationibus, λαμβάνω accipio: ἄξιον ἀποβαίνει dignum euenit, ἀπαιτέω repeto, & exigo, ὠφελέω proficio, &c. quæ apud Kircherum videri possunt: ex quibus conficitur, vulgatam editionem etiam iuxta Hebræum rectè legere, *prior in donis*: cùm hæc dictio seet procedat à nasa, quod accipere, & exigere, proficeréque significat. At nunquid dona exiguntur, & accipiuntur? numquid ipsis proficimus? Deinde cum Iatar significet ampliùs habeo, sumi facilè potest pro, *prior sum*, quandoquidem qui plus habet inter plurimos habentes, prior illis dici potest. Deinde idem Iatar pari ratione maiorem significat. עָז han verò, idest fortitudo, imperium, potentia, & opibus obfirmatum, vt iure nostra editio legat maiorem in imperio; venit autem han à radice עָזַז, quam 70. statim per ἰσχὺς, idest fortitudo, aliàs per ὑπερηφανία, arrogantia, κραταίωμα robur, τιμὴ honor, βοήθεια auxilium, statim per δόξα, ἀντίληψις, ἁγίασμα, ὀχύρωμα, σκέπη, στάσις, gloria, restitutio, sanctificatio, munitio, defensio, factio, & per multas alias dictiones explicant.

יתר quot modis à 70. explicetur. Diuersa etiam significat שאת. Quid sit Iatar. עז variè à 70. sumitur & vertitur.

Iam verò patet quàm malè Venetus vulgatam editionem *mendosam appellet*, nec vnde residuum doni *acceperit video, nisi* vnam ex יתר si*gnificationibus acceperit*, nempe supersum: quomodo verò Ruben cubile patris macularit, superiùs dictum est, incestauit enim nouercam: quapropter eum sicut aquam effusum esse Iacob asserit: vt enim in phiala post aquæ effusionem nihil remanet, non color, non sapor, non odor, ita luxuriæ profusio quicquid in homine rectæ rationis inuenit, totum abripit.

Multa de Ruben hîc habes.

Hebræi qui putant Ruben non maculasse, sed turbasse stratum paternum, quod matrem suam Leam minus quàm Balam à patre diligi videret, explicant aquam effusam de Ruben ira, quæ sicut aqua effusa, diruptis aggeribus erumpit, & omnia deuastat, atque depopulatur.

Quomodo dictus sit aqua effusa.

Locum hunc Chaldaicus paraphrastes in Biblijs regijs sic exprimit. Ruben primogenitus meus es tu, robur meum, & principium fortitudinis meæ, tu accepturus eras partes tres, primogenituram scilicet, sacerdotium, & regnum: sed quia secutus es voluntatem tuam, sicut aqua effusa non proficies, neque accipies portionem superexcrescentem, quoniam ascendisti cubile patris tui, tunc, fili mi, violasti, quando ascendisti secretum meum. Fagius vertit. Sed quia abijsti secundum iram tuam, ecce sicut aqua vtique non profuisti, partem potiorem non accipies.

Paraphrastes Chaldæus. Fagius sectarius.

Septuaginta legunt ἐξύβρισας ὡς ὕδωρ μὴ ἐκζέσῃς, idest iniuriam fecisti, sicut aqua non efferueas. Aben-Ezra hunc sensum habere videtur, in ni-

LXX. Aben Ezra.

hilum redactus es propter scelus tuum, homines enim leues, atque vanos אנשים ריקים significat.

Thargum.

Thargum Hierosolymitanum habet, vide tuum erat, vt acciperes tres partes potiores præ fratribus tuis, &c. Verùm quia peccasti Ruben fili mi, data est primogenitura Ioseph, & regnum Iehuda, atque sacerdotium magnum tribui Leui.

Octo prærogatiuæ primogeniti.

Quanta hominis insania, vt vnica libidine, vnica lenticula ius amittat sacerdotij, non primas in mensa, nec maiorem portionem obtineat, se fratribus submittere debeat, eósque adoret, nec eos benedicat, nullum in eos exerceat imperium. Duplici parte hæreditatis priuetur, non sit specialiter Deo consecratus, vt 5. siclis redimatur; non vtatur veste pretiosa, nec singulariter à patre iam moribundo benedicatur, quæ sunt 8. prærogatiuæ quibus primogenitus frui solebat.

Quod autē dixit Iacob spiritu prophetico annuntiasse, certū est, id enim postea confirmarunt effectus; vnde Deuter. 33 Moses ait. Viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero.

Deuter. 33.

Aquila pro, *Non crescas*, habet, non eris abundantior. Chaldaica paraphrasis Deuter. 33. versic. 6. habet viuat Ruben in vita æterna, & non moriatur morte secunda, & accipiant filij sui hæreditatem suam iuxta numerum eorum; & vbi legimus, *Sit paruus in numero*, 70. habent, καὶ Συμεὼν ἔστω πολὺς ἐν ἀριθμῷ, & Symeon sit multus in numero: vbi Steuchus notat locum hunc 70. corruptum fuisse, cùm Genes. 49. bene legerint iuxta Hebraicum textum מְתֵיו מִסְפָּר Metar Mispar, mortui numero: quod tamen vbi sic habeant 70. nescio.

Chaldaic. paraphr.

Steuchus. Genes. 49.

Caraffa.

Quod autem Symeonis nomen irrepserit in 70. patet ex eo, quòd editio 70. quam edidit Caraffa id non habeat: præterea legunt, multus in numero, nos verò, *paruus*, quia inquit Cornelius Hebræa habent, sit virorum eius numerus, quasi diceret, sit ingens eorum numerus, cùm tamen viri numeri iuxta phrasim Hebraicam viros paucos significet.

Liber testamenti patriarchar.

Multa habet primum caput libri, qui de 12. patriarcharum testamentis inscribitur, de Ruben, qui 8. spiritus erroris enarrat, aítque patrem suum orasse Deum pro eo. Dico enim vobis, inquit, quoniam percussit me Dominus plaga magna in illis meis per menses 7. & nisi Iacob pater meus orasset pro me ad Dominum, quoniam voluit occidere me, perijssem, ex quo plura non refero, quia iam habes tomo 5. Bibliothecæ Patrum, folio 611.

Ambros.

Cautè verò legendus est D. Ambros. cap. 2. de Benedict. Patriarcharum, cùm veritatem historiæ peccati Ruben negare videtur, ex eo quod id censet esse futurum, tametsi enim vindicta peccati futura sit, iam commissum est peccatum, vt suprà vidimus.

Triplex sēsus historię Ruben.

Triplicem sensum spiritualem huius historiæ colligit Pererius tam ex diuo Ambrosio, & Isidoro, quàm Theodoreto, & glossa: primus est,

Priuilegia Hebræor. Primum.

quòd Hebræi fuerint primogeniti, quorum plurima priuilegia fuêre, vt ex prima parte Deuter. constat: Imprimis enim nulla fuit natio, quæ ita
1. habuerit Deos appropinquantes sibi, sicut Deus
illis adfuit iuxta id: Non fecit taliter omni nationi, Iudæos enim portauit super alas aquilarum,
Exod. 19. Exod. 19. & ei populus peculiaris fuit Deut. 7.
Deuter. 17. Deinde solus populus Israël veram Dei cogni-
2. tionem habuit, vnde in eo solo requieuit Deus, vt
Eccl. 24. 24. Ecclesiast. legitur. Tertium apud eos solos ab
3. exordio mundi vsque ad aduentum Christi fides,
& religio integra conseruata est. Quartum soli li- 4.
bros sacros habuêre, quorum vtilitatem D. Pau- ad Rom 15.
lus 15. ad Rom. & 2. ad Timoth. cap. 3. describit. 2. ad Tim 3.
Quintum sæpiùs suam præsentiā in oraculis, pro-
missis, & hostium vltionibus exhibuit. Sextum 5.
ipsos Angelos ad eos misit non contentus prophe- 6.
tis, vt eos ex angustijs liberaret. Septimū dedit eis 7.
legem scriptam, in qua quid agendum esset, eis
præscriberetur, quod Deut. 4. fusè narratur. 8. ex 8.
illa gente viri prodiêre omni genere virtutum Deut 4.
præstantissimi. 9. solis illis Messias promissus est, 9.
& cum eis familiariter conuersatus est. Denique
ex Iudæa lex Euangelica profecta est iuxta Isai. 2.
de Sion exibit lex: quæ paulo fusiùs l. 4. in Daniel. 10.
Pererius edisserit.

At Iudæi à Deo maledicti fuêre, quia stratum Dei, videlicet eius corpus affixerunt cruci, maculisque infecerunt.

Secundus sensus.

Secundus sensus est legem Mosaicam eos 4. modis corrupisse, quia non eam obseruarunt, carnaliter intellexerunt, eam tametsi pædagogum legi Christi prætulerunt, denique gloriabantur de externa legis obseruantia, nulla cura fidei, iustitiæ, & charitatis habita.

Tertius. Rupertus.

Tertius est de Lucifero, qui primogenitus inter Angelos, dum vsurpare voluit honorem diuinum, cubile Dei affectauit. Rupertus sensum tropologicum hæreticis applicat, qui se primogenitos asserunt, & Ecclesiam commaculant. Habes igitur, quomodo filij ob contumeliam patri illatam puniri soleant, quod etiam in Cham à patre maledicto, & Absalone Dauidis filio constat.

Ambros. Ruffinus. Theod.

Est autem aduertendum ex diuo Ambros. cap. 2. de benedict. Patriarch. & Ruffino libro eiusd. tituli ad Paulinum, nec non Theodoreto quæst. vltim. in Genes. orationem Iacob potiùs esse dicendam prophetiam, quàm benedictiones, cùm nonnullis maledicat, nisi à maiori parte denominationem sumpserimus: meminit Origenes libri, qui apud Hebræos, imò & Christianos non parum authoritatis habebat, quo præcipuè tomo secundo explic. Euangelij Ioannis fidem astruit opinioni suæ de quorundam Angelorum incarnatione: eundem citat commentar. in Genesim, & ex eo refert: Legi in tabulis cœli, quæcúmque contingēt vobis, & filijs vestris, vt affirmet esse rerum futurarum signa; quæ verba refert Eusebius lib. 6. præpar. Euangel. & Procopius in primum caput Genes. sed hanc orationem Athanasius in Synopsi inter apocrypha reijcit, meminit etiam Origen. hom. 15. in Iosue testamenti 12. Patriarch. & Procop. suprà. Sed postquam nos Ruben tamdiu detinuit ad 286. problema ac proinde ad Simeonem, & Leui transeamus.

Origenes. Eusebius. Procopius. Athanas. Origen.

Problema 286. discutitur.

Itaque Iacob cædem illam Sichimitarum carpit, eósque fratres non tantùm carne, sed scelere vocat, quos vasa iniquitatis bellantia vocat כְּלֵי חָמָס מְכֵרֹתֵיהֶם Kele chamas mekerotehem. Septuaginta legunt συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν. consummauerunt iniquitatem propositi sui. Paraphrasis Chaldaica habet, viri fortissimi in terra peregrinationis suæ fecerunt fortitudinem. Eugubinus textum Hebraicum ita vertit, vasa violentiæ habitationis ipsorum, vbi ait D. Hieronym. vertisse bellantia, vel arma eorum, quia vocem deduxit à כר, idest viro forti, ac milite, à quo fit carithi, idest milites, ac bellicosi, tametsi D. Hieronym. Ezech. 16. vocem illam, Mecheroth, vertat radicem, & generationem, &c. 21. locum natiuitatis: reprehendit

Mekerotehem quid significet. Textus Hebræus. Eugubinus. כר D. Hieron.

reprehendit etiam 70. quòd verterint ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν ab electione ipsorum, quia putarunt illam vocem in duas dictiones esse diuidendam. Quæ vt manifestiora fiant placet illam vocem in examen aduocare, vbi cæteras translationes attulero.

Vatablus tā correctus, quàm non correctus.

Vatablus correctus habet, arma violenta machæræ eorum; & in annotationibus habet; socij in scelere, idest abusi sunt armis suis ad iniquitatem occidentes Sichimitas: non correctus habet, arma iniquitatis in habitationibus ipsorum: & in annotat. Socij in scelere perpetrando; iniusta vis penes eos inhabitat, qui adeo sanguinarij fuerunt, vel gladij ipsorum scelerate fuerunt polluti sanguine innoxio.

Pagninus.

Pagninus habet; Arma iniquitatis in habitationibus suis. Quæ diuersitas ex varijs nominis מָכַר significationibus orta videtur, quod 70. diuersis in locis per ἀποδίδωμι reddo, πράσσω, vēdo; seu πωλέω, ἀπωθέω repello, μάτην πειράζω, frustrà tento, λαμβάνω, sumo, κτάομαι, emo; & nomen מֶכֶר mequer venditionem, pretium, propositum, & radicem explicant.

Diuersæ significationes מכר. מכר quid significet. Quid sit חמס

Deinde חָמָס camas vertunt per hæc verba iniuriā facio, ἀδικέω, ἀθετέω contemno, ἀσεβέω impius sum, τρυγάω vindemio, ἐπίκειμαι incumbo, διαπετάζω, distendo, παραδειγματίζω dehonesto, ὄλλυμι ἀώρως intempestiuus pereo, ac proinde nomen חָמָס per vim, violentiam, iniuriam, tyrannidem, quæ consistat in rapina interpretati sunt: adeout camas Hebraicè tantumdem valeat, quantum apud Græcos ἀδικία, ἀθεσία, ταλαιπωρία, ἀλήθεια, ἀσέβεια, ἀνομία, ὄνειδος, ὕβρις, ἀπώλεια, μόχθος, πένθος, ἄωρον, παράνομος, ἄδικος, ἀσεβής, & ψευδής, hoc est iniquitas, iniustitia, præuaricatio, miseria, veritas, impietas, iniquitas, vituperium, superbia, perditio, labor, planctus intempestiuus, iniquus, iniustus, impius, & falsus, valeat: Ex quibus perspicis, quàm variæ possint esse eiusdem loci interpretationes:

Multæ dictiones Hebraicæ discutiuntur.

At cùm Mekerotehem, si radicem habeat מָכַר, non possit significare bellantia, inde fit, vt à radice כָּרַר, quod idem valet ac כָּרָה, & כָּאַר illa dictio repetenda sit: Inde enim מְכֵרָה, culter, gladius, machæra: carar verò significat, fodit, trāsfodit, scidit, abscidit, excidit: מכמה verò facit in plurali מְכֵרוֹת Thargū vertit תּוֹתָבוּתְהוֹן totabuthehon, habitationis eorum; acceperunt enim pro מְגוּרֹתֵיהֶם megurothehem ob literarum ג"כ affinitatem, & permutationem; 70. verò legisse videntur מִבָּרוֹתֵיהֶם mibarothihem à בָּרָה, elegit, ob literarum ב"כ similem figuram, & מ heemanthi pro præpositione. Ex eadem radice fit כָּרִים, idest, arietes, & per metaphoram duces & tormenta bellica. Vnde potuit noster Interpres vertere, vasa iniquitatis bellantia; quoniam כְּלִי à radice כָּלָה cala profluit, quæ significat perficio, do, recedo, cognosco, definio, eo, deleor, tabesco, non tabefacio, possum, cesso, putresco, disperdo, כְּלִי verò, significat vas, instrumentū, & omnem supellectilē, quæ in vsum hominū cōuertitur, arma, securim, arietem, epistolam, &c. כָּלָה autem significatione congruit cum כּוּל אָכַל יָכַל כָּכַל & בָּלָה כָּלַל. Bene igitur vulgata editio legit vasa, bene iniquitatis, id enim חמס camas significat, vt antea dictum est, demùm rectè posuit bellantia, vt ex radice כָּרַר catar ostendimus.

Machæra verbū Hebraicum. כָּרַר. ברה. כָּרִים quid sit. כלה quid sit.

Mechera vnde.

Adde quòd dictionarium Complutense deducat מְכֵרָה mechera habitationem significans à מָכַר, macar vendidit, itaut in hoc loco legi possit, vasa iniquitatis arma eorum; quia μάχαιρα, inquit, Græcè significat gladium, at lingua Hebræa cùm sit matrix omnium linguarum, inquit D. Hieron. cap. 3. in Sophon. huic voci originem tribuere potuit: potest etiam significare habitationem, sicut מְכוּרָה mecorah à כור cur, idest fornax, caminus.

D. Hieron.

כור R. Abrahā.

R. Abraham recitat ex quibusdam hac dictione significari חֶבְרַת פְּנֵיהֶם, idest impudentia vultus eorum: Fateor superesse affixum הֶם eorū, quod vulgata non habet, sed cùm manifestissimum sit vasa illa ad Simeonem, & Leui referri, non fuit opus dicere vasa eorum. At de hoc loco satis. Ab his igitur, eorúmque consilijs Iacob abstinet, dum ait; *in consilium eorum nō veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea:* eorum scelus detestor, & abominor: etenim hi concinnatores fuêre tanti flagitij, & scribæ, legísque periti, teste Hippolyto martyre, descendebant à Simeone; Pontifices verò, & Sacerdotes à Leui; vbi legimus, *gloria mea*, septuaginta habent μὴ ἐρείσαι τὰ ἥπατά μου, *non contendant iecora*, vel vt Caraffina Biblia habent, *viscera mea*. D. Hieron. ex 70. *non æmuletur iecur meum.* Tertul. aduers. Iudæos, *non incubuerint viscera mea.* Origen. non *innitantur*. Pagninus, *non vniaris*; Arias *ne se vniat*. Vatablus, *non in vnum conueniat*.

Variæ versiones.

Quid significet כבד.

Vt etiam Chaldaica paraphrasis habet. Quæ varietas oritur ex eo, quod כָּבֵד multa significet, grauare, aggrauare, premere, multiplicare, honorare, glorificare, honoratum, seu gloriosum esse: vnde כָּבֵד Kabed, idest iecur, & quæcunque iecori adhærent, vt eius reticulum, &c. תֵּחַד tecad verò, quod vulgata vertit, *sit*, venit à יָחַד, quod septuaginta vertunt ἐρείδω contendo, εἰμί sum, ὀξύνω acuo, καθαρός εἰμι mundus sum, ἑνόω vnio, εὐφραίνομαι gaudeo, &c. Rectè verò iecur pro amore poni potest, quia sedes est amoris: vnde versus,

כָּבֵד. יחד quid sit. Quæ sint passionum sedes.

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel commouet iras;
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Et ex consequenti pro gloria, & honore; quibus nihil homini charius, aut amabilius esse solet; allegoricè verò gloriam suam vocat Iesum Christum.

R. Salomō.

R. Salomon putat ad facinus Zamri pertinere; *In consilium eorum non veniat anima mea:* qui Mose spectante cum vniuerso populo, lupanar ingressus est, vt cum muliere alienigena rem haberet: quando Phinées Dei zelo accensus vtrumque gladio perfodit, num. 25. quod Spiritu Prophetico Iacob præuidens abominatus est: Zamri autem de tribu Simeonis fuit; lupanar verò dixit secretum locum: Aliud verò membrum, *in cœtu illorum non sit gloria mea*: ad seditionem Core, qui erat de tribu Leui, quamque aduersus Aaronem commouit, arrogare sibi volens dignitatem, & potestatem sacerdotalem, pertinere censuit, quod num. 16. descriptum habes.

Scriptura exponitur. Numer. 16.

At satis clarum est ex textu nostro de Simeon, & Leui id esse intelligendum, quippe qui virum, nempe Sichem, & propter eum alios occiderunt, imo & murum vrbis suffoderunt, vrbem enim vsquequáque depopulari, atque demoliri voluerunt; vbi 70. legunt, ἐνευροκόπησαν ταῦρον *subneruauerunt taurum*, quam versionem sequitur Venetus; alij vertunt *bouem*, per quem Iosephum intelligunt, quem fratres vendiderunt, in cuius necem Hebræi primi omnium Simeon, & Leui conspirarint; nec enim Ruben, aut Iudas cædis authores fuere, quandoquidem Iudas, vt auerteret necem suasit eum vendi, Ruben verò eum liberari volebat: vnde notant Simeonem, vt sceleris pœnas lueret, obsidem in Ægypto detentum fuisse.

Caietanus. Thargum.

His Caietanus, & Thargum Hierosol. suffragare videntur: sic enim in eo legitur: *In voluntate sua vendiderunt Ioseph, qui assimilatus est boui*: sed textui conformius est, si per taurum, Sichem intelligatur,

qui tunc in primo iuuentæ flore pollebat robore corporis.

שׁוֹר quid sit. Eugubin. Hîc habemus שׁוֹר sor, quod significat vitulum, bouem, & taurum; tametsi fateatur Eugubinus D. Hieron. meliùs vertisse taurum, nec enim Scriptura iunxisset suffoderunt cum Tauro, ne fieret ἀκυρολογία: Idémque fatetur Aben-Ezra. Scholiastes scripsit, ἐξεῤῥίζωσαν τεῖχος. Antequam ex hoc Chrysost. problemate discedamus, aduertendũ est D. Chrys. Steuchus. habere ἱερέων, vbi 70. legunt ἱερέωι: Steuchus tamen ex 70. refert ἀρείσαντες, quæ cùm ab Hebræo maximè discrepent, maximam hoc in loco penes Septuaginta deprauationem esse putat.

Oleaster. Oleaster virum quem occiderunt, Emor explicat, qui vt clariùs caput 49. interpretari valeat, repetit ea, quæ circa benedictiones, seu Prophetias istas 29. & 30. Genesis, 33. Deuter. & c. 2. Iudicum habentur. Postquã Iacob exprobrauit scelus illud, quod in furore suo pertinaci, & in ira indurata, vt Pagninus. habet Pagninus, perpetrarunt, addit maledictionem, minatúrque dispersionem in Israël; vnde Thargum Hierosol. Thargum Hierosol. ait, Non conuenit, vt hæc castra sint simul, alioqui nullus populus, nullúmque regnum poterit consistere coram eis. Diuidam ergo tribum Simeonis, vt sint Scribæ, & Doctores legis in Synagoga Iacob, tribum verò Leui distribuam, vt præsit concionibus, vel contentionibus inter filios Israël. Nec sanè omittendum est Mosem omnibus tribubus benedixisse, præter Simeo-Deut. 33. nis tribui Deut. 33. siue quòd eum Iacob maledixisset, siue quòd in necem Iosephi cæteros adducere nixus fuisset, siue quia Zamri princeps tribus Simeonis Madianitarum lupanar ingressus esset. Videatur D. Hieron. qui dispersionem eorum in D. Hieron. tradit. Hebraic. explicat: Leui enim hæreditatem propriam non accepit; sed inter alias tribus paucas vrbes ad habitandum habuit. Simeon quoque, Iosue 19. vt est in libro Iosue c. 19. proprium funiculum non est consecutus, sed de tribu Iuda quiddam acce-1. Paral. 4. pit. Et 1. Paral. c. 4. scriptum est, cùm multiplicata esset tribus Simeonis, nec haberet possessionis locum, exijsse in desertum ad quærendum sibi locum. Quidam propheticè interfectos homines Sensus allegoricus. Apostolos, & subneruatum taurum à Pharisæis Christum interpretantur. Facilè profectò hęc omnia de scribis, sacerdotibúsque possumus interpretari, qui Math. 20. concilium fecerunt, vt Iesum Math. 20. morti traderent; quorum indignatio tam pertinax fuit, vt nunquam cessarint, donec Barraba ei præposito Christum crucifigerent, qui paulo post ob tantum scelus necati sunt à Romanis, & huc illuc dispersi iuxta Psaltem psal. 58. Disperge illos Psalm. 58. in virtute tua. Ex quibus facilè colliges quantum appetitus vindictæ reprimi debeat, tametsi enim iustè bellarent, adeout Iudith. cap. 9. factum illud Iudith. 9. approbare, atque laudare videatur, quandoquidem zelus, seu odium stupri sororis laudabile, voluntas illud vlciscendi, & studium repellendi iniuriam illatam sorori honesta fuerunt; quia tamen modus, quo cædem & vindictam executi sunt, abominabilis fuit, propterea Iacob illis maledixit: Illi enim inconsulto, & inscio patre, propria authoritate, cæcóque animi impetu facinus illud aggressi sunt, cùm tamen patris esset decernere, quomodo procedendum esset, vnde dixit: *In cœtu eorum non sit gloria mea*: vbi paraph. Chald. habet. Chaldæa paraph. *In secretis eorum non sit anima mea, & cùm congregarentur ipsi, vt irent, non descendi de gloria mea*, vt vertit Fagius: idest, non consensi huic facinori, ne gloriam meam, & bonam famam amitterem; vel non reliqui Deum, qui est gloria mea, vel non sum oblitus, quid deceret gloriam meam. Thargum Hierosol. transtulit: Consilium eorum Thargum Hierosol. non placuit animæ meæ. Et cùm congregarentur contra ciuitatem Sichem, vt depopularentur eam, non pepercerunt gloriæ meæ. Quoniam in ira sua occiderunt reges cum principibus, & in voluntate sua vendiderunt Ioseph, qui assimilatus est boui: addit, & occiderunt occisionem, idest horrendum, & crudele homicidium perpetrarunt; ideóque diuidam illos, ne iterum ad simile flagitium conspirent, vt deinceps illi disiungantur, iuxta id Sapient. 11. Per quæ quis peccat, per hæc & punietur. Sapient. 11.

Secundum peccatum. Deinde peccauerunt, cùm pernitiosissimè, atque pessimo dolo mentiti fuerint, quandoquidem pacti sunt cum Sichimitis, quod obseruare nolebât, quibusue contraria decreuerant, vt deceptos homines faciliùs trucidarent, cùm tamen etiam apud barbaras nationes nefarium existimetur, si pactum dolo malo violetur in pernitiem eorum, quibus cum fœdus initum est, tametsi hostes fuerint. Tertiò sacrilegi fuisse videntur, nam Circuncisio-Tertium. nis Sacramento, quo nihil apud eos religiosius erat, ad celandum dolum, & in exitium Sichimitarum abusi sunt, itaut in damnum eorum cesserit, quod ad salutem hominum comparatum fuerat, quæ peccata cædem antecessisse constat. Quartò Quartum. peccatum, fuit inauditæ crudelitatis scelus, cùm homines eo tempore circumuenerint, quo in Iudæorum legem traducti, quóue maximè miserandi erant, tum quia grauissimo circuncisionis vulnere afficiebantur, tum etiam quia inermes, & ad resistendum inepti erant. Quintò fuit maximus Quintum. excessus vindictæ, peccati culpam superans, maximè cùm Sichem virginis raptum pluribus modis compensasset, eam enim, etiam indotatam, tametsi ciuitatis, & gẽtis illius princeps esset, in vxorem ducere, eíque dotem tribuere voluit, atque propterea præcedente pacto se, suósque circuncidi curauit. Sextò non tantùm in Sichem sceleris Sextum. autorem, sed in cæteros nece crudelissima sæuierunt. Septimò non contenti cæde, eorum agros, Septimum. greges, & armẽta deprædati sunt, & ipsum murum diruerunt, & eradicauerunt, vt vertit Pagninus. Octauum. Octauò paruulos, & fœminas in seruitutẽ abstraxerunt. Denique patris sui Iacob vitam, & fortu-Nonum. næ bona in summum discrimen adduxerunt, vt superiùs ostendimus. Ecce quanta mala vnum fornicationis peccatum efficiat, & quantam syluam scintilla inflammet; videatur Plato, qui l. 5. de Republic. de bello duplici agit.

PROBLEMA

PROBLEMA CCLXXXVII.

1. Versiculus 9. & 22. CVR Iehudas Leoni; Ioseph autem Tauro assimilatus est? An Iehudas Gen. 49.
Deo dicitur, cùm ex ipso generari deberet ille, de quo scriptum est. Vi- Apoc. 5.
cit leo de tribu Iehuda: Ioseph verò taurus, quia tauri vires habere debebat, vt præualeret in Ægyptios, quibus (vt alibi dictum est) aries
2. præerat? An quia perpulchrè hi duo reges, qui (vt supra disseruimus) appropinquauerant, & conuenerant in vnum, complectebantur influxum omnium animalium; quorum aliquibus, feris videlicet, leo præsidet: aliquibus autem, cicuribus, vel armentis videlicet, taurus præest. Qui reges etiam principes erant bifariæ vitæ. Nam contemplatiuæ primogenitus Ioseph Rachelis, actiuæ verò Iehudas princeps fuit: nedum in filijs Leæ, sed in omnibus turmis castrorum, vt in libro Numerorum legimus.

PROBLEMA CCLXXXVIII.

1. Versiculus 9. CVR Iehudas dicitur ascendisse ad prædam? An quia Iehudas semper Gen. 49.
præcedebat in castris omnes inuadens, ad quos mittebat Dominus? Iudic. 1.
Quos terrebat sacro Dei nomine, quod semper in vexillo gestabat. An
2. de eo, qui in femore eius latebat, est sermo, de quo Paulus ait. Expo- Colos. 2.
lians principatus, & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in seipso? Et hanc prædam traduxit secum, dum cœlum conscenderet, vt Propheta canit. Ascendisti in altum, captiuam duxi- Psalm. 67.
sti captiuitatem Sicut & Apostolus Spiritusancto plenus interpretatur. Sed priùs iacuit, & Ephes. 4.
accubuit in lectulo crucis, vbi prædam extraxit: è manibus inimici accumbens, & moriens.

PROBLEMA CCLXXXIX.

1. Versiculus 10. QVOMODO intelligitur illud, Non auferetur sceptrum de Iehuda? An Gen. 49.
hic est sermo de ablatione decem tribuum per Ieroboham à Salomone, 3 Reg. 11.
auspicio Ahiæ Silonitæ? iuxta veritatem literæ, qua habetur, Donec ve- 12. & 14.
niat Siloh, Ahias videlicet, qui de Siloh fuit; sicut nonnulli proterui Hebræi exponunt. Quam quidem quæstionem apertè dirimit Thargum, apud Hebræos celeberrimum, vbi dicitur donec veniat Messias. Sed
2. nonne in Babylonica captiuitate solutum fuit regnum? Interruptum 1. Esd. 1.
quippe fuit, sed non ablatum regnum. Nam fauente Cyro Persarum rege ædificata fuit se- 3 Esd. 1.
3. cunda domus sub Hezra, & Zorobabele. An igitur de Christo intelligitur? Nam post ipsius aduentum per Titum, & Vespasianum combustum fuit templum, ablatum sacerdotium, & Iudæi fugati sunt à terra promissa, vsque in hodiernum diem, priuatique penitus Sachina, & omni cœlesti influxu.

Prob. 287. discutitur. PROBLEMA 287. nugas aliquas ad Astrologiam & ad Cabalisticum influxum pertinentes continere videtur, dum Venetus Arieti subijcit Ægyptum: Arietem enim Astrologi Bastarniæ, Syriæ, Palæstinæ, Galliæ, Britanniæ minori, Burgundiæ superiori, Vuestriæ, Germaniæ, Sueuiæ, Silesiæ superiori, Poloniæ minori, & Angliæ præficiunt; quam bene vel perperam alibi dicemus.

Problema 288. & 289. In 288. explicat, quomodo Iudas ascenderit ad prædam. In 289. *Non auferetur sceptrum de Iuda* interpretatur. Quæ omnia cùm difficultates suas contineant, de his exactiùs inquirendum est, vt in proprijs commentarijs non ampliùs in eodem textu laboremus. Primò verò ad versiones diuersas stylum conuerto. Vulgata habet 8. Versic. *Iuda te* Chaldæus. *laudabunt fratres tui*, sicut & 70. paraphrasis Chaldaica, Iuda laudabo te, & non es confusus. Pagni- Multę versiones. Pagninus.
nus, Iuda tu, laudabunt te fratres tui: Biblia Caraffæ, laudent ἀδελφοί σου, ita Theodoret. in manuscript. At hæc omnia in idem recidunt: verùm elegantem paronomasiam habes in Hebræo יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ אַחֶיךָ iehoudah atta iodouca acheca: ac si diceret, te, qui laus est, laudabunt te fratres tui; sic enim eum Lia mater vocauerat c. 29. quasi lau- Gen. 29.
dans Deum, quòd prolem hanc habuisset: & qui- Laudatur tribus Iuda.
dem primam laudem inter alias tribus Iuda mereri videtur, quandoquidem prima post Mosem ausa est ingredi mare rubrum; hæc Iosue mortuo cæterarum in prælijs dux fuit Iudic. 1. ex ea Dauid, Iudic. 1.
Salomon, & alij reges vsque ad captiuitatem Babylonicam orti sunt, ipséque Zorobabel dux populi Babylone redeuntis, imo & ipse Christus.

Denique contra Ismaëlitas, Idumæos, Moabitas, Arabes, omnésque vicinos populos bella gessit. Pererius ex Hebræo vertit, Iuda tu diceris Iuda, prout Math. 16. Christus dixerat, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Fagius sic paraphrasim vertit, Iehudah tu confessus es, & non erubuisti, in te confitebuntur fratres tui: cuius aliqui confessionem ad hoc referunt, quòd se cum Thamar peccasse non negauerit, sed his verbis, *iustior me est*, Gen. 38. confessus fuerit: alij verò referunt ad id, quòd à morte Iosephum liberarit cum 37. cap. dixit, *non sit manus nostra in eo, nam frater noster, & caro nostra est:* alij referunt ad id tempus, cùm Iosepho Ægypti præfecto Beniamin retinere volenti dixit; *Nisi reduxero eum peccati reus ero*, &c. Gen. 44. alij verò referunt ad futurum, quia tribus Iuda Deum confessura est, nec erubesce. At Christo hæc omnia applicare facillimum est, quippe semper patrem confessus est, vnde Psal. 39. legimus, *In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam*; omnésque Christiani c. 5. Apocal. per 4. seniores repræsentati Christum laudant, quia redemit eos sanguine suo. Vt enim Thargum Hierosolymit. ait, te confitebuntur, siue laudabunt omnes fratres tui, & nomine tuo vocabũtur omnes Iudæi: ita nos omnes à Christo Christiani dicimur: יְהוּדָה verò, & יודוך veniunt à radice יָדָה, quæ significat, proiecit, & eiaculatus est, quòd cùm manibus fieri soleat, inde etiam יָד iad manus dicitur, in quia fit robur; Iad enim pro dominio, robore, & potestate sumitur; vnde Prouerbio locus est: An nescis longas regibus esse manus? Deinde cùm manus id exequantur, quod ratio inuestigauit, iad sumitur pro consilio, cogitatione, auxilio, cura, voluntate, & ministerio, nec non plaga, & nocumento, spiritu prophetico, vt cùm legis, facta est manus Domini super me: vel, *venit super eum manus Domini* 2. Reg. 3. Sed alias significationes prætermitto, vt ad Hiphil accedam הוֹדָה, quod sonat, liberè confessus est, vel pro beneficijs acceptis gratias egit, vel peccata confessus veniam petijt, vnde fit יְהוּדָה, nam quando Lia 4. peperit filium dixit, modò confitebor Domino; & ob hoc vocauit eum Iudam; vbi Vatablus non correctus legit vice hac confitebor Iehouæ, correctus verò, & nunc gratias agam Domino. Septuaginta nunc etiam hoc confitebor Domino. Chaldæus habet, coram Domino. אוֹדֶה אֶת יְהוָה ode eth iehoua. Hinc frequẽs dictio, תּוֹדָא todah, confessio, gratiarum actio, laus, sacrificium confessionis; vbi notandum est 70. Amos 4. v. 5. todah confessionem vertisse νόμον legem ob literarum ד & ר similitudinem, nã תּוֹרָה tora per Resc significat legem: per Daleth, laudem: In formatione nominis Iuda ה character

Pererius. Math. 16. — Fagius. — Gen. 38. — Gen. 37. — Thargum Hierosol. — הודה quid significet. — Vatablus correctus, & non correctus. — Amos 4.

tertiæ coniugationis retinetur, & abundat.

Dauid autem vnctus est primò super tribum Iuda, cuius rex fuit, cùm reliquæ vndecim Isboseth filio Saülis cesserint, quæ nomen Israël retinuerunt, 2. Reg. 2. & 3. Reg. 11. At post 2. annos, vniuersum regnum Dauidis fuit, tametsi post Salomonis obitum in Roboami potestate sola tribus Iuda, & Beniamin remanserint, cæteris ad Ieroboam deficientibus. At cùm regnum domus Iudæ remaneret, tota terra totúsque populus 12. tribuũ, dictus fuit Iuda, vnde יְהוּדִי Iehoudi, siue Iudæi omnes dicti fuêre, vnde verbum hitpael הִתְיַהֵד hitiahed, iudaïzauit; quod Hester 8. vsurpatur מִתְיַהֲדִים Mitiahadim iudaïzabant, Thargum, fiebant proselyti. Masorethæ dicunt יְדָי vadai esse nomen diuinum, quia manifestum est Deum esse omnium Dominum. Sed iam ad difficiliora pergamus.

Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui.

Septuaginta vertunt, αἱ χεῖρές σου ἐπὶ νώτου τῶν ἐχθρῶν σου in quo tantùm differunt à nostra vulgata, quòd pro ceruice ponant νῶτον, quod vertunt dorsum, sumúntque pro tota parte posteriori ab occipite vsque ad extremum coccygem 34. vertebris compacta. Alij verò volunt dorsum esse partem ceruici subiectam 12. vertebris comprehensam, quarum prima λοφίας, secunda μαχαλιστήρ, reliquæ nouem consequentes πλευρῖται, duodecima διαζωστήρ vocatur, quia ea parte cingimur, dorsum verò quia pectori opponitur ἀντίστερνον appellatur. Sensus autem huius loci hic est, futurum, vt Iuda suos inimicos expugnet, & destruat: quod de se Psaltes regius rex Iuda canebat, Psal. 17. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos*, &c. Vnde paraphrasis Chald. vertit. Manus tua præualebit cõtra inimicos tuos, dispergentur hostes tui, conuertentur retrorsum in conspectu tuo, & præuenient salutantes te filij patris tui: verbũ Hebraicũ יִשְׁתַּחֲווּ, 70. προσκυνήσουσι, quo Hebræi, & Græci honorem, atque venerationem significant: quod pulchrè Christo conuenit, vt Psal. 71. videre est: ad Philip. 2. omne genu flectitur in nomine eius, qui confregit in die suo reges, Psal. 109. sub quem populi cadunt, Psal. 44. & qui statuam regna mundi huius referentem in puluerem redegit, Daniel. 2. Fagius ita paraphrasim vertit, præueniéntque te petituri pacem tuam; siue tibi pacem, & salutem, atque omnia fausta deprecentur, siue tuam pacem ambiant, idest tecum esse desiderẽt in pace. Quæ primogenitura translationem à Ruben in Iudam denotant, quandoquidem primogenitus à fratribus principis instar colebatur, illi nempe reuerentiam ciuilem exhibebant, qualem nunc patri, vel principi exhiberi percipimus. At sequens versus paulò difficilior est.

2. Reg. 11. 3. Reg. 2. — Vnde Iudæi dicti sint. Ester 8. — λοφίας. μαχαλιστήρ. διαζωστήρ. — Ad Phil. 2. — Daniel. 2.

VERSICVLVS NONVS EX GRÆCO.

Catulus Leonis Iuda, ex germine fili mi ascendisti, recumbens, dormiuisti, vt Leo, & sicut catulus Leonis, quis suscitabit eum?

VBi vulgata in quibusdam differt, in alijs conuenit; nam pro, ex germine ἐκ βλαστοῦ, habet, *ad prædam*; & vbi 70. legunt ἀναπεσὼν, ἐκοιμήθης, recumbens dormiuisti, nostra habet, *requiescens accubuisti*; denique legimus, *quasi leæna*, illi verò, & sicut catulus: Sed longè dispar est paraphrasis Chaldaica. Dominium erit ei in principio, sed in fine magnificabitur regnũ domus Iuda: quoniam de iudicio

Chaldaica paraphrasis.

de iudicio mortis, fili mi, animam tuam abstulisti, requiescet, & habitabit in fortitudine quasi leo, & quasi leæna, neque erit regnum, quod commoueat eum. Catulus leonis, Hebraicè גּוּר, quod non oritur à radice gour, inquit Oleaster, quod sumitur pro peregrinatus fuit, habitauit, vnde fit גֵּר guer, Græcis γείωρ, & γηιώρας, qui ita habitat in terra Israël, vt nolit idola colere, dicitúrque proselytus, quandoquidem Israëliticus populus duplici hominum genere constabat אֶזְרָחִים Ezrachim, indigenis, & aduenis, seu proselytis גֵּרִים guerim, vt Leuit. 17. versu 15. habes בָּאֶזְרָח וּבַגֵּר Baezrach oubaguer, adeout inter Iudæos esset indigena ex Abrahamo, & Israële ortus, alienigena verò ex gentibus procreatus, & Iudaïsmum amplexus. Notandum est autem 2. fuisse alienigenarum genera; alij enim 7. duntaxat præcepta filiorum Noë obseruabant, quorum primum fuit, vt obseruarent iudicium publicum. Secundum, vt Deum benedicerent. Tertium vt non colerent idola. Quartum vt cauerent ab incestu propinquorum. Quintum vt abstinerent à cœde. Sextum vt à rapina. Septimum ne tollerent membrum de animali viuente: ex quibus si filij Noë violassent aliquod, gladio interficiebantur: quæ præcepta breuiùs enumerantur. Iudicia: benedictio Dei: cultus alienus: reuelatio nuditatis: effusio sanguinis: rapina: membrum de viuo; quæ populis in bello sese dedentibus, & proselytis legem recipientibus, atque circumcidi volentibus imponebantur; ex quibus tria gentibus ad Christum conuersis prohibebantur, Actuum 15. & Concilium Arausicanum 2. ab Ecclesiæ cœtibus illos arcet, qui cibis idolorum cultibus immolatis vtebantur, vel suffocato, aut morsu bestiarum, vel quopiam morbo extinctis, aut casu suffocatis vescebantur.

Alij verò alienigenæ ita legem totam suscipiebant, vt 248. præcepta affirmatiua, quot sunt humani corporis membra, seruare debuerint; qui numerus חֵרֶם cherem dictione. 1. anathema, continetur: sicut & negatiua, quæ tot erant, quot nerui in corpore humano, quotque dies in anno, nempe 365. quæ cum affirmatiuis 613. conficiunt. Vnde Thargum in 2. Ruth. ait iussi sumus obseruare 613. præcepta: tales apud Muhamedanos Mamluchi censentur, qui totam legem amplexi sunt. Tales alienigenæ fuerunt Sichimitæ, Brias Hettæus, & Achior, de quo Iudith. 14. Herodes Idumæus. Nicolaus Actor. 6. hic autem dicebatur proselytus iustitiæ, veritatis, aut verus גֵּר צֶדֶק guer tsedec, vel בְּרִית berith, fœderis: prior verò גֵּר שַׁעַר guer sahar proselytus portæ, & guer תּוֹשָׁב tosab incola, inter Iudæos habitans, qui nec circuncidebatur, nec legem obseruabat: Inde גֵּרוּת guerout, peregrinatio, seu habitatio; מָגוֹר magour vicinus, quod significat timorem, seu pauorem, cum cholem super ו: deinde גֵּירוּת guaiarouth, paganismus: denique, cæteris omissis, גּוּר gour significat catulum cuiuscúnque bestiæ, plerúmque tamen, & κατ' ἐξοχὴν leonis, qui domi latet, necdum ad prædam ascendit. Vnde & 70. hîc verterunt גּוּר gour per, σκύμνος λέοντος, & Deuter. 33. versic. 22. Ierem. 51. versic. 38. alijsque locis, quibus magis, quàm Oleastro crediderim: Cæteri etiam recentiores à radice גּוּר desumunt. Nobilissimo nimirum animali pro varia ætate plura nomina Hebræi veteres indiderunt, quorum istud primum est ab alijs animantibus in leonem, vt diximus, antonomasticõs deriuatum; cui aptissimè respondet, quod etiam à plantis deductum, & metaphoricõs animalibus attributum, leoni demùm cessit, פֶּרַח farah illud est, à radice פָּרַח, germinauit, flores emisit, &c. Quasi eam eius ætatem vellent significare, qua lanugo primùm succresceret, ac germinaret, dixerim, pullularet, floreret. Nam vbi aliquantulum adoleuit, & iam grandiusculus ferocire incipit, & prædæ inhiare, non multùm tamen è materno cubili progressus, incursiones meditatur, potiùs quàm agit, כְּפִיר cephir est appellatus (vt in Psal. 17. vers. 12. 34. vers. 11. Mich. 5. &c.) à radice כָּפַר, texit, operuit, quasi ad id tempus sub tecto manserit, aut vix excesserit, aliàs 4. iam lanugine multa, & pilis grandioribus operitur. Huius quoque ætatis, שַׁחַל vocauerunt, leonem scilicet mediocrẽ, sic Iob. 30. ex Thargum Prou. 26. quo loco LXX. reddiderunt ἀποστελλόμενος, missus, propter similitudinem cum שָׁלַח, misit; quod aptè satis leunculo nostro conuenit, qui ad prædam exinde mittendus esse videatur. Qui autem stato est robore, אַרְיֵה Arie, vel Ari nuncupatus est à radice אָרָה arah, carpsit, discerpsit, &c. quia iam prædam agit, capit, discerpit, vnde quoniam maiores sumit animos, & insolenter sese effert, aliud sibi nomen inuenit à superbia, quæ Hebraicè שַׁחַץ dicitur, vt ipse quoque eo nomine donatus sit.

Confirmato deinde robore, atque plena per ætatem firmitudine, ab hac animositate, generositate, & fortitudine animi, לָבִיא labi nomen consecutus est, à לֵב, id est cor, ac si cordatum, vel corde præditum diceres. Vbi tãdem ætate deficit, nondum tamen subigendæ prædæ ineptus est, sed viret adhuc, atque viget, vocatur לַיִשׁ lais (vt Iob. 4. ver. 14.) vnde & Græcè λῖς dictus est, à radice לוּשׁ, quæ pinsere, & subigere significat.

Ex quibus nominibus tria hîc Iudæ dantur, nempe גּוּר, quod adolescentiam tribus Iudæ in bellis significat tẽpore Iosue, vt Cornelius notat. Deinde vocatur אַרְיֵה arieh, quo robur virile, quod sub Dauide habuit, commemoratur. Denique לָבִיא labi, robur confirmatum sub Salomone, sapientia, liberalitate, atque magnificentia perfecto significat, quæ omnia breuiter explicare videtur Chaldaica paraphrasis, quam nuper laudauimus: textus autem Hebraicus ita habet.

Oleaster. — Quomodo alienigena & indigena differrent apud Hebræos. Leuit. 17. — 2. alienigenarum genera. — Septẽ præcepta Noë hic duobus modis enumerantur. — Actuum 15. Arausicanũ concilium. — Ad quid alienigenæ obligarentur. — חרם Præcepta negatiua & affirmatiua quot. 2. Ruth. Mamluchi. — Iudith. 14. Actor. 6. גֵּר — גֵּרוּת — Magour.

גּוּר — Deuter. 33. Ierem. 51. — Octo varia Leonis nomina. — פרח — כפיר — שחל — אריה — שחץ — לביא — ליש — Tribus leonis nominibus Iudas vocatur.

VERSICVLVS NONVS CAPITIS 49.

גּוּר אַרְיֵה יְהוּדָה מִטֶּרֶף בְּנִי עָלִיתָ כָּרַע רָבַץ כְּאַרְיֵה וּכְלָבִיא מִי יְקִימֶנּוּ׃

Ex quo facilè quis eorum veritatem percipere potest, quæ prius annotauimus.

IN probl. 288. querebat Venetus cur Iudas ad prędam ascendisse diceretur; vbi Græci Interpretes verterunt ἐκ βλαστοῦ, *ex germine*, quod maximã hallucinationem Steuchus vocat: qui de verbo ad ver-

Steuchus.

bum vertunt Hebræum, ponunt, *à præda*, vt sit sensus, assiduè prædaris; sic enim Dauid assiduas ex hostibus prædas egit, gradatim à minori in maiorem ascendens; nam 1. leonem discerpsit, deinde Goliat vicit, postea 100. præputia 1. Reg. 18. reportauit, & c. 27. iuges prædas à Philisthinis abegit, donec tribum Iuda velut à Saülis regno diuelleret 2. Reg. 2. & omnium tribuum rex fieret; denique maximas prædas à Moabitis, & Syris abduxit.

1 Reg. 18. & 27.

2. Reg. 2.

Verùm antequam vlteriùs transeamus, præterquàm quòd de leonis nominibus dictum est, 70. defendendi sunt aduersus Eugubin. qui מִטֶּרֶף mittereph, vertunt *ex germine*, Symmachus verò, & Aquila, *à præda*, qui vertit, *spolia, & captiuitates*, ille verò, *venationes*. Leo Castrius censet olim duplicem in Hebræo lectionem fuisse, vnam qua germen, aliud qua præda significaretur, quod probandum esset. Delrio putat Septuaginta mysticum sensum à Spiritusancto designatum ostendisse, itaut locus hic de Christo sumi debeat, qui Surculus Deiparæ, seu virgæ Iesse fuit: cui fauet Origenes, qui ait hîc in Græco legi βλαστοῦ homilia 17. in Gen. *Quod virgultum, vel ramus rectiùs interpretatur, qui de radice repullulat, vel de ipso robore arboris solet. Ex quo ergo virgulto, vel ex quo ramo Iudas ascendisse dicitur?* Et postea. *Nisi fortè aliquis vim faciens velit ita asseuerare, ex germine processisse Judam, idest vt superiùs diximus, vel ex virgulto, vel ex ramo, quod de ipsa patris fortitudine, & virtute significet*, & quibusdam interiectis ad mysticā expositionē pergens ait: *Iste catulus ergo ascendit ex germine: ex Virgine enim natus est. Non ex semine, sed ex Virgine absque concubitu viri, & absque semine naturali nascitur Christus, velut virgultum, siue ramus. In quo manifestissimè & veritas carnis assumptæ ex Virgine declaratur. In sacrosancto germine contagio humani, & carnalis seminis excusatur.* D. Hilarius legit; *Ex frutice filius meus*, in Psalm. 131. Vbi cautè legendus est Origenes. Si enim per germen Christum, aut Virginem intelligit, in quo seminis carnalis contagionem excusari velit; quòd reuera tale semen in Christi generatione, quale in cæteris fuisse crediderit, fallitur; quandoquidem nullum viri semen intercessit, si verò per, *excusatur*, intelligat, *nullum fuit*, sed à Spiritusancto suppletum est, optimè. Vbi locum hunc de Christo censet explicandum. *Et superior, & consequens benedictio, nec ætati Judæ, nec gestis conuenit, sed ei qui ex Judæ fru*tice, *sicuti ex radice Iesse est*. Ita ferè D. Ambr. c. 4. de benedict. patriarch. *Mirificè autem, & incarnationem eius expressit dicens: Ex germine fili mi ascendisti, eo quòd tanquam frutex in aluo Virginis germinauit, & vt flos boni odoris ad redemptionem mundi totius maternis visceribus in splendore nouæ lucis emissus ascenderit, sicut Esaias dicit, Exiet virga de radice Iesse, & flos ex radice eius ascendet. Radix familia Iudæorum, virga Maria, flos Mariæ Christus. Rectè virga, quia regalis est generis, de domo, & patria Dauid, cuius flos Christus est, qui fœtorem mundanæ colluuionis aboleuit, & vitæ æternæ odorem infudit.* Quam explicationem, cùm sit tantorum sanctorum, libens amplector. Vt tamen symbolum meum conferam, non extra rem futurum existimo, si verbo Hebraico retento dixerim à 70. verti potuisse ex germine, seu frutice: quandoquidem טָרַף taraph, non tantùm rapere, & laniare, sed etiam victum tribuere, & טֶרֶף tereph victum, cibum, & escam significat, & טֶרֶף idem est ac palmes, siue ramus, aut folium: etenim Ezech. 17. vers. 9. habetur כָּל טַרְפֵּי col tarphe, omnes palmites, frondes aut folia: adde quòd Thargum pro עָלֶה hale folium habeat טְרַף Genes. 8. vers. 11. quapropter cùm palmes pro germine, & frutice sumi possit, 70. vertere potuerunt, ἐκ βλαστοῦ. Quid si diceremus locum hunc ita posse intelligi, vt Iudas eo sensu ex germine ascenderit, quia à montibus æternis Christus venit, vt nos redimeret, cùm טֶרֶף tareph etiam significet æternum, sic enim 70. verterunt. Psal. 75. vers. 5. φωτίζεις σὺ θαυμαστῶς ἀπὸ ὀρέων αἰωνίων, illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: vbi quidam vertunt præda, à quibus etiam Iudas venisse dici potest, quatenus ab æterno prædestinatus fuit, vt esset, à quo Christus proficisceretur. At de hoc loco satis.

Symmach. Aquila Leo à Castro. Delrio. Origen. Ambros. טרף Ezech. 17. עלה Gen. 8. Psalm. 75.

Ex his factum esse nonnulli putant, vt tribus Iuda, Dauid, Salomon, &c. pro insigni leonis effigiem habuerint, quem etiam Preto Iohannes rex Abyssinorum pro stemmate gestat, ita tamen, vt crucem erectam teneat, vt ex tabula 68. Orteliani theatri constat. Ex Salomone siquidem, & regina Saba se descendere iactat. Græcus ita se habet: σκύμνος λέοντος ἰούδα· ἐκ βλαστοῦ υἱέ μου ἀνέβης· ἀναπεσὼν ἐκοιμήθης ὡς λέων, καὶ ὡς σκύμνος. τίς ἐγερεῖ αὐτόν. idest Catulus leonis Iuda, ex germine, fili mi, ascendisti, recumbens, dormiuisti vt leo, & sicut catulus, quis suscitabit eum? Pro, *ascendisti*, legimus Hebraicè.

עָלִית

HOc autem verbum latissimam significationem habet, quod semel hîc in examen adducemus, ne quis miretur, si lectiones sæpenumerò tam inter se diuersæ sint; & quidem primò 70. per ἀναβαίνω sunt interpretati, vt hîc in nostro contextu patet, in quo omnes conueniunt: deinde in eadē significatione per alia verba ex ἀναβαίνω composita verterunt, nempe προσαναβαίνω Exod. 19. v. 23. συναναβαίνω Gen. 50. vers. 9. ἐπιβαίνω Iosue 4. vers. 16. & ἐκβαίνω, quod descendere, significat Ios. 15. v. 6. Tertiò vertitur πρωτοτοκέω primo enitor 1. Reg. 6. ἔρχομαι, venio Amos 7. vers. 1. ἀπέρχομαι Iosue 10. vers. 36. ἀπῆλθεν Ἰησοῦς, &c. abijt Iosue: εἰσέρχομαι, Daniel. 2. vers. 16. καὶ Δανιὴλ εἰσῆλθε, & Daniel ingressus est: ἐξέρχομαι ex eo Gen. 19. vers. 30. ἐπέρχομαι superuenio, Leuit. 16. vers. 9. παρέρχομαι, transeo, Numer. 20. vers. 19. πορεύομαι, proficiscor, Ios. 19. vers. 46. εἰσπορεύομαι, ingredior, Ios. 10. vers. 9. γίνομαι, fio. Gen. 19. vers. 15. παραγίνομαι aduenio, 1. Reg. 13. ver. 15. ἔπειμι insum 3. Reg. 10. vers. 16. ἥκω, venio, 1. Reg. 29. v. 9. ἀναχωρέω, secedo Num. 16. 24. καταχωρίζω, comprehendo 1. Paral. 27. vers. 24. φέρω, affero, Amos 5. 22. ἀναφέρω, offero, Gen. 8. 20. εἰσφέρω, affero. Dan. 6. 18. συναναφέρω, simul porto. Gen. 50. vers. 25. vbi vulgata habet, *asportate*. προσφέρω, effero. Leuit. 22. 18. ἀναβιβάζω, ascendere facio, Gen. 37. 28. vbi habemus, extraxerunt. ἄγω, duco, Ierem. 39. 5. ἀνάγω reduco Gen. 50. 24. εἰσάγω introduco, Daniel 2. 24. ἐξάγω, educo. Exod. 3. 8. ἐπάγω Exod. 33. 5. induco, vulgata, *ascendo*. τίθημι pono Ezech. 14. 2. ἐπιτίθημι impono, Exod. 25. 37. καίω, ardeo, Exod. 27. 20. vulgata *ardere facio*. ἅπτω accendo, Exod. 30. 8. ἀνάπτω Iudic. 6. 21.

Septuaginta interpretes vnicam dictionem Hebræam nempe עלה per 70. verba Græca diuersa explicant.

Septuaginta verba Græca vnico Hebraico æquiualēt quæ hîc referuntur cum locis Scripturæ.

6. 21. ἐξάπτω Num. 8. 4. μηρυκάω, rumino. Leuit. 11. 26. διεκβάλλω, pertendo. Ios. 15. 8. vulgata, *ascendo*. ἐπιβάλλω circundo, vulgata, *porto*. Numer. 19. 2. ὑπέρκειμαι, excello. Prouerb. 31. 29. vulgata, *supergredior*. ἐπαίρω item Psalm. 46. 8. ὑπεραίρω, loco cit. Prouer. idem significat; ἵστημι, sto. Ezech. 13. 5. ἀνίστημι, ascendo. Esai. 7. 1. ἀφίστημι, absisto. Numer. 16. 27. ἀναλαμβάνω assumo. 4. Reg. 2. 11. ἀντιλαμβάνω inhæreo, Prouer. 11. 28. ὑψόω, eueho, 1. Paral. 17. 17. ὑπερυψόω exalto, Psalm. 96. 10. ἀδικέω, iniustè ago, Psalm. 61. 9. ποιέω, facio. Iob. 42. 8. φύομαι, nascor. Prouerb. 26. 9. ἀναφύω renascor, Esai. 34. 13. [illegible], Psalm. 136. 8. propono. καταγράφω, conscribo, 2. Paral. 20. 35. προστρέπω conuerto, 3. Reg. 22. 35. γλύφω sculpo, 2. Paral. 3. 5. ὑφαίνω, intexo. 2. Par. 3. 13. ἀναβοάω, exclamo. 2. Reg. 23. 10. ἀναγγέλλω annuntio. Esai. 53. 2. διανοέω, cogito. Iere. 7. 29. ἀποτρέχω, recedo, Ierem. 34. 21. ἀποπηδάω euado, Ezech. 19. 3. ἐνδύω induo. Ezech. 44. 17. συγκομίζω, comporto. Iob. 5. 26. αἴρω tollo, Amos 3. 5. ἀνασπάω extraho. Habac. 1. 15. συμπλέκω implico, Zachar. 14. 13. ἐγείρω suscito, Prouer. 15. 1. suscito.

Ex quibus patet Septuaginta Interpretes hoc vnicum verbum Hebraicum עָלָה hala per Septuaginta verba Græca explicasse, ex quo vnum ex diuinis nominibus, scilicet helion עֶלְיוֹן altissimum, cuius essentia captum omnem superat, eliciunt, quem Græci ὕψιστον vertunt, Gen. 14. 18. Vnde & holocaustum dicitur עוֹלָה hola, quòd super altare eleuaretur, eiúsque odor in altum pergeret in conspectū Dei, quod Septuaginta vertunt ὁλοκαύτωμα, & κάρπωμα; inde & gradus מַעֲלָה ἀναβαθμός, & עָלֶה hale folium supremum arborum excrementum, & תְּעָלָה tehola emplastrum, aquæ ductus, congregatio, vtilitas, & cubiculum עֲלִיָּה halija. Vnde concludo linguam Hebraicam facillimo negotio addisci posse, cùm tam pauca verba habeat, vt eadem dictione multa eos significare necesse sit, in quo loquacibus Græcis opponi videntur, quos aliqui dicunt 72. millia primitiuorum habere, sicut Latinos 32. millia, cùm tamen vix Hebræi 2. millia cognoscant.

Quænam dictiones ex עלה descendant. Nomē Dei. Gen. 14.

Quot sint dictiones primitiuæ in lingua Hebraica, Græca, & Latina.

Igitur catulus leonis ascendit ad prædam, & ex germine, quod iuxta prædicta vertere possis, ad cibum, & ad germen, quandoquidem ferè semper præda consistit in cibis, quos sibi parauerant hostes, siue crudis, siue coctis, vt qui vitulos, boues, oues, &c. abduceret, verè dici possit è præda, & ex cibo ascendisse, cúmque cibus sit vitæ propagandæ, atque conseruandæ principium necessarium, ac veluti germen, sicut & generationis, cùm sperma genitale ex vltimis ciborum digestionibus fieri videatur: eam ob rem non malè verterunt 70. ex germine, tametsi paulò subtilius illud sit, quàm vt ad huiusce loci intellectum afferri debeat. Sequitur in textu.

Nouus sensus literalis

כָּרַע רָבַץ *Karah Rabats.*

VVLGATA, requiescens accubuisti: Aquila incuruans, Symmac. claudicās consedisti, 70. verò, dormiuisti: Verbum autē כָּרַע carah, significat crura, vel pedes curuauit, propriè genuflexit, vnde factum est כְּרָעַיִם kerahaim, idest crura, quod sese incuruent, estque dualis à singulari כֶּרַע keraa crus, quod Græci σκέλος dicunt, differt autem ab הִשְׁתַּחֲוָה histachaueh, quod prosternere se in terram corpore, & facie significat, tametsi Septuaginta sæpenumerò carah vertant aliter, nam Esai. 46. 1. legūt πίπτω cado, hîc autem ἀναπίπτω recumbo, seu requiesco dicitur, seu recubo, vt Num. 24. 9. vt sit sensus, Iudam, vel eius posteros sese quieti tradituros, postquam aduersarios omnes debellarint, instar leonis qui se cernuat in terram, & quasi contentus recumbit, vt prædam deuoret, quem nemo audet interpellare, aut sicut leæna, quæ catulos suos lactans dormienti similis in strato suo se collocat, quod in Dauide completum esse, sicut & in Salomone videtur, alta siquidem pace fruebantur.

Versiones diuersæ. Quomodo carah & histacaua differant, & vtriúsque significatio.

70. variè כרע interpretantur.

Iudic. verò 5. c. 27. vertunt κάμπτω flecto c. 11. vers. 35. ἐμποδοστατέω offendo, Psal. 18. 43. supplanto, συμποδίζω, Esth. 3. 2. adoro προσκυνέω, Iob. 31. 10. humilio, ταπεινόω, &c Congruit autem significatione cum צָנַע tsanah, צָעָה, כָּנַע, יָעַץ, צְעָן, & צָעָה, quæ omnia humiliationem animi denotant. Superest verbum רָבַץ rabats, pro quo vulgata legit, *accubuisti*; quod ferè in idem recidere videtur cum præcedenti, *requiescens*, significat enim in cumulum reclinando membra contrahere, atque componere, adeout sit proprium animalium, sicut שָׁכַב sacab hominum, vnde Hebræi dicunt cubile רֵבֶץ rebets, quod Græcis vertitur κοίτη, ἀνάπαυσις, νομή, & χορτασία κοιλίας, idest pabulum ventris Prou. 24. 15. vbi vulgata habet, *requiem eius*. Pagninus vertit, accubitum eius.

Quid sit רבץ. שכב. Pagninus.

Sunt & alia verba, quibus idem exprimitur, ac per רָבַץ, videlicet עָצַר, רָבַק, רָפַר, רָבַד; At præterquam quòd significat acquiesco, seu dormio, cubo, sedeo, aut adhæreo, vertitur etiā à 70. per ἐκτρέφω, Psalm. 22. 2. idest enutrio, ἔχω, & γεννάομαι nascor. At de hoc versu nono satis superque dictum est: præsertim cùm manifestò constet id de Christo propheticè significari, cuius videlicet nomen est. *Accelera spolia detrahere, festina prædari.*

5. Verba Hebraica idem significant.

Tantùm aduerte יְקִימֶנּוּ Iekimennou suscitabit, habere pro radice קוּם kom 1. surrexit, stabiliuit, ratificauit, cum quo נָקַם, שֵׁם, & שָׁקַם significatione congruūt; cæteras omitto notiones, vt quædam inde fluentia nomina ponam; nam quando קוּם kom est nomen aduersarium significat, sicut & resurrectionem, & statutum; יְקוּם iecum, quicquid in terra viuit, substantiam, קַיָּם kaiem firmamentum, קָמָה kama messis, seu frumentum אַלְקוּם alkom, concionator, &c.

קום quid sit quidue ex eo descendat.

Quod ad problema 287. Veneti iam aduerti in eo nugas contineri, quibus adde fictitios esse illos regum influxus, quasi verò stellæ, atque planetæ omnia in eos influxerint, quæ in omnia animalia: aut in eo sita sit hominum perfectio, vt animalium proprietates habeant; minimè tamen arguo, quòd Iudam, Leoni, Iosephum Tauro, in quibusdam conferat, cùm etiam ipse Christus, & Deus sæpe comparetur animalibus.

Problema 287.

288. problema explicatum remanet: superest igitur 289. in quo quærit, quomodo, *Non auferetur sceptrum de Juda*, intelligi debeat, vbi priùs annotandum est eum perperam appellare veritatem litteræ, *donec veniat Siloh*, non quòd non ita textus Hebræus ferat, idque bene, sed quia vera editio, qua nunc omnes vtimur, sæpè mendosam vocat, quod & hîc insinuare videtur, sed hac de re sæpe alibi monuimus: iam verò textum versiculi 10. expendamus.

Problema 288. & 289.

Q

VERSICVLVS DECIMVS.

Non auferetur sceptrum de Iuda, nec dux de femore eius donec veniat, qui mittendus est, & erit expectatio gentium.

לֹא־יָסוּר שֵׁבֶט מִיְּהוּדָה וּמְחֹקֵק מִבֵּין רַגְלָיו עַד כִּי־יָבֹא שִׁילֹה
וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים׃

ὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ ἰούδα, καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν.

Paraphras. Chald.

PARAPHRASIS Chaldaica legit; Non auferetur habens principatum à domo Iuda, neque scriba à filijs filiorum eius, donec veniat Messias, cuius est regnum, & ei obedient populi. Aquila verò, vbi Septuaginta legunt ἄρχων, habet σκῆπτρον, quod ipsa tribus dicitur, vt aduertit Flaminius. Septuaginta, vbi vulgata legit, *qui mittendus est*, verterunt τὰ ἀπκείμενα, quos D. Aug. 12. contra Faust. c. 42. & 16. de ciuit. cap. 41. & S. Cypr. l. 1. aduer. Iud. sequi videntur, sic enim scribunt, quoadúsque veniant deposita illi; sic etiã S. Chrysost. Cyril. in Glaphiris, Clem. Alexand. & Euseb. Cæsar. In alijs tamen codicibus legitur ἀπόκειται, quod S. Ignat. Iren. Tertul. de Trinit. Auer. Leo Papa. S. Hieron. explicans prophetiam de Dan secuti sunt, sic enim aiunt, vt veniat, cui repositum est. Vtramque lectionem Iustinus martyr, & Interpres Origenis amplectitur. In codicibus manus. Theodoreti bis est, ὁ ἀπόκειται, aliàs, ὁ ἀπόκειται, qui, aut quod reseruatur. In hoc patres, & Interpretes conueniunt, vt his verbis Messiæ futuri tempus describatur, vnde R. Salomon & D. Kimhi, sicut & Onkelus verterunt, donec veniat Messias; notántque hanc esse tertiam de Messia factam promissionem. Prima siquidem Genes. 3. exprimitur, *Inimicitias ponam inter semen tuum, & semen mulieris: ipsa conteret caput tuum.* Qui textus variè legitur, nam alij codices habent ipsum, vt referatur ad semen, non autem ad mulierem; cui insistentes Lectioni, notatores huius sæculi, arbitrantur se plurimum detraxisse B. Virgini: Ægrè namque ferunt, istam Prophetiam ei attribui. Sed falluntur plurimum, nam hoc ipso quod semini mulieris eam vim condonant, gloriam ipsius Virginis summopere euehunt; siquidem haud dubiè, Mariæ, seclusa maternitate, hoc est dignitates Matris, ad quam est assumpta, & præelecta, nunquam tanta gloria diuinitus fuisset concessa: vt caput serpentis in sua ipsius Conceptione immaculata contereret, neque per se sed per gratiam saluatoris nostri eiúsque seruatoris, aut potius præseruatoris Iesu: qui seminis nomine hîc intelligitur à peccato originali fuit præseruata. Secunda promissio de Christo facta habetur Genes. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Tertia verò hîc habetur.

Aquila.

Flaminius.

Augustin.

Cyprian.

Multis patres laudantur.

R. Salomõ, & Kimhi notãt Messiam ter promissum fuisse.

Vt autem omnes difficultates huiusce versiculi discutiamus, ad ipsas dictiones, in quibus mysteria recondi videntur, accedo. Et quidem primò verbum סור sour occurrit, quod tametsi Septuaginta per verba quinquaginta & vnum, pro varijs locis interpretentur, attamen omnes tam Iudæi, quàm hæretici, & Christiani conueniunt, vt in hoc loco significet, non auferetur, seu non recedet, vel deficiet, non eclipsabitur, vt ita loquar, sic enim Septuaginta ἐκλείψει, vnde syderum eclipses dicimus. Aliud sequitur nempe.

סור explicatur, & à 70. per 50. dictiones explicatur.

שֵׁבֶט

SEBET, in quo paulo maior est difficultas, quanquam omnes ferè pro regia dignitate sumunt, Septuaginta vertunt ἄρχων, quod principem, seu principatum, & imperium obtinentem significat. At Sebet virgam, baculum, tribum, sceptrum, regnum, dominium, & familiam dmonstrat, sic enim Septuaginta Psalm. 2. versic. 9. vertunt ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ in virga ferrea, & Prouerb. 13. 25. vtuntur nomine idem significante, nempe βακτηρία. Iob. 21. 10. interpretantur flagellum, μάστιξ. Iudic. 5. 14. σκῆπτρον, sicut Esai. 30. 31. plaga מַכָּה scribitur, vbi ab editione vulgata legitur virga. Iob. 37. 13. legerunt παιδεία disciplina, Esai. 11. 4. λόγος verbum, vulgata retinet virgam. & cap. 14. 5. ζυγὸν vertunt 2. Reg. 18. 14. βέλος iaculum. Ios. 4. 8. διάβασις, transitus. Quin & pro homine sumunt, Num. 24. 17. ἄνθρωπος, qui locus valdè notandus est, in eo quippe loquitur de Messia, atque huic Genesis loco simillimus est; sic enim legitur, *orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël*, vel exurget homo iuxta Septuaginta Interpretes, quod Balaam volens nolens prædixit. Rursus verterunt δῆλος 1. Reg. 2. 29. Deuteronom. 12. 14. πόλις; vulgata, *tribus*. Numer. 18. 2. δῆμος populus, vbi vulgata *sceptrum habet*, quod enim insignius principis sceptrum, & potestas maior est, quàm populus. Vt reuera fortissimos aggeres ciuitas, & regna, & principes habere censeantur, quando populus vnanimi consensu in Imperatoris salutem, & Reipublic. bonum conspirat. Denique Genesis 49. in quo versamur sumitur pro filijs, versiculus 28. υἱοὶ, vbi legimus, *in tribubus*, & versiculus 16. φυλὴ, quod propriè tribus est, & hîc

Variæ significationes verbi שבט.

Num. 24.

Sibouta quid.

hîc verterunt ἄρχων. Hac autem dictione solis apicibus immutatis mensem vndecimum Ianuario respondentem exprimunt שבט sebat; & piscis thynnus dicitur שבוטה sibouta. Verùm in sequentibus dictionibus maior est difficultas, ad quas ideo properandum est. Ex dictis autem sequitur iuxta quascunque versiones sensum esse dictionum præcedentium, non ablatam iri potestatem, atque dominationem, seu imperium, & ducem de domo seu tribu Iuda.

ומחקק מבין רגליו

Vmichokek miben raglaü.

Variæ significationes חקק.

QVOD præcedentia clariùs exprimere videtur, quodque ad verbum sic vertere possis, nec præceptor, vel scriba de inter pedes eius, חָקַק cakak enim significat descripsit, statuit, mandauit, stylo effigiem, seu imaginem impressit, quia leges, quas superiores condunt subditorum menti, velut tabulis imprimi debent; hinc enim fit חק, חקים seu חקות choc, chukim, & chukot, statuta, mandata, ritus, consuetudines, atque decreta, veritates. מחוקק Mechokek verò Typographum significat; dum tamen sine scribitur מחקק eum insinuat, qui viuendi formam; atque leges præscribit, vnde Septuaginta Psalm. 59. 8. βασιλεύς. Deuter. 33. 21. ἄρχων; hic autem ἡγούμενος ducem verterunt, & vulgata quadrat. Sequitur Miben Raglau de inter pedes eius, quod idem est, ac de medio eius, & velut ex eius domo: רגל Ragal autem, vnde רַגְלוֹ regel pes, & crus, significat, deferre pedibus, explorare, & imperare, sic enim per ἀφηλόμαι quod est impero Septuaginta verterunt, Exod. 11. 8. populus, qui subiectus est tibi, Hebraicè, qui est in pedibus tuis. רַגְלֶיךָ Ragel verò, Genes. 8. 9. vertunt πούς pes. Ezech. 1. 7. σκέλος crus. Nehem. 9. 21. ἀσφάδμα calceamentum. In alijs locis per viam, ambulationem, tempus, sedem: hîc verò per μηρὸς femur explicant, quod etiam significat os insertum acetabulo, & in genu desinens, quod eapropter ἀμφικέφαλος vtrinque caput habens appellatur; & in hoc osse Iacob læsum fuisse ab Angelo multi existimant, in ea parte, in qua cum acetabulo ischij, ligamenti orbiculati beneficio articulatur, prope quod ligamentum aliud oblongum occurrit ab apice femoris eductum, quo relaxato, & à sua sede distracto sequitur claudicatio vi naturæ incurabilis, in qua femur tametsi perfectè repositum, semper prolabitur. Volunt etiam per Synecdochen significare quicquid est infra aluum, vt genitale, adeout hîc verti possit; & legislator ex inter pedes eius, vbi Thargum habet מִבֵּינֵי בְנוֹהִי Mibene benohi, à filijs filiorum eius: vnde R. Kimhi à generandi vi dictum existimat, quæ in eo loco sedem habet. Proficiet fortè, si notauerimus ab hac radice dici fullonem, quoniam pedibus subsultando telam laneam rudem subigit, sic enim 2. Reg. 17. 17. Ionathas prope fontem רגל rogel seu קַצָּרָא katsera fullonis, vt Thargum habet; stetisse dicitur.

Typographus Hebraicè.

Psalm. 59.

רגל quid significet.

Exod. 11.

Gen. 8. Ezech. 1. Nehem. 9.

ἀμφικέφαλος.

Quomodo nerius Iacob læsus fuerit.

Fullo Hebraicè.

2. Reg. 17.

Donec veniat qui mittendus est.

NIHIL est circa dictiones has annotandum, præter quàm circa. שילה Siloh, nam conueniunt Interpretes, vt vertant עָבָא Iavo veniat: à radice בוא, quod Septuaginta Interpretes centum verbis partim eiusdem, partim etiam diuersæ significationis exprimunt. At dissentiunt in lectione שילה, quod alij deducunt à שיל sil, vt saluatorem, fœlicem, augustúmque, vel etiam filium eius, seu Christum significet. Castrius 3. Apolog. legit Sailah cum ijsdem literis, sed punctis diuersis, vt donum vel promissum ei significet: Galatinus legit שלה sela, idest, qui eius, nempe virginis filius. Vatablus à שָׁלָה sala, idest fœliciter agere, deducit, vnde fit שְׁלָוָה vel שַׁלְוָה, salua, vel seleua, saluus, fortuna, & fœlicitas, quod Septuaginta vertunt etiam pacem, benignitatem, abundantiam, inquisitionem, scelus, ruinam, dolum, blasphemiam, & temeritatem: hinc etiam fit שִׁלְיָה filia, nempe secundina, in qua securè viuat embryo. Verùm ab alia radice potest Siloh deduci, nempe à שלח salac, idest dimisit, quod etiam varias significationes habet, vt apud Septuaginta videre est, vnde fit שְׁלַח selac, missile, seu iaculum, & pila, & alia arma; denique hinc oritur שְׁלוּחַ salouac, idest nuntius, Græcis ἀπόστολος, & שֻׁלְחָן sulcan mensa, quod instar iaculi mitti posset, longior enim quàm lata erat, Græcis τράπεζα, & quidem ex hac radice nostrum שילה fortè deducitur, vt optimè vulgata dixerit, *qui mittendus est*, quia Christus legatum Dei patris apud homines acturos esset. Quibus præmissis videndum est, quousque regnum Iuda perduraret, & an desierit, antequam Christus ad nos veniret. Vbi nonnulla dicentur, quæ non parum ad textus explicationem facient, & concluditur, quid ex præsenti versiculo aduersus Iudæorum impietatem colligi possit, atque debeat. Ideóque hanc vnicam quæstionem apponam tribus distinctam articulis, ne rursus versiculum hunc in proprijs commentarijs aggredi cogar. Hanc autem Pater noster Franciscus Victonius succisiuis horis elaborauit, vt morbo quo tunc opprimebar, solito charitatis ardore, quo suos complecti solet, occurreret: ne prælo deesset materia.

שילה centũ dictionibus Græcis æquiualet apud 70.

Castro.

A qua radice שילה deducatur.

QVÆSTIO.

AN EX HVIVS BENEDICTIONIS VERBIS MESSIÆ aduentus probari poſſit.

SOLVVNTVR DVBIA EX LITTERA HVIVS textus deſumpta.

ARTICVLVS PRIMVS.

LOCI huius variæ lectiones, & expoſitiones, cùm à Iudæis Chriſtiano nomini infenſis, tùm etiam ab ipſis Catholicis, & Orthodoxis Patribus proferũtur, quibus textus huius vires retunduntur, & franguntur.

Ac primo quidem omnium inhærendum primæ dictioni *iaſur*, יָשׁוּר, quæ quidem à 70. Interpretibus, varijs in ſacræ Scripturæ locis, quinquaginta atque vno vocabulis exponitur; quare cùm tam multiplex ſit iſtius verbi atque thematis ſenſus, quid quæſo certi, aut explorati habeamus? Sanè verò 70. ſic reddunt Græcè eo loci, οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, quaſi dicat non eclypſabitur, ſeu non deficiet, non quidem ſimpliciter, ſed ad inſtar luminis deficientis ex interpoſitione corporis lunaris inter corpus ſolare, & terram: atqui eiuſmodi defectio non eſt vera & abſoluta deſitio, ſed tantùm intercalatio quædam. Vnde qui ex eo textu regni ſeu ſceptri Iudaici deſitionem arguunt Doctores, parum firmo, paſſim nituntur fundamento: illis autem fauebit textus iſte, qui non planè quidem ablatam regiam dignitatem: ſed tantùm interceptam, vt inquiunt, & alteri datam in captiuitate Babylonica, reſtituendam tamen tempore Herodis, atque alijs temporibus, quibus qui è Iudæ Tribu prodierant viri ſolio regioſceptroque potiti ſunt: quales fuiſſe perhibentur inter Iudices, Othoniel & Abeſam, atque inter Reges, Dauid, & Zorobabel, cui quidem ſententiæ ſubſcribunt Cyrillus contra Iulianum Apoſtatam & Iunilius l. 2. part. diu. leg.

Vox ἐκλείψει quomodo accipienda hoc loco.

Cyrillus Iunilius.

שֵׁבֶט quid propriè ſignificet.

In שֵׁבֶט difficultas eſt obſcurior quàm quæ facili diluatur negotio, namque propriè ſignificat ea vox, baculum ſeu potius virgam, ex arbore ſeu radice arboris natam: vnde per accommodationem pro tribu ſeu familia paſſim vſurpatur in ſacris biblijs, Deuteronom. 18. c. v. 1. כִּי בוֹ בָּחַר יְהוָה אֱ׳הֶ׳ךָ מִכָּל־שְׁבָטֶיךָ quoniam ipſum elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis. Et quia reges ſolent geſtare manu virgã, ſeu ſceptrum, quod ſupremæ dignitatis eſt argumentũ: ideo nomine שֵׁבֶט ſeu ſceptri, calami, aut virgæ, rex ſeu regia dignitas, aut dominium, rex, princeps, aut dominus intelligitur. Denique quòd virga ſeu baculo vtimur ad verbera, nomine virgæ, ſeu שֵׁבֶט tribulatio, perſecutio, diſciplina, plaga, flagellúmque exprimuntur Iſa. 10. c. v. 5. Væ Aſſur virga furoris mei, הוֹי אַשּׁוּר שֵׁבֶט אַפִּי. Cùm igitur iſtius dictionis שֵׁבֶט (quæ totius vaticinij præcipua eſt) varius ſit intellectus, cur potius in ſecundo quam in primo, aut poſtremo ſignificato accipitur eo loco? Quid vetat eam reddi in priori acceptione, vt alius planè ſenſus eliciatur? *Nõ deficiet tribus de Iuda. i. de populo Iudæo donec veniat qui mittendus eſt.* Eritque propheticum dictum veriſſimum, quo quidem populi Iudaici protectorem ſe futurum Deus pollicetur, vſq; ad Chriſti aduentum. Nam circa id tempus duntaxat, Iudaicus populus à Deo derelictus, tribúſque omnes per diſperſionem & captiuitatem defeciſſe videntur, vt vix ſcirent è qua tribu nati eſſent, nempe tanta erat his temporibus calamitas populi Iudaici. Eamobrem videtur vox Hebræa שֵׁבֶט reddenda in proprio ſignificato, vt ſignificet tribum ſeu familiam, non autem in figurata locutione cùm ſumitur pro rege, aut perſecutione.

Deuter. 18.

Iſa. 10. 5.

Præterea vera erit prophetia ſi שֵׁבֶט diſciplinã ſeu doctrinam exponamus, nam tempore duntaxat Meſſiæ, veteris teſtamenti diſciplina, hoc eſt iudicialia, & cæremonialia deſierunt, imò verò doctrina & traditiones Hebrææ, ecclypſim quandam paſſæ ſunt, acceſſione Euangelici luminis, vt noctem præceſſiſſe Paulus dicat; diem autem appropinquaſſe; eritque ſenſus: Non deficiet diſciplina & doctrina de Iuda, ideſt de Iudæa donec veniat qui mittendus eſt: quæ expoſitio cõfirmatur ex eo quod ſequitur vocabulo מְחֹקֵק quod ſignificat ſtatuentẽ, præcipientem, preſcribentem, nam חָקַק ſtatuere, præſcribere, præcipere eſt: Chaldæus vertit וְסָפְרָא ſcribam: quare Oleaſter exiſtimat eum intelligendum qui deſcribit cùm promulgat edicta regis aut principis, & 70. vertunt vocem חָקַק per διατάθω vt Iudicum 5. & per τίθημι Iob. 13. Et verbale eius חק vbique vertunt voce πρόσταγμα vel νόμιμον, hoc eſt legitimum & debitum fieri & iuſtum: מְחֹקֵק verò erit προστάτης, ſeu qui legem præſcribit, omniaque diſcernit: quare ritè infertur non tam agi hîc, de ſuprema poteſtate quæ aduentu Chriſti defecerit, quàm de diſciplina, ſeu doctrina morali Iudæorum, apud quos ſcribæ erant non tam auctoritate poteſtateque præcellentes, quam doctrina legum fulgentes: quemadmodũ apud Gallos Druidę, penes quos ſumma rerũ non erat, qui in iure dicundo, & in præcipiendo, aut definiendo poteſtate ſibi propria non vtebantur: ſed tantũ commiſſa quadam authoritate definiendi cõſultatiuè, ſeu diſcernendi quid iuſtũ quidue iniuſtum. Namque etſi altera pars principis abſolutiſſimi, ſit leges condere, aut iura tueri (quod fortaſſis occaſioni fuit cur ἡγούμενον verterint מְחֹקֵק) nemo tamen ex eo regem quempiam ספר ſcribæ aut præſcribentis titulo appellarit, cùm regiæ dignitatis præcellentiam explicare voluerit, eſt enim inferiorum Magiſtratuum, iuri cuique cũ tanta ſedulitate & cura reddẽdo, cõmiſſa ſibi auctoritate, vacare: ſupremi verò domini ſeu principis, minus laborioſis officijs exerceri, ijſque quibus dignitas & gloria regni illuſtratur, nõ autẽ obſcuratur occupari. Ergo iſto vocabulo min⁹ aptè, principis ſeu regis auctoritas, atq; pręcellẽtia venit intelligenda,

שֵׁבֶט diſciplinam ſignificat.

2. expoſitio Prophetiæ huius.

מְחֹקֵק quid ſignificat.

intelligenda, cõgruentiſſimè verò, facultas diſciplinæ moralis legum atque cæremoniarum, quæ docentibus Patribus tradita ſunt poſteritati Iudæorum, vſque ad Chriſti Domini aduentum, qua quidem tempeſtate, cœpit doctrina obſcurari, ita vt velamen poſitum eſſe dixerit Paulus ſuper caput Iudæorum: quod & prænuntiatum fuit à Propheta dicente, Quia dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine Rege, & ſine Principe, & ſine Ephod, & ſine Theraphim.

Oſee 3. cap. verſ. 4.

Porrò non videtur abſonum, ſi quis dicat iſtud vocabulum ſcribæ, מְחֹקֵק, ideo ſpiritu diuino inſtigante, Iacobi morientis ore prodijſſe: vt ſignificaret poteſtatem ſupremam, ſi qua remanſit apud Iudæos, in Sanedrin ſeu Septuaginta ſenum Senatu auguſtiori conſeruatam, iſte quippe ſenatus licet leges condere, ſtatuere, aut præſcribere poſſet: non tamen propterea Regia potiebatur, aut fulgebat dignitate, quæ per ſceptrum ſi ſumatur pro Regno, & non pro tribu, aut diſciplina exprimitur. Erit ergo germanus ſenſus. Non *deficiet diſciplina*, quæ per virgam ſeu שֵׁבֶט ſignificatur, *de tribu Iuda*, hoc eſt, vt infrà videbitur, de Iudaico populo vniuerſo, & *Scriba*, ſeu Doctor legis, de femore eius. i. de poſteris eius: donec veniat qui mittendus eſt, atque ita exponere videtur Oleaſter hoc loco. Nam eo fermè tempore quo Chriſtus Dominus natus eſt, Herodes omnem ſenatui Sanedrim abſtulit auctoritatem præcipiendi, docendi, declarandi, & ſtatuendi, quæ legis Iudaicæ erant; probabiliſque videtur ea huius loci expoſitio: imò verò expeditior, quippe quæ tot obiectiones aduerſarias facilè eluit: Nam difficillimũ eſt probare regiã & ſupremam auctoritatem non modo in tribu Iuda, ſed & in omnibus tribubus, conſeruatam perpetuò fuiſſe, vſque ad Chriſti Domini aduentum. At verò extra controuerſiam eſt ſemper aliquos fuiſſe ex tribubus omnibus, vel Prophetas qui ex oraculo quid diuini eſſet placiti reſponderent, vel ſacerdotes edoctos legẽ Domini, quibus pro ſacerdotij dignitate, poteſtas ferè conceſſa eſt, ad regimen & directionem populi Iudaici.

מְחֹקֵק cur hic habeatur.

3. expoſitio Prophetiæ Iacob.

Denique, ſi eo quòd figuratè ſeu metonymicè שֵׁבֶט regnum ſignificat, idcirco pro regno accipitur, cur non etiam, שֵׁבֶט hic tribulationem & perſecutionem, qua conſtat Iudaicum populum perpetuò oppreſſum fuiſſe, atque opprimendũ: donec ex ſententia Iudæorum, veniat Meſſias etiamnum hodie expectatus? cur inquam pro tribulatione hîc non vſurpatur iſta vox? cùm in ſacra Scriptura, virga ſeu שֵׁבֶט pro afflictione, flagello, pœniſque in peccati vindictam incuſſis, multò frequentiùs, quàm pro ſceptro ſeu regno ſumatur. Atque ea eſt multorum Rabbinorum expoſitio, cuius meminit Benedictus Pererius in Geneſim cap. 49. diſput. contra Iudæos. Imò verò ea eſt Iudæorum ferè omnium opinio, qui Meſſiæ aduentum præſtolantur: quo quidem ſperant ſe libertate præcipua donandos, gloriáque haud vulgari illuſtrandos: cùm tamen ad id vſque tempus ſeruitutis duriſſimo iugo premendos ſe non dubitent. Eritque iuxta eorum ſententiam ſenſus, *Non deficiet perſecutio de vniuerſa Iudæa, donec veniat Meſſias*; atque ea textus huius expoſitione perſeuerant in expectatione Meſſiæ, medijſque in perſecutionum fluctibus, doloris acerbitatẽ leniunt, ſpe concepta futuræ libertatis, & gloriæ venturæ tempore Meſſiæ. Si namque, inquiunt, non recedit virga furoris, & perſecutionis à gente noſtra, quæ per tribum Iuda, intelligitur, attamen tandem aliquando liberabitur à ſeruitute duriſſima, & euehetur ad culmen regij honoris: idque dum venerit Meſſias, promiſſus Patribus noſtris, & à nobis per gentes diſperſis, expectatus.

3. expoſitio loci huius.

Denique, quid reſpondebimus Septuaginta Interpretum verſioni, quæ vbi legimus donec veniat qui mittendus eſt, habet, donec veniant quæ repoſita ſunt ei: ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, eam autem interpretationem ſecuti ſunt Sanctus Auguſtinus 12. contra Fauſtum, capite 41. & libro 17. de Ciuitate Dei capite 41. Et Cyprianus contra Iudæos vtitur eo loco non quidem ad inducendum Iudæos vt credant adueniſſe Meſſiam, ſed vt probet gentes magis in Chriſtum credituras, nec facit vim in ijs verbis prioribus, quoadúſque veniant depoſita illi, ſed tantùm in his poſterioribus, & ipſe eſt ſpes gentium, quippe videtur agnouiſſe locum iſtum, non eſſe adeo expreſſum ad intelligendũ Meſſiam. Legit paulò differentiùs Tertullianus contra Iudæos, cui promiſſum eſt ei: vnde ſecundum iſtam lectionem libro 3. contra Marcionem ſic verſibus reddidit hoc vaticinium: Iudas ipſe pater, regalis gentis origo, Vnde Duces geniti, cuius de ſemine Reges Nunquam defuerunt, donec ventura poteſtas, Gentibus expectata diu, promiſſa veniret. Iuſtinus Dialog. contra Tryphonẽ vtroque modo legit τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, & ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται: donec veniat cui repoſitum eſt. Ignatius, Ambroſius, Hieronymus, & alij eius ſæculi ſequuntur ferè tunc vulgatam Septuaginta expoſitionem ἕως ἂν ἔλθῃ ἀποκείμενα αὐτῷ. Leo Papa varijs in locis, & Origenes legerunt donec veniat cui repoſitum eſt, cui quidem expoſitioni occaſionem fortaſſis præbuit diuiſio vocis שִׁילֹה, in duas dictiones: quaſi ש *ſit ſeruilis littera*, pro אֲשֶׁר, qui quæ quod, vt vſitatiſſimum eſt apud Hebræos, לה *lo verò, ſit nota datiui*, ſignificans pronomen antecedens ei, per vulgatiſſimam permutationem ſeruilis literæ ו in ה.

Septuaginta interpretes quomodo iſtũ locum reddant.

שילה quibus cõponatur.

Præterea Leo Caſtrius libro 3. Apolog. vocem שילה legit mutatis punctis שִׁילָה ſaila, hoc eſt donum ſeu promiſſum ei, atque ita exiſtimat Septuaginta Interpretes legiſſe: Rabbini verò Dauid Kimhi, Aben-Ezra, Bechai & alij vocem שילה vertunt בְּנוֹ hoc eſt filius eius, vt per metatheſim ו in ה, ה ſit affixum æquiualens, eius שיל verò idem ſit ac בֵּן: cuius rei redditur ratio, ex eo quòd שָׁלָה ſit apud Hebræos idem, ac eſſe tranquillum, vnde שִׁלְיָה, eſt ſecunda ſeu pellis ſecundina, ideo ſic dicta, quòd in ea fœtus tranquillè quieſcat, in eoque ſenſu vſurpatur Deuteronom. 28. verſ. 27. Vbi cum affixo legitur בְּשִׁלְיָתָהּ, hoc eſt in ſecundina eius. Hinc etiam per accommodationem שָׁלָה parere eſt, ſi creditur Aben-Ezra, 4. Reg. 4. verſ. 28. אַתְשַׁלֶה אֹתִי quod æquiualet לא תוליד, ideſt ne facias vt pariam, ſeu liberos accipiam. Non inſulsè autem liberos parere ſignificatur voce שָׁלָה quod eſt pacificum eſſe, quandoquidem quæ ſterilis erat apud Iudæos mulier, opprobrijs vulgaribus ſubijciebatur, donec liberos ſuſcepiſſet. Vt videre eſt in Anna, quę dolore oppreſſa propter concluſam vuluam, viſa eſt orare veluti temulenta, præ nimia cordis amaritudine.

שילה idem quod בְּנוֹ.

Quid שִׁלְיָה.

Cur שָׁלָה ſignificat liberos parere.

Ad hæc, adijci poterit non contemnenda expoſitio dictionis שילה, quæ ſignificat pacificum; atque ita legit Oleaſter hoc loco שָׁלֵה ſcalia pacificus

שילה pacificus.

per metathesim literæ heemanticæ, quasi שליה positum sit pro שְׁלִיה, à radice שלה, vnde שַׁלְוָה abundantia, prosperitas, pax, nonnulli ex Rabbinis legunt שילה vt sit locus quidam vulgatissimus in Regum historia, in quo quidem fabulantur, Saülem & Hieroboam vnctos esse reges, atque ea versio fauet Iudæis qui hanc prophetiam impletam esse in Saüle aut Hieroboam volunt, cuius meminit sententiæ, Benedictus Pererius in Gen. c. 49. vers. 9.10.11. disput. contra Iudæos.

שילה Rabbinis est locus.

Denique etiamsi legamus שִׁילָח per ח, & non per he, rectè quidem, vertendum, qui mittendus est: at cur per eum qui mittendus potius Messiam, quàm aliquos ex regib⁹ aut ducibus populi Iudaici intelligemus? præcipuè cùm ipsa Scriptura attestante Nabuchodonosor rex Chaldæorum dicatur missus à Deo, ad punienda scelera Iudæorum, vt habetur Hieremiæ 25.27.36.50. & 51. capitibus, & Ezechielis 26. Facitque ea expositio pro eorum sententia qui asserunt Nabuchodonosoris tempore vaticinium istud impletum, eum porrò in modum respondit Christianis Iulianus Apostata, vt patet ex Cyrillo l. 8.

Quid שילח cum ח significet.

Hæc autem sunt quæ ex ipso textu petuntur obiectiones, ad eludendum argumentum contra Iudæos solidissimum: quibus quidem facturi sumus satis, paucis quæ sequuntur responsionibus.

Responsio ad primam difficultatem.

יסור quid significet.

Ad primam quæ ex varia dictionis סור acceptione oriebatur difficultatem, respondetur, omnium tùm Iudæorum tùm Christianorum consensu futurum יסור, reddi per vocabula idem ferè significantia, parúmque interesse num absolutam desitionem, aut tantum interceptionem seu interruptionem quandam importet, nam quouis modo explicetur, solidissimum erit contra Iudaicam proteruiam argumentum; quanquam certissimum sit vi vocabuli סור, nullo modo exprimi interceptionē illam temporis: sed tantùm fundari subtiliorem illam ratiocinationem, in Græco ἐκλείψει, cuius quidem nullam ineunt rationem Iudæi. Adde quòd ἐκλειπεῖν deliquium & defectum simpliciter significet, non autem secundum quid; vnde concluditur parum facere, vel nihil ad eorum sententiam, qui Prophetiam de restituto sceptro temporibus Othonielis, Abesæ, Dauidis, atque Zorobabel principum tribus Iuda, explicant.

Ad secundam.

Ad secundum dubium respondetur æquè propriè (si tamen proprietas in hisce significationibus dicenda est) שֵׁבֶט significare sceptrum atque tribum, nam quemadmodum ex eo quod ex eodem stipite plures prodeunt rami seu virgæ: ita è primo tribuum parente posteri descendunt, idcirco, tribus, virgæ vocabulo exprimitur per metaphoram; eodem sane iure, שֵׁבֶט sceptrum, seu virgam regiam significabit, quare vsitatius & frequentius in sacra Scriptura, שֵׁבֶט sceptrum seu virgam pastoralem significat, quàm tribum, vt Psalmo 44. Sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui שֵׁבֶט מַלְכוּתֶךָ שֵׁבֶט מִישֹׁר eademque vtimur solutione aduersus eos qui per שֵׁבֶט tribulationem disciplinam volunt intelligi. Nam, cur his in significatis potius accipiendum est vocabulū, quàm in communi & vulgato? presertim cùm communi Rabbinorum calculo, שֵׁבֶט regiam dignitatē significet eo loco, quo Iacobus Iudam dilectissimū sibi filium præ cæteris fratribus, benedictionibus accumulet. Ineptū autem foret, si tribum Iuda quis elaturus supra alias, diceret tribulationem, & persecutionis flagellum, nunquam ab ea recessurum, donec venturus esset Messias, perinde etiam non magnum est, si dicat tantùm legis Doctores & Sapientes Rabbinos in ea tribu non defuturos quoad veniat Messias, quandoquidem nil peculiare exinde contigisset Iudæ tribui, cùm alijs tribubus sit æquè concessum.

Quid מְחֹקֵק

Quòd autem vertunt Hebræi quidam מְחֹקֵק preceptorem seu scribam ספר, nihil officit expositioni communi, qua habet dux seu princeps, nam licet מְחֹקֵק significet præceptorem, non tamen eum qui instar Magistri aut Professoris cuiusdam legem edocet, sed eum qui præcipit, hoc est imperat, seu statuit: vnde Oleaster etiam per מְחֹקֵק ipsam legem seu decretum intelligit, & vt patet ex dictis, חק est νόμιμον seu legitimum, id est lege firmatum & principis auctoritate sancitum, seu statutum. Quare scribam dum vertunt מְחֹקֵק eum intelligunt, non qui describit, sed præscribit leges & statuta, quod est supremæ auctoritatis, qua quidem alias tribus superandas à tribu Iuda prædicebat Iacob: ita vt ipsa, leges præscriptura esset, aliæ verò obtemperarent. Estque expressio prioris vocabuli שֵׁבֶט sceptrum, seu regiam connotantis dignitatem. Siue ergo potestas suprema in senatu Sanedrim remanserit, siue in principe quopiam perseuerauerit, non est instituti nostri hîc prosequi, quandoquidem eas obiectiones quæ ex rationibus, aut coniecturis aliunde petuntur nobis non est propositum hîc diluere; siquidem quod luculenter à pluribus est præstitum, superuacaneum ducimus agere, in his præsertim commentarijs quibus consulimus breuitati.

Solutio ambiguitatis vocis.

Superest vt discutiamus vocem שִׁילֹה quæ quouis modo legatur, siue sit שילה pacificus, siue שִׁילֹה promissum ei, siue שילה filius eius, vel cui repositum, siue שָׁלִיחַ missum. Nam שָׁלַח mittere est, semper significabit Messiam, maximè cùm ex antecedentibus & consequentibus id appareat.

Messias est is cui omnia sunt repromissa probatur.

Nam vt priori loco à nobis laudatæ respondeamus expositioni, quæ est Septuaginta Interpretum, & Patrum citatorum, qui versionem Septuaginta secuti sunt; ea est periphrasis accommodatissima Christi Domini, cui non modò repromissum & repositum est sceptrum regni quod defecit in tribu Iuda, sed etiam reposita sunt omnium tribuum, imò verò vniuersi orbis sceptra vt patet ex Psalmo secundo versu 6. 8. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum suum, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Qui sanè locus non potest intelligi de alio quàm de Messia, cui soli dixit Deus, filius meus es tu, ego hodie genui te. Et Isaiæ 49. 6. Deus Pater Messiam alloquitur, Parum mihi est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas: Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Quod autem obijciebatur Cyprianum loco citato non facere vim, in his verbis, gratis fingitur: nam cur eum locum aduersus Iudæorum peruicaciam adferret, nisi Messiam hîc intelligendum opinaretur, & si ergo non faciat vim in his verbis, positiuè, facit negatiuè: si non expresè, saltem tacitè. Hoc ipso namq; quod eo vtitur aduersus Iudæos, de Messia sermonem esse non dubitat. Porrò Augustinus

Cyprianū per eū cui promissum & Messiam intelligit.

Aug. lib 17. Ciu. 4 1. 12. Contra Faustum 42. cap.

Rabbini quomodo per eum cui reposita sūt Messiam intelligunt.

gustinus locis suprà memoratis explicat quomodo per eum cui repositum est Messias, sit intelligendus: imò verò secundum Rabbinorum cabalam, per eum cui reposita seu promissa sunt omnia, intelligendus est Messias; nam aiunt Deum, propter Messiam & eius Matrem, omnia fecisse, vt amore Messiæ, Matrisque eius, capta bonitas sese mirum in modum profuderit, in creatione, seque populi Iudaici, eo quòd ex eo venturus esset Messias, protectorem ducemque mirabili prouidentia ostentarit. Sanè si credimus piæ Theologorum menti, Deus propter seipsum omnia creauit primò, deinde propter filium incarnandum, postea propter Matrem, denique propter electos: vt per antonomasiam Messias dicatur cui reposita sunt omnia.

Probatur ratione Theologica.

Messias cur pacificus dictus.

Ita etiam pacificus dicitur, quia nascente Domino pax vniuersis terris reddita, vt videre est ex historiarum serie. Imò verò his quæ in cælis, dicente Paulo, ὁ εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ σου εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, pacificans in sanguine crucis suæ in ijs quæ in terra sunt & quæ in cœlis, ideóque præsignatus in Rege Salomone, qui pacificus re & nomine fuit: quare concinit Ecclesia in die Natiuitatis, Rex pacificus magnificatus est, cuius vultū desiderat vniuersa terra. Iudæi etiam dum de Messiæ temporibus loquuntur, tranquilla, & bellorum atque dissidiorum exortia futura esse asseuerant. Theologicam addo rationem, nam cùm Messias sit ipse finis omnis creaturæ, at verò assecutione finis, quies comparetur & habeatur: sanè Messia nato, quiescet omnis creatura quæ inquieta erat, nam parturiebat vsque adhuc, atq; hîc apposita est allusio, quæ petitur ex secundina pelle, seu potius emissione partus, nam quemadmodum effuso & reddito partu, quiescit mater, quæ parturiens tot afflictabatur doloribus; ita etiam creaturæ omnes donec pepererunt creatorem, & cōsummatorem perfectionis, quæ creaturis accedere vnquam poterat, optatam pacem consecutæ sunt: neque potest vlterius ipsa progredi creatura, quàm vt filia Dei sit & nominetur, nec gradus excellētior esse potest communicationis diuinæ excellentiæ, quàm per propriam hypostasim; eum ferè ad modum Rabbini etiam ipsi, fructum terræ sublimem, seu finem terræ, hoc est creaturæ omnis Messiam nominant, in hęc verba: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascender. Quod etiam videtur innuere Paulus cùm ait in Christo ἀνακεφαλαιώσασθαι, hoc est recapitulari omnia, quia omnes creaturæ, quæ aliquid sui in homine habent, nouam dignitatem assecutæ sunt ex coniugio felici diuinitatis cum humanitate.

Probatur ratio Theologica.

Probatur etiam ex Rabbinis.

Messias etiam apud Rabbinos.

Præterea extra controuersiam est, quod ipse Messias voce siloh nuncupetur. Nam ipsi Iudæi id nominis inter Messiæ nomina collocarunt, quare in Sanedrin cap. 11. leguntur varia nomina Messiæ attributa, interrogante Rabbi Iochannan, respondentibus verò varijs discipulis diuersarum scholarum. Nam primi omnium qui de schola Rabbi Scela erant, responderunt nomen Messiæ, esse שילה laudantes hunc ipsum locum: qui autem de schola Rabbi Ienua dixerunt יִנּוֹן iuxta illud psalmi 71. vers. 17. יִנּוֹן שְׁמוֹ לִפְנֵי שֶׁמֶשׁ ante solem Iunon nomen eius. Alij, qui proculdubiò de schola R. Chanua, dixerunt esse חֲנִינָא idest gratiam, secundum quod habetur Iosue 11. vers. 10. Non dabo vobis gratiam חֲנִינָה clementiam. Hoc est Messiam, alij Menachem מְנַחֵם, hoc est consolatorem, iuxta illud Thr. 1. 17. אֵין מְנַחֵם, non est consolator Menachem, hoc est Messias. Alij denique נָגוּעַ Nanuag, leprosum, iuxta illud Isai. 53. vers. 4. Nos vidimus eum leprosum, interpretare Messiam וַאֲנַחְנוּ חֲשַׁבְנֻהוּ נָגוּעַ. Paraphrastes Chaldæi Oncheli, Ionathanis & Ierosolymorum omnes legunt pro שילה Messias, Rex, eaque est antiquiorum Iudæorum sententia: vnde in בְּרֵאשִׁית רַבָּה habetur שִׁילֹה הוּ מֶלֶךְ מָשִׁיחַ, idest Schiloh est ipse Messias. Quibus adde Cabalistarum obseruationem dicentium literas משיח efficere eundem numerum cum dictionibus duabus huiusce vaticinij יבא שילה.

Varia nomina Messiæ.

Vox משיח reddit eūdem numerum quem duo vocabula vaticinij Iacobitici.

מ	40.
ש	300.
י	10.
ח	8.
	358.

י	10.
ב	2.
א	1.
ש	300.
י	10.
ל	30.
ה	5.
	358.

Ijsdem etiam literis Latinis Silo, veri Messiæ Iesu nomen virtualiter & miro modo expressum est: numeris enim omnibus qui dictionem שילה conficiunt ad summam redactis, inueniemus eundem numerum quo sanctum Iesu nomen componitur, iuxta Alphabethi nostri ordinem in hunc modum.

Silo & Iesu eundem faciunt numerum.

I	9.	S	18.
e	5.	i	9.
s	18.	l	11.
u	20.	o	14.
	52.		52.

Quòd si Rabbini acutissimam istam obseruationem irriserint eo quòd Latinorum charactērum, & non Hebræorum habenda sit ratio, habemus alio modo expressum sanctissimum Iesu nomen in verbis Hebræis, benedictionis Iacobi, ad Iudam, יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ & cætera. Nam si priores cuiusque vocabuli literæ, assumantur statim inuenietur sacratissimum nomen יֵשׁוּעַ si scribatur secundum pronuntiationem nostram יֵשׁוּ.

Quod autem summoperè mirandum, id à Rabbinis qui Christi Domini aduentum præcesserunt, est obseruatum, inter quos Rabbenu Haccados: id est Magister noster sanctus. In libro dicto Galerasia, hoc est Reuelata secretorum, qui ad Antoninum Consulem scribens, & de veri Messiæ nomine agens, ita loquitur, Quia Messias homines saluabit יֵשׁוּעַ vocabitur. Gentes autem quæ fidem eius sectabuntur vocabunt eum Iesum יֵשׁוּ & propterea inuenies: hoc nomen Iesu designatum in textu Genesis capite 49. Non recedet sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat Messias & ipse erit expectatio gentium לֹא יָסוּר שֵׁבֶט מִיהוּדָה עַד כִּי יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים: vbi in his dictionibus posterioribus habes, Iesu; quibus si addideris primum elementum vltimæ dictionis עמים habebis etiam Hebraicum nomen יֵשׁוּעַ. At si legamus iuxta cōmunem versionem שילח vel שִׁילִיחַ Missum significabit Messiam, qui dicitur per excellentiam missus & promissus, quod & subin-

ישו Vocabulum ex priorib⁹ literis trium dictionum huius prophetiæ cōstituitur.

nuitur cùm vocatur expectatio gentium, hoc est spes populi Gentilis, vel etiam Iudæorum, nam non habetur in Hebræo vox expressa גוים quæ speciatim condistinguat Gentiles à Iudæis. Sed עמים quod vsurpatur etiam pro populis Iudaicis.

Quid nomine gentium hîc accipiendũ

Denique quomodocumque legamus, communis tum Iudæorum cùm Christianorum sententia est, per שילה intelligendum esse Messiam. Quare aptissimum erit argumentum quod petitur ex eo loco ad faciendam fidem contra Iudæorum peruicaciam, negantium Messiam venisse. Et hæc sufficiant circa literalem sensus ambiguitatem. Legantur autem quotquot ex professo responderunt obiectionibus factis contra hunc locum, inter quos fusissimè omnium Benedictus Pererius cap. 49. Genesis disput. contra Iudæos, & sequenti, cui addemus nihil, hoc saltem loco. Restat vt quomodo & quo tempore eius vaticinij veritas, impleta fuerit, paucis perstringamus.

Conclusio totius dubij.

AN ET QVOMODO SCEPTRVM DE IVDA sublatum sit ante Aduentum Meßiæ.

ARTICVLVS II.

QVANDOQVIDEM certissimum sit, hunc locum intelligendum de desitione supremæ auctoritatis, aut dignitatis, siue de tribu Iuda, siue de omni Iudaica gente, quæ euentura erat ante Messiæ aduentum, vel ipsius Messiæ tempore, quod per dictionem *donec* importatur, inquirendum est qua ratione, & quo tempore id factum sit. Est autem prænotandum alias esse Iudæorum, alias Christianorum sententias, ac primò omnium, sciendum est Iudæorum triplicem esse opinionem: Nam alij in confesso habentes, germanum quem tenemus huiusce loci intellectum, consequenter negant Messiam adhuc venisse, sceptrumque ab eis ablatũ esse: quippe quòd perseuerare aiunt, etiam hoc sæculo. Alij vaticinium istud visum fuisse sub Nabuchodonosore, intelligũtque per missum, seu mittendum, Nabuchodonosorem missum ad profligationem plebis Iudaicæ, vt suprà annotauimus. Alij denique per שילה interpretantur Saulem, eo quòd vnctus sit in Silo, aientes prophetiam impletam eius tempore.

Donec quid importet.

Iudæorum triplex opinio de desitione sceptri Iudaici.

2.

3.

Prima est Rabbi Salomonis quam conuincit impudentissimi mendacij Benedictus Pererius, disput. contra Iudæos in locum istum. Nam respondet Rabbi iste, manere adhuc Sceptrum in domo Iuda, eo quòd, (fabulatur ipse) circa Mediam, Assyriam, Babylonem, & circa montem Caucasum, vigeret Tribus Iuda suo sæculo, atque huius opinionis meminit Origenes lib. 4. περὶ ἀρχῶν. Nam etsi ea non essent, mera figmenta nihil tamen concluderet, loquitur enim sacra Scriptura de principatu & imperio Iudæ, in terra promissionis, non autem inter gentes. Præterea luce meridiana clarius est Iudæos nusquam, & nullibi terrarum principatum tenere, atque in Oriente regnare Persas, Tartaros, Turcas, & cæteros populos barbaros, & iuxta propheticum edictum Oseę cap. 3. reiectos sedere profugos, sine rege, sine sacrificio, sine teraphim.

Refellitur prima sententia.

Sceptrum Iuda intelligendũ de terra promissionis.

Secunda expositio, quæ fuit etiam Iuliani Apostatæ, vt suprà notaui, facili quoque negotio refellitur, nam quomodo Nabuchodonosor dici potest expectatio gentium, spesque populi Iudaici, cum Azarias apud Danielem eum vocet iniustissimum Regem, & pessimum vltra omnem terram; quippe qui populum Dei grauissimè & insolentissimè afflixisset. Præterea cur hîc vocatur שילה? Sane quidem nullam adferre Iudæi possunt rationem: Adde quòd difficilè persuaderi quis possit, eum qui ad castigandos Iudæos venit ex sacra Scriptura vocari simpliciter & antonomasticè missum seu mittendum, ad expectationem spemque populorum, præsertim verò in ea benedictione, quâ felicia Iacob, Iuda filio, eiúsque posteritati benè precabatur.

2. sententia exploditur.

Non potest Nabuchodonosor dici missus, & cur?

Tertia quoque sententia leui, imò vero mendaci nititur fundamento. Nam Saul non est creatus Rex in Siloh. Sed quemadmodum Hieroboam in Sichem, ita etiam Saul in Masphat constitutus Rex est, ex 1. Reg. cap. 10. & 3. cap. 12. Deinde eiusmodi expositio aduersatur rectæ verborum horum constructioni, Iacob enim non dixit, non defuturum sceptrum donec vngatur Rex in Siloh, sed donec veniat Siloh: propterea non potest esse sensus huiusce vaticinij, ne falsum ei subesse dicatur; Nam sceptrum de Iuda non fuit tunc ablatum, cùm potissimùm post Saulis tempora cœperit resloreſcere in Iuda. Imò verò ante Saul sceptrum in Iuda parùm mansit, hoc est ad summum per 47. annos: erat enim modò in hac, modò in ista tribu: vt patet ex eo quod post Othonielem, qui erat de tribu Iuda, cæteri Iudices prodiere ex alijs tribubus, excepto vno Abesamo, quod apparebit ex serie Iudicum delineanda.

3. Opinio refutatur.

Saul nõ est creatus Rex in Siloh.

Saul non potest dici Messias ex hoc loco.

Sceptrum 47. annis tantùm fuit in Iuda ante Saulem

Othoniel.	de Tribu	Iuda.
1. Aod.		1. Beniamin.
2. Samgar.		
3. Barath.		3. Nephtali.
4. Gedeon.		4. Manasse.
5. Abimelech.		5. Manasse.
6. Thola.		6. Issachar.
7. Iair.		7. Manasse.
8. Iephte.		8. Manasse.
9. Abesam.		9. Iuda.
10. Ahialon.		10. Zabulon.
11. Abdon.		11. Ephraim.
12. Samson.		12. Dan.
13. Heli.		13. Leui.
14. Samuel.		14. Leui.

Quos secutus est Saul rex. Iraque non potest dici Saul abstulisse sceptrum de Iuda, sed potius de Leui alijsque tribubus. Adde quòd post Saulem Regia dignitas vbi semel tantùm tribui Iuda concessa est, in Dauide (qui cùm esset è tribu Iuda suffectus est in locum Saulis) perseuerauit vsque ad Babylonicam

Saul non abstulit sceptrum de Iuda, sed de Leui.

Restituit autem tribui Iuda.

lonicam captiuitatem, vnde nec respectu temporum sequentium potest dici abstulisse diadema tribui Iudæ, sed multo magis restituisse.

Christianorum quoque multiplex est sententia, septem varias memorat Benedictus Pererius, quem si consulat diligens lector, statim intelliget nullam harum rei scopum attingere, difficultatisque nodum soluere, sed omnes suis fundamentis ruere. Porro hæ omnes ad duas reduci possunt, quarum altera asseuerat regiam dignitatem in tribu Iuda præcisè remansisse vsque ad aduentum Messiæ, & hanc vt Doctores tueantur, mirum in modum desudant, variaque petunt & quærunt effugia, quibus se grauissimis expediãt obiectionibus, quod latè edisserit laudatus Pererius, in 49. Gen. vers. 9. 10. 11. & 12. quæstione quam instituit cum Christianis. Altera verò ea est quam complectitur Pererius eo loci, in eam trahens sanctos Patres Eusebium Cæsariensem, Iustinum Martyrem, Athanasium, Chrysostomum, Augustinum, & Rupertum locis laudatis. In eam Marius ire videtur in Genesis cap. 49. & mihi valde probatur, eo quòd non apparet mihi, quomodo quis alteram tueatur. Nam vt ex historia sacrâ patet, nullomodo ostendi potest, regiam dignitatem remansisse in tribu Iuda perseuerantèr vsque ad Messiæ aduentum, vt patebit ex diagrammate Chronologico successionis imperij & regiminis populi Iudaici per annos circiter 1735. qui effluxerunt à die huius benedictionis vsque ad ortum Christi, quo omnino defecit principatus à gente Iudaica, scilicet numerantur hoc modo, licet non ita præcisè quamquàm quoad institutum nostrum opus est satis exactè.

Christianorum septuplex sententia circa hunc locũ.

7. Variæ sententiæ ad 2. capita reuocandæ

Non potest probari quomodo præcisè sceptrum mãserit in Iuda vsque ad Messiam.

Recensio & diuisio tẽporum vulgata à morte Iacob ad Christum.

A Morte Iacob, ad egressum filiorum Israël ex Ægypto,	198.	annis.
Ab egressu ex Ægypto, ad ædificationem Templi Salomonis,	480.	
Ab ædificatione Templi, ad liberationem captiuitatis Babylon.	500.	
A reuersione ex captiuitate Babylon. ad Christum natum.	567.	

Estque notandum, Iudæos statim post egressum ex Ægypto, incepisse regi à proprijs ducibus, & principes suæ gentis nactos fuisse, dissimili tamen (pro ratione temporum, & populi improbitate,) regimine: Nam primi omnium post legem datam, dicti sunt duces, & hi duo tantùm, fuêre videlicet Moyses & Iosue, qui præfuerunt populo per annos 66. Porro neuter fuit è tribu Iuda Nam:

Iudæi post egressum ex Ægypto suæ gentis principes habuerunt.

Moses	fuit de Tribu	Leui.
Iosue		Ephraim.

His succesſerunt Iudices suprà memorati, & præfuerunt populo per annos plus trecentos, è quibus duo vt patet, tantùm fuêre de tribu Iuda, scilicet Othoniel & Abesam. Iudices Saul Regum primus sequutus est, qui oriundus erat de tribu Benjamin, post quem Dauid regnauit, qui quidem sceptrum restituit tribui Iuda. Porro dignitas regia perseuerauit in successionibus Dauidis, & stirpe Iuda, per annos 473. hoc est vsque ad captiuitatem Babylonicã. In qua Sedechia capto, templum cum vrbe totâ fuit combustum, desijtq; sceptrum & defecit potestas suprema, de domo Dauid, & de tribu Iuda. Porro exilium seu captiuitas Babylonica, auctore vindiceque Nabuchodonosor accidit, Sedechiæ Regis Iuda anno 11. Mense quarto, anno autem mundi secundum vulgatam cõputationem 3364. & durauit per 70. annos, vsq; ad annum mundi 3434. quoquidem tempore, Iudæi ex Babylone, duce Zorobabele redierunt & fundamentis Templi iactis, à Samaritanis & Cambyse prohibiti ne vlterius progrederentur, vt patet ex 1. Esdræ c. 3. Et licet ad tribum Iuda redierit potestas suprema, in Zorobabele, qui erat ex ea tribu; tamen post Zorobabelem, idest à reuersione Iudæorum ex captiuitate Babylonica, vsque ad Herodem per annos 520. circiter fuit potestas suprema penes Pontifices, Machabæos, eorumque posteros, qui omnes erãt de tribu Leui. Quare apparet non posse ita accipi prophetiam, vt potestas regia perseuerauerit vsque ad aduentum Christi apud tribum Iuda. Nam si numeremus annos & tempus quibus regia potestas mansit in tribu Iuda, inueniemus ad summum 520. circiter annos, hoc modo computando:

Restituit autem tribui Iuda.

sceptrũ fuit penes tribum Iuda.

Sceptrum fuit penes Pontifices extra tribum Iuda per annos 520. circiter.

In Othoniele	40. annos.
In Abesamo	7.
In Dauide eiusque posteris	473.

Quot annos omnino potestas Regia mãserit in tribu Iuda.

Qui omnes additione facta, faciunt 520. annos. At quæso, numquid gratis dicitur regiam potestatem perseuerasse à morte Iacob vsq; ad Herodem, hoc est per 1698. annos circiter, cùm tamen certo certius sit, penes tribum Iuda fuisse duntaxat per annos 520.

Scio nonnullos respondere in Machabæis durasse regiam potestatem; eos verò esse tribus Iuda, non modo ex parte matris, verum etiam ex parte patris; ita Gilbertus Genebrardus in Chronologia sua: at ista responsio absurda est, nam certo certius est Ionathan, Ioannem, Hircanum & cæteros Pontifices summos fuisse, horumque patrẽ Matathiam, disertè 1. Machab. 2. vocari Sacerdotem ex filijs Iojarib. Atqui Pontifices non fuerunt de tribu Iuda, sed de tribu Leui, eoque argumento Paulus vtitur ad Hebræos cap. 7. sic enim infert, Christus fuit ex tribu Iuda, ergo non fuit Sacerdos secundum ordinem Aaronicum, probatque consecutionem: nam inquit, nullus Sacerdotum fuit ex tribu Iuda, sed tantum ex tribu Leui.

Quid respondẽdum his qui Machabæos aiunt fuisse de tribu Iuda.

Instabis: At saltem Sacerdotes fuerunt de tribu Iuda, ex genere materno nam hæc duæ tribus Leui & Iuda propter nobilitatem inter se miscebantur, quod illustratur exemplo Aaronis qui fuit primus Pontifex, duxit enim Elizabeth vxorem filiam Aminadab principis tribus Iuda, vt habetur Exodi 6. Et Paralipom. 2. cap. Iesabeth filia Ioram Regis Iuda coniugata fuit Ioiadæ Pontifici. Respondetur primò non posse probari Sacerdotes, semper aut vt plurimum vxores duxisse de tribu Iuda, quod tamen erat probandum; deinde etsi id perpetuo vsu verum fuisset, non ideo censerentur fuisse de tribu Iuda, nam apud Idumæos, vt refert Benedictus Pererius, non habebatur ratio generis materni, vt qui, haberetur huius aut istius gentis; nec genealogiæ texebantur aliter, quam per genus paternum. Deniq; ratione Pauli suprà laudata vrgetur; nam alioquin infirmum fuisset argumentum eius, si Sacerdotes potuissent assumi de tribu Iuda, ex parte matris, Christus namque cùm sola matre Virgine prognatus sit, æque fuisset ex tribu Leui atque ex tribu Iuda, & sic potuisset esse Sa-

Sacerdotes nequidem ex parte matris dicẽdi de tribu Iuda.

Duo tãtùm fuêre Iudices de tribu Iuda.

A Dauide ad Sedechiam per annos circiter 473.

cerdos de tribu Leui secundum ordinem Aaron.

Ne autem Pauli Burgensis, in hunc locum Petri Galatini, Ioannis Annij, atque Ioannis Lucidi effugijs detur locus: ij fingunt quendam senatum à Mose institutum, de tribu Iuda, perdurasse vsq; ad hæredem, eumque vocant Concilium Sanedrin 70. virorum, iuxta id quod habetur Numerorum 11. Porro apud istum Senatum summa erat auctoritas circa ea quæ spectabant ad legem Mosis, siue quoad cæremonialia, siue iudicialia & moralia, estque istud Concilium Cabalæ fons, seu traditionis Iudaicæ origo, secretæque & mysticæ sacrorum Bibliorum intelligentiæ author. Respondeo namque primò, non posse ex probatis auctoribus, aut sacra Scriptura Senatum istum ostendi qualem comminiscuntur viri docti. Quis credat tam augusti Senatus, vestigium nullum nobis relictum, à Iudæa gente, quæ iactitandis suorum patrũ miris deditissima erat? Quid quod Iosephus rerum Iudaicarum sagacissimus indagator, ne verbum vnum de isto Senatu effutijt? Quod autem Philonis Aniani Breuiarium citatur, non est tantæ auctoritatis, vt aliquid contra existimationem communem, inde concludendum sit. Deinde etsi reuera Senatus iste extiterit, vbi nam gẽtium habetur eum ex tribu Iuda conflatum fuisse? sanè verò verisimilius est, eum ex omnibus tribubus constitisse, vt scilicet vniuerso populo Iudaico satisfieret: cuius quidem rei prostant exempla Exodi cap. 18. vbi Moses consilio soceri sui Ietro, constituit per populum principes, & iudices ex toto Israël, & Num. cap. 13. speculatores duodecim ad speculandam terram Chanaam, & 12. tribubus assumpti. Denique etsi gratis concedamus Senatum qualem isti fingunt, attamen non propterea quod intenditur habetur: Nam Iacob loquitur de suprema potestate qualis non erat in Senatũ sed in Principe, Duce, aut Rege, erat enim ad summum potestas istius senatus, similis ei quæ Parlamento v.gr. in Regno Francię conceditur, & committitur, saltem ijs temporibus quibus Duces, Reges & Iudices populo Iudaico præfuerunt.

Qualis nã fuit Senatus Sanedrin ex mẽte quorundam.

Euertitur sententia de Concilio Sanedrin.

Quare profligatis præcipuis rationibus, quæ aliam à nostra tuentur sententiam, omnino existimandum censeo, sensum istius Prophetię esse, vt per *Sceptrũ* suprema authoritas significetur, siue ea fuerit penes Iudices, siue penes Reges, Principes, aut Sacerdotes: quæ quidem sic dicitur numquam defecisse de Iuda, non quidem quòd soli contribules Iuda regiminis gubernacula tenuerint, sed omnis simul collectus populus, diuisus in 12. tribus. Vt aliquando qui de tribu Iuda, aliquando qui de Ephraim, nonnunquam qui de Benjamin essent, sceptro potiti sint. At contra obijcitur. Nam Iacob moriens, Iudam solum alloquebatur, propheticisque, & deprecatorijs benedictionibus, Iudæ sortem supra alios fratres euehebat, hoc ipso quòd alijs præfuturi essent tribubus Iudæ posteri: ergo non alios simul intellexit, qui de alijs essent tribubus. Verùm respondetur; licet ea prophetia, non in vnã tantum & solã tribu Iuda effectum suum, ex toto habitura esset, aptius tamen tribui Iuda attributam, quàm alijs: tum quòd sceptrum diutius permansurum esset in tribu Iuda, quàm in alijs, tùm quòd præciuè floruerit populus Iudæus sub Regibus Iudatum quòd etsi Pontifices qui erant Leuitici generis, sceptrum tenuerint post Reges, attamen sceptrum illud erat, coronaque regni Iuda: quemadmodum Rex Hispaniæ, ex eo quòd iam Lusitaniæ sceptro potiatur, non ideo dicendum est Hispaniæ regnum, sed qui eum obtinent etsi ex alia stirpe quàm Lusitaniæ Regum, prognati sunt dicuntur esse Reges Lusitaniæ, atque coronam gestare Lusitanam, regnúmq; Lusitanum vigere, & reges Lusitaniæ regnare: ita optimè Iuda dicitur regnum perseuerare in principibus aut ducibus alijs à tribu Iuda: Nec ista loquendi formula adeo inusitata est, maximè cùm nũquam ex eo quod alij dominati sint populo Iudaico, ideo regnum seu eorum Respublica dicta est Leuitica sed Iudaica.

Obiectio contra veram sentẽtiam.

Respondetur obiectioni.

Tres inde rationes elici possunt, cur Iacob moriens, quod 12. tribubus euenturum erat, Iudæ soli addixerit?

Cur Iacob moriens, quod cæteris tribubus erat commune, soli Iuda attribuerit.

Prima, quia prænouerat regiam dignitatem, diutius perseueraturam in tribu Iuda, vt constat ex Chronologia suprà laudata. 1.

Secunda, quia præuiderat vniuersum populum à tribu Iuda, Iudæum perpetuò dicendum, & tribus alias; præsertim verò Beniaminam cum Iudaica confundendam, & ab ea sumpturam denominationem. 2.

Tertia causa ea fuit, quòd licet post reditum è captiuitate Babylonica, Pontifices summam rerum vsurparunt, qui erant è tribu Leui, ipsum tamen sceptrum, & imperium fuit in tribu Iuda, & ex tribu Iuda, eo quòd è captiuitate Babylonica sola tribus Iuda, cum Beniamina (è qua tamen paucissimi contribules) in terram Chanaan redierit, eaque prouincia, seu regio quam tunc temporis, & deinceps vsque ad Herodem incoluerunt, tota ferè, aut saltem maxima ex parte, ad Iuda tribum peruenerit. Nam aliæ regiones, quæ alijs tribubus fuerant assignatæ, tunc temporis à Samaritanis, tyrannica iniuria possidebantur. Denique vrbs quæ caput erat ditionis Iudaici populi, post Dauidem vsque ad Herodem semper pertinuit ad tribum Iuda: quare licet qui supremã apud Iudæos potiebantur auctoritate, non essent de tribu Iuda, attamen ipsum regnum & ditio ipsa regni, regni metropolis, & subiecti ei, ad tribum Iuda iure hæreditario pertinebant. Nec obstat quòd dicatur *& dux de femore eius.* Nam ea prophetia intelligenda est disiunctiuè, vt nunquam defecturus sit de Iudaico populo, vel de tribu Iuda, aut regnum, aut Rex, aut principatus, aut princeps: sicque ad veritatem istius vaticinij sufficiet quòd vel princeps, vel principatus, vel Rex, vel regnum simul non defuerint. Sed eo tempore quo regnum desijt, exempli gratia, tempore captiuitatis acerbissimæ, Rex semper aut dux præfuerit, & quando regni Iuda ditio non fuit ab alienigenis vsurpata, Reges tamen de tribu Iuda defuerint. 3.

Ditio Regni Iudaicã iure hæreditario pertinebat ad tribũ Iuda.

Porro ea sunt quæ breuiter ex probatis auctoribus in discutienda ista difficultate, congessimus: exigit autem huius loci expositio peculiarem tractatũ quo si Deus dederit enucleatius & acuratius allatæ pro varijs huiusque sententijs rationes perpendentur & euentilabuntur.

Vera sentẽtia quęnam sit.

QVÆSTIO

QVO TEMPORE DEFECERIT REGNVM SEV SCEPTRVM DE IVDA.

ARTICVLVS TERTIVS.

RESPONDETVR breuiter, defecisse omnino regnũ seu sceptrũ de Iuda, hoc est Iudaico populo anno mundi secundum supputationem Genebrardi, 4091. vrbis verò Romæ 715. Herode Ascalonita ab Antonio Triumuiro, Tetrarcha Iudeæ constituto, atque ab Augusto & Antonio eodem rege creato. Quod vt facilius intelligatur, notandum est ab 11. Sedechiæ anno quo quidem populus Iudæus durissimo captiuitatis iugo sub Nabuchodonosore superatus est, ad Christi Domini ortum vulgo numerari 520. annos ad Christum verò patientem 553. Si autem demantur 33. anni qui ab Herode ad Christi ortum fluxerunt ex 520. inuenientur 486. anni quibus sceptrum Iuda aliquo modo dicendum est durasse sub sacerdotibus hoc modo: A captiuitate ad Iosue filium Iosedech effluxerunt anni 70.
à Iosue filio Iosedech ad Machabæos, 283.
à Machabæis ad Christum nascentem, 167.
Qui omnes anni simul positi faciunt 520. annos; è quibus si demas 33. qui fluxerunt ab Herode Rege alienigena supererunt 486. anni intercepti ab 11. Sedechiæ anno ad Herodem. Vt autem omnium oculis pateant ista, recensebo Chronologiam eorum temporum quæ à captiuitate Iudaica ad Herodem intercipiuntur, non quidem per Reges, sed per Sacerdotes, eo quod Regum seu Ducum successio interrupta fuit, vt variè à varijs auctoribus referatur.

Tempore captiuitatis Babylonicæ sub Nabuchodonosore:
1. Præfuit Iosedech, annis 70.
2. Cui successere Iesus seu Iosue filius per annos, 28.
3. Ioachim, 42.
4. Eliaser, 21.
5. Ioiada, 24.
6. Ionathan, 24.
7. Iaddus qui occurrit Alexandro Magno, 10.
8. Onias priscus Iaddi F. 27.
9. Simon Priscus Iaddi N. 13.
10. Eleazarus Simonis frater, 20.
11. Menasses Eleazari patruus, 17.
12. Simon iustus, 28.
13. Onias secundus Simeonis iusti F. 30.

Post Oniam turbata est sacerdotum successio. Nam Simon eius filius tres reliquit filios turbulentissimos, nempe, Oniam Iesum seu Iasonem, & Ananiam seu Menelaum, vnde recensentur breui temporis interuallo quatuor Pontifices, scilicet pater cum tribus filijs:
14. Simon filius Oniæ post quem,
15. Onias Simonis postremi filius qui obtinuit à Ptolomæo Philometore vt apud Heliopolim construeret templum Hierosolymitano simile, illicque Pontificatu fungeretur.
16. Iesus qui suum Iasonis nomen transformauit, ab Antiocho Epiphane, Onia deturbato è Sede Pontificia, assumitur ad Sacerdotale munus per annos tres, quibus peractis, ira percitus idẽ Antiochus; minimum fratrem promouet & substituit eius loco: is autem est,
17. Menelaus qui antea Ananias, hic pecuniã honorem à Rege coëmit, cuius tempore Alcimus pseudopontifex sedit aliquandiu. Quare numerandus,
18. Alcimus pseudopontifex.
19. Menelai anno 7. Iudas Hasmonæus Sacerdotium & Remp. cœpit administrare 1. Machab. 2. & 3.

Porro interuallum turbatæ successionis inter Oniam Simonis iusti filium & Iudam Machabęum fuit annorum circiter 11. quare sub his elapsi numerantur anni plus minus, 11.

Dehinc Sacerdotium deuolutum est ad Machabæos qui ad id, iuris habebant aliquid, fueruntq; Sacerdotes simul ac Duces, è quibus,
1. Mathatias filius Iohanã duxit populũ annum 1.
2. Iudas Machabæus annos, 4.
3. Ionatham, 18.
4. Simeon, 8.
5. Ioannes Hircanus Simeonis F. 31.
6. Aristobulus primus post captiuitatem Rex, 1.
7. Alexander Iannes crudelis, 27.
8. Alexandra Alexandri vidua, 9.
9. Hircanus Rex & Pontifex, 34.

Quibus successit Herodes Ascalonita Rex alienigena, cuius tempore verè impleta fuit Prophetia Iacobi: Nam omnino defecit sceptrum de Iudaico populo deque eius femore, hoc est posteris. Siquidem Sanedrin. i. ordinarios iudices de domo Dauid quem Senatum 70. nominabant occidit, vno solo ex ipsis, excepto, inque eorum locum alios ex proselytis legis peritos suffecit. Prætereaque Pontificiam dignitatem quæ secundum generis propinquitatem & auitam successionem in perpetuum deferri solebat mutauit. Neque enim Pontificem in perpetuũ aut in plures annos, sed in annum aut certè ad breue tempus commisit, sæpissimè erogatis auri talentis plurimis, neque Pontificijs familijs, sed vt plurimum abiectis quibusdam & alienis hominibus detulit. Quem morem deinde filius eius Archelaus & post Archelaum Romani tenuerunt: Primum autem Pontificem creauit Ananelem Leuitam ignobilem de Babylonia accersitum, etsi non esset de genere Sacerdotali, vnde apparet omnino tunc defecisse principatum de tribu Iuda, siue quoad Regiam, siue quoad Pontificiam dignitatem.

Officit tamen huic nostræ sententiæ quod nonnulli suspicantur & contendunt Herodem non fuisse alienigenam, inter quos Tornielus post Nicolaum Damascenum, & Scaliger qui scribit frustrà Eusebium alienigenam, Herodem non cupare, eo quod inquit, Herodes patre & auo Idumæis ac proinde Iudæis prognatus sit, præsertim cùm ait Idumæos fuisse dictos Iudęos, & non ampliùs Idumæos ab eo tempore quo Ioannes Hircanus 5. ex

Machabæis eos subegit, & ad circumcisionem cæteraque Iudaicæ religionis instituta coëgit. At paucis satisfiet obiectis coniecturis: Nam primò quòd fermè omnes asserunt Eusebius frustrà non dicit; Atqui non modò Christianorum, sed & vetustissimorum Iudæorum ea est sententia vt asserant indubitanter Herodem fuisse alienigenam. Præterea alienigena proculdubio dicendus est qui non modo non traxit originem à tribu Iuda, sed neque ab vlla totius Iudaicæ gentis familia, vt liquidò constat ex omnium scriptorum communi sententiâ. Porro Herodes patre Ascalonita, matre verò Arabæa, vel secundùm nonnullos, Idumæa oriundus est, quod in causa fuit cur Herodes Idumæus à Scaligero dictus sit. Quod autem inde colligit & concludit ergo Iudæus est, ineptissima consecutio est. Nam etsi Idumæi Iudæi religione per vim illatam à Ioanne Hircano nõ fuerint, non tamen ortu & gente, quippè quòd breui spatio, hoc est 90. annorum spatio quod effluxit ab Hircano ad Herodem Ascalonitam, non potuerint nec secũdum leges Iudaicas debuerint commisceri Idumæi ἀπόφυλοι cum Iudæis, quare etsi nomine fuissent Iudæi, non tamen stirpe, quod tamen exigitur ad implendum propheticum Iacobi dictum: Non auferetur sceptrum de Iuda, neque dux de femore eius: hoc est stirpe. Denique non ex eo quòd Idumæi Iudaicam religionem amplexati sunt ideo Idumęorum nomen amiserunt, sicut nec gentes illæ quæ religionis causa domantur armis Catholicorum seu Christianorum, vt videre est in Iapponijs, Peruanis, qui ideo nomen Gentis nõ amittunt quòd Christianam religionem profiteantur. Ita etiam Britanni, Heluetij aut Bataui propter Caluinianam hæresim, nomen patriæ aut regni sui haudquaquam abiecerunt.

Denique non est fides adhibenda ei Nicolao Damasceno, qui mendacissimus auctor fuit, quique vt Herodi assentaretur, cui erat in delicijs, plurima contra veritatem impudentissimè scripsit.

Ex his omnibus concludere est, Iacobi Vaticinium cœpisse impleri tẽpore Herodis, sub ea namque tempestate nec Sacerdos, nec Princeps de tribu Iuda, imò verò de tota gente Iudæa visus est. At verò Christo nascente totam planè consummatam Prophetiam, vt si status totius Iudaici ratio habeatur eius tempestate Oseæ prophetia locum habuerit, qua dicitur Iudæos, sine Rege, sine Sacerdotio, sine Theraphim sessuros. Hactenus P. Victonius. Osee 3.

PROBLEMA CCXC.

I. *Versi. 22. hoc & sequenti problemate dissentitur.*

QVID sibi vult dictum illud, Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem (ô fili mi) asinam suam? Ex multis, quæ hîc dici possent, vnum tantùm adducam, quod ad verbum exarat autor libri Zohar, omnium Doctorum Hebræorum antiquissimus, ac celeberrimus. Ait enim, Ligabit, scilicet Iehudas, pullum suum, scilicet Messiam, ad vineam, de qua scriptum est, vineam transtulisti ex Ægypto: de qua etiam ipse Messias ait, Ite & vos in vineam meam. Messias enim pullus, & filius Iehudæ fuit, & ad vitem (de qua Propheta canit, Vxor tua sicut vitis abundans) asinum suum, id est corpus, ligauit, tradens videlicet ipsum in cibum, vt cum vxore colligaretur, & vniretur. Corpus autem asinus dicitur, *quia est de latere sinistro*, & verberibus trahendum est. Genes. 49. Zohar. Psal. 79. Math. 20. Psal. 127.

QVOD expurgatorius Index deleuit, hæc videlicet verba (quia est de latere sinistro) delendum fuit; cuius rei sæpiùs attuli rationem: per hunc autem textum, *Ligans ad vineam pullum suum, &c.* putant vbertatem terræ in terra Iudæ tantam describi, vt quis asinam, vel pullum ad vitem vnam alligare possit, & ex ea iumentum onerare, itaut sit metalepsis, vt *ligans*, pro onerans, positum sit; & quidem mirum est, vt ex vno palmite, & eius fructu asinus onerari possit; attamen cùm tantam sortis Iudæ fertilitatem præ alijs minimè legamus, ille sensus potius Iudaicus esse videtur, adeout verus sensus de Messia intelligendus sit, qui prędicatione Euangelij Iudaicum populum sibi coniunxit, vel populum Gentilem Ecclesię ex Iudęis congregatę vniuit, & ad se veram vitem traxit; verùm ad examen dictionum nos conferamus. Sensus Iudaicus excutitur.

VERSICVLVS VIGESIMVS-SECVNDVS.

Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, fili mi, asinam suam.

אֹסְרִי לַגֶּפֶן עִיר וְלַשֹּׂרֵקָה בְּנִי אֲתֹנוֹ

δεσμεύων πρὸς ἄμπελον τὸν πῶλον αὐτοῦ, καὶ τῇ ἕλικι τὸν πῶλον τῆς ὄνου αὐτοῦ.

NVLLA est in primo vocabulo difficultas, etenim אסרי osri, fit à radice אָסַר asar, ligauit, captiuauit; vnde captiuus אָסִיר assir dicitur, עִירָה hiro, fluit à radice עוּר hor euigilauit, vnde perpetuo vigilans, & vrbs עיר hir, atque Angelus dicitur. Vnde hostem עָר har nuncupant Hebræi, quòd semper intentus sit, & vigilet, vt noceat. אסרי רעו

Hinc igitur fit עִיר hair, pullus asini, tam fieri, quàm domestici; Sequitur Velatescah, vbi שׂרק forec genus vitis optimæ, atque laudatissimæ significat, in cuius vuis acini maximè reperiantur; dicitur & in fœmineo genere שׂרֵקָה forecah. Septuaginta per, ἕλικα, vitem significarunt, cuius loco Ambros. & Augustin. cilicij nomine vtuntur. שרק

ἕλιξ quid significet. vtuntur: Origenis Interp. ad palmitem, D. Hier. funiculo: est enim ἕλιξ omnis circumuolutio, vnde & pampinos significat, illásque clauiculas, seu flagella longè latéque vagantia, aliàs capreolos: dicitúrque vitis ἄμπελος quasi ἐμπηλος, πηλὸς enim vinũ antiquitus significabat, vt notat Dalechamp. apud quem multas vitis proprietates videre est. ἕλιξ præterea volutas Architectorum significat, vt apud Vitruuium habes, sicut & Geometrarum spirales lineas, vno verbo quicquid contortum est, eo vocabulo significari potest. Paraphr. Chaldaic. sic habet: Habitabit Israël in circuitu ciuitatis suę; populi ædificabunt templum eius, erúntque iusti in circuitu eius, & factores legis in doctrina eius; quod ferè prædicit quæ sub Christo ventura erant. πηλὸς.

PROBLEMA CCXCI.

I.

QVR scriptum est. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum? Nonne (vt Zohar prosequitur) lauabit Messias vestimentum suum in sanguine? sicut scriptum est. Quare rubrum factum est indumentum tuum, sicut calcantium in torculari? Et iterum paulo superiùs. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, idest vindemia? Quam vindemiam de virtutibus immundis fecit: expolians (vt Paulus ait) principatus, & potestates, & proijciens (vt Ioannes testatur) accusatorem fratrum nostrorum. Et hoc per virtutẽ lateris sinistri; vbi est martyrium, sanguis, & vinum. Postea verò per virtutem lateris dextri tribuit nobis aquam, & gratiam. Hinc Iohannes ait, quòd Iesus Christus venit non in aqua solùm, sed in aqua, & sanguine. Genes. 49. Isai. 63. Zohar. ad Colos. 2. Apoc. 12. 1. Ioh. 5.

PROBLEMA CCXCII.

I. *Versicul. 12.*

QVR oculi Iudæ dicti sunt pulchriores vino, & dentes lacte candidiores? An vt denotaretur, quòd oculi ipsius apti erant contemplari non solùm inferiora, sed superiora, ac cœlestia; & quod dentes eius poterant pasci non solùm pane, & vino, sed lacte? Et quia in ipso lacte prævalebant, ideo candidiores lacte dicti sunt. An sermo est de Messia in lumbis Iehudæ existente? Ipse enim speciosus forma præ filijs hominum præbuit nobis vinum, lac & mel, aquámque suauissimam, & panem feliciorem, ac præstantiorem illo, qui datus fuit filijs Israël, vt saluator ipse testatur. Genes. 49. Ioh. 6.

MEMINI flagellationis Christi, postquam sanctissimi corporis vulneribus vestem assumptam lauit, lauit & alia linteamina, si fortè quibusdam die passionis dum esset in cruce regeretur. Lauit etiam pallium suum, quando mundauit Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ: hæc est Ecclesia, qua D. Ioannes vidit Christum indutum, podere videlicet; de qua possumus optimè illud Sapient. 18. dicere, *In veste poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum*; quandoquidem ex omnibus mundi partibus Ecclesia Catholica constat, quæ est poderis honoris, Eccli. 27. Quatenus igitur nos ad Ecclesiam pertinemus Christi vestis, & pallium iure nuncupari possumus; quidni? cùm de nostro habeat, quatenus est homo, qui se nostra humanitate Angelis ideo præferenda conuestiuit; quam profectò nisi sanguine suo veluti meracissimo vino abluisset, immunda etiamnum remansisset: vnde Ioh. 13. dixit Petro; *Nisi lauero te non habebis partem mecum*: Præterea lumbaris similitudine satis ostenditur Ecclesiam esse Christi vestimentum, Ieremiæ 13. vers. 11. *Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israël.* & Esai. 49. *Viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, &c.* Christum verò sponsa vocat vuam, Cantic. 1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi*; qui torculari crucis expressus lauit stolam suam Ecclesiam, vt eam sibi gloriosam sponsam redderet, non habentem maculam, neque rugam, ad Ephes. 5. magno siquidem pretio redempti, & loti sumus, non corruptibilibus, sed pretioso sanguine Christi. 1. Petri. 1. 1. Petr. 1.

Quæ sit vestis, quod palliũ, quáue latio Christi. Sapien. 18. Eccl. 27. Ioh. 13. Esai 49. Cant 1. ad Ephes 5.

Debuisset Venetus lateris sinistri, dextríque mysterium clariùs exprimere, nec enim satis video cur lateri sinistro martyriũ, sanguinem, & vinum, dextro verò aquam, & gratiam tribuat, quapropter vereor, ne quidpiam simile prædictis velit, cùm alibi toties dextri sinistríque meminerit. Paraphr. Chald. legit. Purpura optima erit vestimentum illius, operimẽtum eius erit sericum tinctum coccino, variisque coloribus: quod ferè recidit cum eo, quod de sponsa Christi psaltes ait. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*: & Prou. 31. *Byssus, & purpura indumentum eius.* Hebraicè verò. כִּבֵּס בַּיַּיִן לְבוּשׁוֹ וּבְדַם עֲנָבִים סוּתוֹ Kibbes baiaijn lebusho vbedam anauim sutho. Pagninus, & Vatablus vertunt, lauit; tametsi hic correctus habet, eluet, & quidem כִּבֵּס Kibbes significat purgare, & eluere, vnde fullonem dicebant Hebræi כּוֹבֵס cobes, qui sordes è vestibus eluebat, & additò furfure, & creta candidas efficiebat; his enim Iudæi sæpissimè in conuiuijs vtebantur: potuit autem vulgatus noster Interpres vertere in futuro, *lauabit*, respiciens ad futuram Christi passionem: alij verò in præterito, lauit, quia res futuræ Dei respectu æquè certæ sunt, ac si præterijssent: ita notat Pagnin. & alij in Institution. Hebraicis: sic enim apud Prophetas sæpissimè accipitur, sicut & pro præsenti, vel etiam pro imperatiuo, aut sub iunctiuo. Chaldæus. Psal. 44. Prouer. 31. כבס Fullo apud Hebræos. Pagninus.

סות & לבש idem.

In cæteris vocabulis nullam difficultatem reperio; tantummodò notandum est esse duas dictiones idem ferè significantes, nempe vestimentum, לבש & סות. Sanguis verò dicitur דם dam à rubedine, nam אדם adam significat, rubuit, quod etiam pro homicidio, & morte tam culpæ, quàm pœnæ, & pro quolibet scelere accipi solet.

Problema 292.

Problema 292. illa verba, *Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores*, exprimit, in quibus Iudæ benedictio finem accipit, pro quo paraphrasis habet, Montes eius rubicundiores erunt in vineis suis, distillabunt colles eius vinum, dealbabuntur campi eius frumēto, & gregibus ouium. Qui literaliter duntaxat hæc intelligi debere putant, his significari volunt tantam futuram esse vini, lactísque abundantiam in sorte Iudæ, vt oculi virorum Iuda rubore quodam ex optimi vini potu perfusi scintillantes, & ideo pulchriores appareāt, vt Ystella notat, idemque de dentibus esto iudicium. Sed hisce metaphoris Christus nobis repræsentatur, qui vitis est, cui sicut fructuosi palmites quibusdam inexolubilibus fidei vinculis alligari debemus. Hoc est illud mysterium, inquit

D. Ambros.

D. Ambros. cap. 4. de benedict. Patriar. quòd pullum asinæ solui iussit in Euangelio, & ipse Dominus Iesus sedit super eum, vt alligatus ad vitem perpetua sanctorum suauitate requiesceret. Lauit autem stolam suam, non vt suam, quę non erat, sed vt nostram, quæ erat sordem ablueret. *Bona*, inquit, *stola est caro Christi, quæ omnium peccata operuit, omnium delicta suscepit, omnium errores texit. Bona stola, quæ vniuersos induit veste iucunditatis; Lauit autem in sanguine vuæ anaboladium suum, hoc est in passione corporis sui diluit gentes sanguine suo. Etenim* Isai. 49.
verbi anaboladium gentes sunt, sicut scriptum est, Viuo ego dicit Dominus, nisi omnes eos induam sicut vestimentum. Vbi vulgata habet. Omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos, quasi sponsa. Et benè vuam dixit: quia sicut vua pependit in ligno, de cuius latere exiuit sanguis, & aqua, Ioh. 19. Aqua ad lauacrum, sanguis ad pretium, &c.

Hilares oculi eius præ vino, & dentes candidiores, quàm lac, significans Prophetas, & Apostolos: Alij enim sicut oculi Christi præuiderunt, & annuntiauerunt eius aduentum, de quibus ipse dicit, Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Apostoli verò lacte candidiores facti sunt, quia gratia, quæ perpetua est, dealbati sunt, cùm lac temporale sit; diuina etiam præcepta lac facta esse dicuntur, vnde & Paulus ait; lac vobis potum dedi: hæc ferè D. Ambros. tametsi dicant alij Apostolos & Doctores, qui salutis viam aperiunt, & ostendunt, oculos esse vino charitatis ebrios, populum verò dentes cœlestem doctrinam mandentes, seu masticantes, quo lacte quolibet fiunt candidiores: sed numquid ipse Christus habet rubicundos, hilares, & gratiosos oculos passionis vino scintillantes? vnde Theodoretus vltima quæstione in Genes. ait, *Poculum passionis est gaudium totius orbis.* Theodor.

VERSICVLVS DVODECIMVS.

IN huius versiculi dictionibus nulla videtur esse difficultas; tantùm obseruandum est חכלילי chalclili significare rubicundum, quod à 70. χαροποιοὶ vertitur, cuius radix est חכל, vel literis transpositis כחל cachal colorauit; vnde pro quolibet colore sumi posse videtur. Deinde לבן laban significare dealbationem, vel candorem: vnde luna dicitur לבנה lebana, siue quia videtur alba, siue

לבן quid, & quæ ab eo deriuantur.

quia candidos gignit. Significat præterea betulam, populum albam, cæterásque arbores albam corticem habentes: vnde virga, quam Iacob accepit

Genes. 30.

Gen. 30. dicitur in Thargo fuisse דלבן dilcan idest betulæ; sunt & alia multa vocabula, quæ hinc suam originem accipiunt, vt thus tam arbor,

Cur Hebræi multa vna dictione exprimunt.

quàm resina, & styrax לבונה lebona, sicut לבנון lebanon tam pro monte Libano, quàm pro tota Iudæa, regníque proceribus sumitur. Inde etiam לבן lac. Denique omnia alba demonstrare potest, vt sperma viri, lateres ardore solis, vel ignis decoctos, ac proinde albos; ratio est sæpiùs inculcata, quòd dictiones paucas habeant Hebræi, vnde cùm tanta sit rerum copia, multa vnica dictione exprimere coguntur. Dentes verò שנים Schinaim dicuntur, & שן Schen à שנן Schanan deriuatur, idest acuit, dentes enim acuti sunt, quomodo & acuta promontoria, & arx in illis extructa, & ebur nuncupatur; ex eo fluit שנינה Senina, dicterium, & alia quædam.

Quare Moses nomine חלב vsus sit.

Notatu verò dignum est Mosem non vsum fuisse nomine לבן pro lacte, sed חלב chalab, fortè quia calab non tantùm lac, verùm etiam pinguedinem significat, vt maiorem rerum omnium abundantiam sub Messia futuram ostenderet, optimum enim rei cuiuslibet eo vocabulo denotant, à quo חלבנה chelbena, seu galbanum resinæ aromaticæ species nomen habet.

Galbanum vnde dicatur.

Sic autem se habet integer versiculus חכלילי עינים מיין ולבן שנים מחלב. Haclili henaim mijain vlben schinnaim mecalab, quod 70. ita verterunt. χαροποιοὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ἀπὸ οἴνου. καὶ λευκοὶ οἱ ὀδόντες αὐτοῦ ἢ γάλα. Sonat autem χαροπὸς oculis gratiosum, rauos, flauos, cæsiósue habens oculos, quod adhuc magis ad Messiæ pulchritudinem facit, qui dicitur speciosus esse præ filijs hominum psal. 44. Psalm. 44.

PROBLEMA CCXCIII.

1. CVR Zabulon sortitur partem suam ad mare extendens latus suum vsq; ad Sidonem? An quia in distributione promissæ terræ sic contigit, vt sortiretur sor- Genes. 49.
Versic. 13. tem suam ad mare inter Isachar, & Asser continens Cęsaream, & Carmelum, & per tribum Asser, cui potens Zabulon se communicabat, attingens vsq; ad Iosue. 19.
Sidonē, nauibus scilicet, & mercaturis? Hinc dicit textus, Pertingens vsque ad Sidonem in statione nauium. An (vt altiùs cum Zohar conscendamus) hinc innuitur partitio terræ viuentium, vbi Zabulon accepit sortem ad mare supramundanum, vbi negotiabatur,
2. & vnde influxum suscipiebat, vt habitaculum fortitudinis fieret? Hinc (teste eodem Zohar) ipse Zabulon semper acriter pugnabat in castris.

Semper cauendum à Veneti supramundanitatibus.

BREVITER

BREVITER hoc vnico problemate Zabulonis benedictionem complectitur, sed ad influxus illos tam sæpè iam explosos sub finem recurrit. Dignum autem est obseruare Iacobum hîc alijs senioribus Zabulon prætulisse, cuius aliqua ratio assignari potest, nempe quòd Messias in terra Zabulon concipiendus esset, Nazareth enim sita est in sorte illa, sicut & Tabor, & Capharnaum, vbi conuersatus est, vnde dixit Isai. cap. 9. *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon*: hæc autem benedictio 13. versic. continetur. Isai. cap. 9.

VERSICVLVS DECIMVS-TERTIVS.

Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem.

זבל quid.

ZABVLON à זבל Zabal dicitur. i. habitauit: vnde Moses ad nomen allusisse videtur, ac si diceret habitans, seu זבולן Zebulum ישכן ischecon habitabit; pro *littore* Pagninus, & Paraphr. *portum* habēt, sed nil refert, חוף coph enim vtrúmque significat, vnde חפף operuit, atque protexit, in portu siquidem naues à ventis proteguntur: vbi verò legimus in statione nauium, sic expressit paraphrastes: ipse subijciet prouincias nauibus, & bona terræ comedet: ibique statio portum significat, in eo siquidem naues stare solent, quæ dicuntur אנית onijot ab אני oni, vel אניה à radice אנה .i. accidit, impulsus fuit; quod etiam omne genus vasis significat. Inde etiam אני ani ogo, & אנה seu per aphæresim נא obsecro. Denique pro *pertingens*, Vatablus non correctus habet, *terminúsque eius*, וירכתו Veiarecatho, à ירך latus, vnde Vatablus correctus habet, *Latere suo pertingens*. Significat etiam femur, ac partes genitales, & plagam, seu terminum.

Pagnin. — Paraphr. — Vatablus correctus & non correctus.

Vbi fuerit Sidon.

Zabulon igitur, qui decimus in ordine generationis filiorum Iacob, & sextus eorum fuit, quos Lia genuit, habitabit in regione maritima, portuosa, & sinuosa. Ad Sidonem insignem Phænicis vrbem, postea Stratonis turrim dictam, Zabulonis funiculos pertigisse docemur, quam à Sidone filio Chanaam, cognomento Phœnix, ædificatam aiunt, cuius filij ante Chananæos, & Phœnices Phœniciæ portionem incoluerunt: Huius autem Sidonis incolæ Sidones Phænices dicti sunt. Littus autem in quo Zabulon habitasse dicitur, est circa mare Mediterraneum, seu Galileæ, siue stagnum Genesareth, cui Capharnaum celebre emporium sicut, & Tiberias, Bethsaida, & vrbes aliæ coniunctæ sunt; attamen inter Sidonem, & terram Zabulon tribum Aser interpositam fuisse Masius in cap. 19. Iosue notat.

Quæ vrbes circa stagnum Genesareth. — Masius.

Tametsi verò ciuitates maritimæ plurima commoda afferant, quia tamen earum incolæ ob maris viciniam maioribus vitijs obnoxię sunt, vt pote superbiæ, auaritiæ, rapinis moribúsque peregrinis, inde fit vt Plato nollet suæ Reip. Metropolim esse maritimā, sed decem millia passuum saltem à mari distare, ita tamen vt portus commoditate frueretur, qualem Hierosolymitanam vrbem fuisse ait Euseb. 12. de præp. Euang. cap. 27. Videatur sensus allegoricus apud D. Ambros. ca. 5. Zabuloni enim Ecclesia comparatur.

Plato vrbē maritimam improbat. — Euseb. — M. Ambr.

PROBLEMA CCXCIV.

CVR Izachar dictus asinus fortis oblectatur requie, veluti bono quodam? An Genes. 49.
1. (vt Hebræi dicunt) dictum est propter tolerantiam oneris studiorum legis,
quibus peculiariter hæc tribus addicta fuit? Quod onus (vt inquit Plato) stu- Plato.
Versicul. 14. dens ferre, nullatenus posset, nisi allectus, & corroboratus oblectatione rerum
de nouo agnitarum. Et quia studio nemo vacat, nisi quiescens (iuxta dogma 7. Physic.
Peripateticum, Sedendo, & quiescendo homo fit sapiens) ideo oblectatur requie. Sed cur magis dictus fuit asinus, quàm equus, aut mulus, cùm & huiusmodi animalia sufferant onera? Nonne (vt Zohar ait) quia asinus suffert onus, nec calcitrat in dominum, nec est glo- Zohar.
riosus, nec quærit honorem proprium, sed domini sui, neque de strato præparato curat?
2. Cuiusmodi est verus studens legis. Et hîc à Deo mercedem accipit, vt nomen Isachar indicat; יששכר Isachar enim idem est, quod יש שכר Sachar ies, idest merces; scilicet ei; Deus videlicet, qui Abrahæ quoque merces fuit.

RECTE post benedictionem Zabulon, sequitur Issachar, quia hæ 2. tribus in bello sibi opitulabantur, vt ex prælio contra Sisaram, Iudic. 5. constat, vnde & Moses Deut. 33. velut vnam ex 2. tribum conficit. Quidam probant ex 1. Paral. cap. 12. multos ex ista tribu contemplationi, atque studijs addictos fuisse, vt Abulensis, qui contradictionis Nicolaum arguit; vnde & Iudæi prophetiam hanc de studio legis, eiúsque obseruatione explicant, tametsi eam probabiliùs de labore, patientia, & fortitudine Issachar interpretentur, nam 1. Paral. cap. 17. fortissimi dicuntur, qui descenderunt ex stirpe Thola filij Issachar: Verùm hæc omnia clariùs elucescent, vbi versiculum hunc in examen adduxero.

Deut. 33. — 1. Paral. 12. — Abulens. — 1. Paral. 17.

VERSICVLVS DECIMVS-QVARTVS.

Issachar asinus fortis accubans inter terminos.

יִשָּׂשכָר חֲמֹר גָּרֶם רֹבֵץ בֵּין הַמִּשְׁפְּתָיִם

Ἰσσάχαρ τὸ καλὸν ἐπεθυμήσεν, ἀναπαυόμενος ἀναμέσον τῶν κλήρων.

Eugub.

TANTVM distant 70. ab Hebræo, vt Steuchus non parum miretur, quòd pro *asino forti* posuerint, *pulchrum desiderauit*, cuius rationem assignat, quòd חמד chamod sit idem, ac concupiuit; quod legisse videntur 70. & non חמר chamor, & quidem facilè quis potest in ר & ד discretione hallucinari ob magnam quam Resch, & Daleth, inter se similitudinem habent. Vertit autem asinum osseum; Oleaster asinum dorsum, aut dorsi: Paraphrasis Chaldaica legit, diues in substantia. Verbum Hebraicum חֲמוֹר, quod hîc caret ו asinum tam marem, quàm fœminam significat, descenditque à radice חָמַר charmar, idest turbidus, commotus, siue confusus fuit: vbi Schindlerus affirmat. 70. legisse חָמוּד, adeout iuxta Thalmudicos, & Iosyppum locus hic vnus sit ex 13. illis, quos LXX. in lege mutarũt, quippe censet in radice תלם 70. vertisse duntaxat 5. libros Mosis fultus Iosephi testimonio 1. Antiq. cap. 1. ipsorum autem versionem perijsse, quando Ptolomæi bibliotheca ab exercitu Pompeij combusta fuit. Sed de his aliàs. Interim videatur Serrarius in Prolegom. biblicis c. 18. quæst. 25. Hac dictione vini rubedo significatur, quia vinum rubrum potum efferuescit, & turbat cerebrum, si merum sumatur, quod חֶמֶר chamer innuit, vt Deuter. 32. 14. legimus. Eadem dictio cum cholem חֹמֶר chomer, corum mensuræ genus, quantum inquiunt aliqui חֲמוֹר chamor asinus ferre potest significat, seu 30. modios, aut סְאִין sein sata: cori verò decimam partem epha dicunt. Præterea sonat aceruum, siue cumulum, & sarcinam, adeout à ferendis sarcinis, & oneribus asinus dici videatur חֲמוֹר chamor. Denique chamor חמר pro diuersis punctis bitumen, limum, argillam, cementum, grauitatem, difficilem, & alia multa significat. vnde fit חמרה chamara erysipelas.

Oleaster. Chal. Variæ significationes dictionis חמר Schindler⁹. Nota. Serrarius. Deut. 32. Corus quæ mensura. Erisipelas.

Rectè verò fortem asinum dixerimus, non quòd alia desint animalia, quæ fortiora sint, quandoquidem camelus, equus, mulus, &c. robore præpolent, sed quia præter robur patientissimus esse videtur, fortitudinis autem summum opus, patientiam dixero. Si quis ridere velit, legere poterit quæ de asino Cornelius Agrippa cap. 102. de vanitate scientiarum encomiasticè narrat; vbi tamen plurima falsa sunt, vt vnusquisque facilè per se deprehendet. Qui verò multo plura, eáque rara & pulchra de asinis scire voluerit, legat ea, quæ regius Claudij nostri calamus in versiculum 3. cap. 9. lib. 1. reg. exarauit.

גרם quid. Asinus ergo dicitur fortis גֶּרֶם garem, idest os, seu osseus; at metaphoricè rem quamlibet duram, & solidam significat, quo Arabes vtuntur, vt corpus, & peccare exprimant: huic autem nomini verbum גָּרַם garam contrarium significatum habet, videlicet, exossauit, seu fregit ossa: cùm autem

גרס quid. loco Mem scribitur Samech גָּרַס garas, inter alia significat, desiderauit; idque tantoperè, vt desiderio quis frangi videatur. Apud Syros גרם gadem ferè idem sonat, nempe truncauit, fregit; Arabes verò sacrum ignem, seu erysipelas dicunt gedem גדאם leprosum verò magdum. Aduertendum est autem nos minimè scire an chamor, & gerem aliud à prædictis significare possint, ac proinde nimis audaces existimarim nescio quos neotericos, hæreticos præsertim, dum 70. reprehendunt, quòd malè vetterint, vel in literis decepti fuerint, nam præterquam quod illa verba, *pulchrum desiderauit*, per chamor gerem fortè potuerunt exprimi, (quis enim omnia significata harum, aut aliarum dictionum nouit?) illi multis in locis aliter, quàm esset in Hebræo verterunt, vt mysterium aliquod vel declararent, vel occultarent.

Quòd autem חָמוּר chamor desiderium significare possit, infertur ex eo quòd 70. non tantùm hîc ita verterunt, sed etiam num. 16. vers. 15. vbi pro asinum posuerunt ἐπιθύμημα desiderabile seu desiderium; estque vnus locus ex 13. in quibus Rabbini in Megillah cap. 1. dicunt 70. interpretes ab Hebræo dissensisse, inter quos tamen locum præsentem minimè referunt. Placet autem hîc referre 7. loca in quibus dissensisse putantur; nam alia 6. quæ ad Genesim pertinebant ad nostrum problema primum attuli.

In quibus locis 70. ab Hebræo dissentiant iuxta Rabbinos. Nota.

Septimus itaque locus est Exodi 4. vers. 20. Septuaginta posuisse super ferentem filios hominis seu Adam, pro, *super asinum*, apud eos tamen legimus ἐπὶ τὰ ὑποζύγια super iumenta, vel vt Caraffa vertit, super subiugalia.

Septimus locus. Exod 4.

Octauus est cap. 12. Exod. vers. 40. vbi additum volunt in Septuaginta, & in reliquis terris, sed ita habemus, καὶ ἐν γῇ χαναάν, quomodo Thalmud Hierosolym. in Megillah, & Sopherim legit.

Octauus. Exod. 12. Passim Rabini arguũtur.

Nonus est Exod. 24. vers. 11. in quo 70. habent, & ad paruulos filiorum Israël non misit manum suam, idest, quin etiam ad paruulos; sed legimus, καὶ τῶν ἐπιλεκτῶν, & nobilibus, seu de electis, vt Caraffa.

Nonus. Exod. 24.

Decimus habetur num. 16. vers. 15. vt iam prænotauimus, in quo pro, *non asinum*, habent οὐκ ἐπιθύμημα.

Decimus. Num. 16.

Vndecimus locus Deut. 4. vers. 19. vbi volunt à Septuaginta additum esse ad illuminandum, seu illucescendum, quod falsum est, scribitur enim duntaxat, καὶ ἰδὼν τὸν ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην, καὶ τοὺς ἀστέρας, καὶ πάντα τὸν κόσμον τοῦ οὐρανοῦ, vbi non magis vides quæ Rabbini imponunt, quàm in nostra vulgata, aut etiam Hebræa phrasi, vt versiones conferenti patebit.

Vndecim⁹. Deuter. 4.

Duodecimus est cap. 17. vers. 3. post, *Deos alienos*, additum fuisse aiunt, quos non præcepi eis, quod tamen non legimus alio modo, quàm in ipso textu Hebræo אֲשֶׁר לֹא צִוִּיתִי aser so tsiuithi, ἃ οὐ προσέταξα.

Duodecimus. Deut. 17.

Denique

Denique 13. locus est in eodem Deut. cap. 14. v. 7. vbi pro, *lepore*, qui Græcè λαγὼς dicitur, verterunt 70. δασύποδα, pilosum pedib⁹, quod sanè admodum ridiculum est, quandoquidem δασύπους, æquè leporem ac λαγὼς significat, vnde & eodem modo habent Leuit. 11. vers. 6. & in vtróque loco Hebræus legit הָאַרְנֶבֶת haarnebeth, quod fit à radice רנב ranab, quæ tam leporem, quàm cuniculum significat. At de his hactenus; de 70. plura apud Castrum in Apolog. videri possunt, quorum si ἀρχέτυπα, seu autographa, perierunt in Serapei conflagratione, vt censet Lipsius cap. 2. de Bibliothecis, non tamen ἔκτυπα, seu apographa, vnde enim textum illum habuissent patres.

Deut. 14. Leuit 11.

Accubans inter terminos.

ISSACHAR ergo fortis, vt asinus dicitur, qui sit osseus, vnde fortes homines magna ossa habere dicuntur, sunt enim pars firmissima corporis, & Hebræi dicunt fortem, ossibus valentem; quosdam verò aiunt exponere de asino valdè macro, vt qui solùm ossa residua ferat, alios etiam de asino fracto, seu exossato, qui sit imposterum oneribus, atque sarcinis ineptus, sed vulgata editio præponenda est. Subiungitur autem verbum, quod est proprium animalium quadrupedum רָבַץ robets iacuit, seu decubuit; sed tota difficultas in dictione הַמִּשְׁפְּתַיִם hammisphetaim sita esse videtur, Oleaster ità vertit, cubans inter duos ordines; 70. requiescẽs inter medios cleros, paraphras. Chald. possessio eius erit inter terminos. Oleaster notat Ezech. 40. verti vncinos, quibus carnes suspendi solent: vbi vulgata habet *labia eorum*, Pagninus, *vncini ferrei*, 70. & palæstem habebunt gisum dolatum καὶ παλαιστὴς ἕξουσι κυμάτιον, &c, S. Hieron. ex 70. & χεῖλος palmi (hoc enim valet palæste) habentes dolatum. Pro giso autem, inquit Caraffa, quod verbum se scire, vnde sit D. Hieron. negat, ait Symmachum, & Theodot. dixisse χεῖλος labium, Aquilam verò in prima editione ἐπιθέσεις, in secunda labia. Paraph. Chald. Et vncini egrediebantur longitudine vnius palmi. Miror D. Hieron. qui in hoc versic. 43. ait 70. habere χεῖλος, nos enim legimus παλαιστὴς, sed alia à nostris exemplaria habere potuit.

Quomodo Hebræi fortem hominem exprimant. Magna difficultas ob translationes diuersas. Oleaster. LXX. Ezech. 40. Quid sit dictio המפתים & quomodo vocatur. D. Hieron. Symmach. Theodot. Aquila. Chald. Tempore D. Hieron. 70. aliter quàm nunc legisse.

Dignum est autem, quòd notetur ad eundem versiculum LXX. de suo posuisse, & in mensis desuper tecta, vt operiantur à pluuia, & siccitate, vbi D. Hieron. iuxta Hebræum tantùm habet, super mensas autem carnes oblationis.

Nota.

Alij hanc dictionem Sephataim vertunt sortes, acies, ollas, ordines, seu sarcinas ordinatas. Chaldæus psalm. 67. שְׁפַתַּיִם vertit קִלְקְלְתָא Kilkelatha aulæa. Fœlix habet chytropodes. Caietanus confinia; hunc autem sensum elicit Oleaster. Issachar permisit se tributis onerari, vt quiesceret, non curauit tributa multa sibi imposita soluere, modò quiescere posset. Alij verò sic, hæc tribus adeò fortis erit, vt etiam in periculis maximis nũmquam defectura sit; Alij Issachar habitaturum inter prouincias, vnde affatim habere possit, quæ sibi necessaria erunt, quandoquidem in circuitu suo habuit Zabulon, Nephtalim, Aser, Ephraim, &c. quò 70. respexisse videntur, cùm interpretati sunt ἀναμέσον τῶν κλήρων; & quidem potuit hæc tribus vt tranquilliùs degeret, nec bellis continuis attereretur pendere tributum, quales hoc sæculo videas, qui cùm fœcundam patriam, agrósque vberes habeant, quibusdam se tributis submittere mallent, vt à militum cohortibus, & belli incommodis liberi essent.

Psalm. 67. Fœlix. Caietanus. Oleaster. *Variæ explicationes huius versiculi 14.* LXX.

Denique hanc dictionem hammisphetaim vertit Pagninus, Iudic. 5. vers. 16. sicut & Vatablus caulas, 70. ἀναμέσον τῶν μοσφαθαίμ. i. inter medium digomiæ, vbi Caraffa hæc habet, videtur dictum, quasi in medio duorum ponderum, quod Latino prouerbio dicitur, sedentes in duabus sellis. Alij, ἵνα τί μοι κάθησαι, Complut. κάθησθε) ἀναμέσον τῶν μοσφαθαίμ, vt quid mihi sedes (al. sedetis) inter ordines aut terminos (vt vulgata) duos. Theodoretus & ipse videtur habuisse dictionem Hebræam, nam ita inquit; μοσφαὶ autem exponuntur agri ἀγροί. At probabile est Misphetaim esse nomen alicuius loci proprium, quo hæreditas Issachar terminaretur, cum 70. Interpret. idem nomen μοσφαθαίμ retinuerint. Targum explicat per עוּנְקְלִין honkelim, idest vncinos ferreos, columnis affixos, & parietibus ad suspendendum, & excoriandum in illis oblationes, cum quo R. Salomon idem sentit. R. Dauid in libro radicum de sustentaculis, seu chystropodibus ollarum intelligit: est autem in duali, ac si per illud ea ferrea lignifera diceremus, quæ dicimus *Chenets*, vel *Landiers*, idque fortè, quod regio quælibet 2. saltem terminos habeat; locum autem Iudic. Mercerus explicat intra septa, & clathra; alij intra cremathras; cùm autem שָׁפַת saphat sit radix, quæ ponere, & ordinare significat, superest vt vulgata versio omnium optima iudicetur, quandoquidem termini nihil aliud sint, quàm constitutiones, & positiones, seu ordinationes quædam, ob quas hi talem regionem his circumscriptam limitibus, illi aliam obtinent, atque possident.

Pagninus. Vatablus. Caraffa. Complut. Theodor. Targum. R. Salomõ. R. Dauid. Mercerus. שפת radix. Vulgata versio est omnium optima.

D. Ambros. versionem 70. secutus ait Issachar Christum referre, qui bonum concupiuit, & elegit Isai. 7. vt sciat reprobare malum, & eligere bonum; medij termini sunt 2. testamenta, Prophetæ, & Apostoli, quorum in medio quieuit.

D. Ambros. Esai 7.

VERSICVLVS DECIMVS-QVINTVS.

Vidit requiem, quòd esset bona, & terram, quòd esset pulchra, & inclinauit humerum suum ad portandum, & fuit tributo seruiens.

QVADRAT Hebræus nobiscum: at paraphrasis contrarium sensum efficere videtur, sic enim habet. Et vidit partem suam, quòd esset bona, & terram quia fructifera, & subijciet prouincias populorum, & disperdet habitatores earum, & qui relicti fuerint in eis, erunt ei seruientes, & tributarij. Vbi verò habemus, *fuit tributo seruiens*, 70. legunt ἀνὴρ γεωργὸς vir agricola; sed parum interest, siquidem plurimi ex ijs, qui tributa pendent, agriculturæ vacant. Hic autem versus rationem reddere videtur, quamobrem Issacharitæ sese intra confinia sua continuerint, quia vi-

Chaldæus.

delicet terram feracissimam haberent, quapropter omnium munifices esse maluerunt, quam sago, cingulóque cingi, vt vectigalium immunitate fruerentur; & quidem bello pax maximè præferenda est, vt finis medijs: nec enim sola studia, atque Musæ, verùm etiam omnes virtutes inter arma silent, atque pereunt: neminem autem mouere debet, quòd ab Hebræo Chaldæus dissideat. Nec enim paraphrastem tueri debemus, sed relinquere & contemnere, quando nostræ vulgatæ, vel etiam Hebræo, aut 70. contrarius est.

Notandum est circa dictiones מְנֻחָה Menuchah esse à נוּחַ Noach, requieuit, vnde Noë, cessauit, &c. hinc נוּחַ Nouach quies, & מָנוֹחַ Manoach, Noach significat etiam castrametauit, & sedit; hinc etiam fit נִיחֹחַ Nicoach thymiama, quod recreat hominem: in eo verò quies reponi solet, quod gratum est, atque recreat. Vbi habemus & inclinauit, Hebræus legit וַיֵּט vaiet, à radice נָטָה nata, expandit, distendit, deflexit, & inclinauit: vnde baculus מַטֶּה Mate, virga quæ extenditur. Vide Num. 17. vbi 12. baculi à cunctis principibus familiarum sumpti sunt, cum baculus Aaron primò פָּרַח perach flores, postea צִיץ tsitsf protrusionem fructuum: denique שְׁקֵדִים sikerim amygdalas protulit: idem nomen id omne significat, quo homo fulcitur, sumitúrq; pro tribu, & familia, quod tribus nomen in baculo scriberetur, vt loco cit. & Ios. 20. vers. 10. nam pro *de baculo Manasse*, Targum legit, de tribu. Denique מַטֶּה sumitur pro lecto cubiculari, loculo, phereetro, sic enim Gen. 47. sumi diximus, dum Iacob sese orantis instar ad lectuli caput composuit; quomodo Dauid 3. Reg. 1. v. 47. adorabat super lecto מִמִּשְׁכָּב hammiscab.

מטה quid significet.

Num. 17.

Quid baculus Aarõ protulerit.

Iosue 20.

Genes. 47.

3. Reg. 1.

Inclinauit ergo, seu extendit tribus Issachar humerum suum שְׁכֶם sequem, à שָׁכַם manicauit, venit, manè surrexit: sumitur etiam pro parte simpliciter, vt Gen. 48. v. 22. dedi tibi humerum vnum, שְׁכֶם partem, Targum חוּלָק, estque nomen proprium vrbis in monte Ephraim in valle inter Garizim, & Ebal, in qua Iosephi ossa sepulta sunt Ios. 24. fuitque vrbs Leuitarum. Ios. 21. & refugij 20. deleta ab Abimelech Iudic. 9. restaurata per Ieroboam 3. Reg. 12. dicta ζυχάρ, Ios. 4. deinde Neapolis, à cuius australi porta fons Iacob lapidis iactu distabat; adde quòd Iustini Martyris patria dicatur. Videre mihi videor Issacharitas hîc baiulos appellari, quod est proprium eorum, qui vel lapides, vel quodlibet aliud de loco in locum transferunt: מֵבִל Sebal enim id significat, & ita rectè iumenti metaphoram prosequitur: vehebant enim mercaturas ad loca mari vicina; quibus viri verè pij designantur, qui velut iumentum coram Domino fiunt, & omnis laboris patientissimi sunt; hinc סֵבֶל onus à סבל intricatus fuit, & siboleth, spica, quod Rabbini societátem conuiuarum exprimunt; quod tametsi à שִׁבֹּלֶת sola pronuntiatione nonnulli differre putent, falluntur, nam & litera prima discriminatur. Hoc autem nomine Ephratæi, qui litteram ש proferre non poterant, deprehensi sunt, Iudic. 12. Idem etiam frumenti spicam significat, sic enim Genes. 41. spicæ per illud exprimuntur, quos Pharao in somnis viderat. Quidam nouatores, vt Oederanus, inde concludunt puncta semper fuisse, alioquin ש sine vllo puncto eadem penitus ratione proferendum esse videtur ac ס, & tamen patet ex Ephratæis alio modo ש nempe cum puncto in cornu dextro proferri debuisse, verùm illud minimè sequitur, vel enim Iephte, aut Galaaditæ potuerunt præscribere aliquam pro libito pronuntiationem Ephratææ dissimilem, vt si non striderent pronuntiando schibolet, necarentur, vel iam dictio illa pronuntiari cum stridore apud Galaaditas, leniùs verò apud Ephratæos solebat, quod sufficere potuit, vt 42. millia in Iordane iugularent. At de punctis Hebraicis fusiùs alibi.

De vrbe Sicar.

Ios. 24.

Ios. 20 & 21.

Iudic. 9.

3. Reg. 12.

Ioh. 4.

סבלת & שבלת quomodo differant.

Iudic. 12.

Genes. 41.

Præterea noster Issachar tributis seruit; vbi obserua מס vectigal, seu tributum esse, à radice מָסַס masas, soluit, liquefecit, putrefecit. Abulensis alium sensum innuit, nempe eos, qui vectigalibus in frumento, vel vino tenebantur, ad Issacharitas venisse, vt ibi fructus necessarios emerent, quod fortè posset aperire viam, qua Chaldæum intelligeremus, nempe Issachar sibi subiecisse prouincias, quia hæ cùm necessariò ad Issacharitas ob frugum vbertatem accederent, in frumenti, vini, & cæterorum deportatione vectigal aliquod soluere tenerentur, siue pro exitu, siue propter ingressum alicuius vrbis in tribu Issachar sitæ, quod in Gallia solemne est; & hac ratione simul vectigal penderent, eisque solueretur, nec enim hæc duo repugnant. Restat vltimum verbum עֹבֵד hobed seruiens, ab עָבַד seruiuit adorando, & venerando, religiosè coluit, vel opera, & officijs laborando subiectus fuit, vnde עָבִיד habid religiosus, seu monachus, & monialis, עֲבִידָה; seruus autem עֶבֶד seu mancipium, & agricola, quomodo 70. verterunt. Notat Valentinus in dictionario cultum Angelorum, seu idololatriam 4. contineri, altari, suffitorio, incuruatione, seu adoratione, & libatione; verùm de dictionibus, & benedictione Issachar satis supérque dictum sit, quapropter ad Dan progrediamur, si tamen priùs notauerimus Issachar dici à שָׂכַר sacar; est autem duplex sacar, vnum quod habet punctum in cornu dextro, significátque furijt, ebrius est, sitim expleuit, vnde שָׁכַר οἰνοφλυγία, seu potus omnis inebrians; aliud quod habet punctum in sinistro, à quo Issachar oritur, tunc verò idem est, ac mercatus est, emit, locauit, &c. vnde mercenarius, seu miles שָׂכִיר. Conducebantur autem mercenarij ad 3. annos, vt patet Deut. 15. vers. 18. vbi dicitur aliquis duplam mercedem mercenarij, nempe per 6. annos seruijsse: si verò post 3. annos seruitutem non excussissent, subula confodiebantur, fiebántque subulati; de his tribus annis videatur Esaias c. 16. v. 14. Hinc igitur שָׂכָר sacar, merces, & præmium. Vnde cùm Lia Gen. 30. dixerit, *dedit Deus*, שְׂכָרִי secari, *mercedem meam*, 70. verterunt ἐσάχαρ ὁ θεὸς μισθός, quod est merces. Pagnin. notat in totis biblijs non esse vocabulum aliud, in quo ita ש abundet.

Idololatria Angelorum 4. cõtineri.

Deut. 15.

Mercenarij quomodo conducerẽtur. & subularentur.

Esai. 16.

PROBLEMA

PROBLEMA CCXCV.

1. *Versiculus* 16. 2. 3.

QVR scriptum est, Dan iudicabit populum suum, sicut & aliæ tribus. Sit coluber in via, & cerastes in semita? An dictum est, quòd iudicabit, quia totus erat (vt Zohar sentit) à latere sinistro, quod Hebræi Din vocant, vnde regnum, & iudicium? An quia cura illius fuit colligere castra, & solicitare, ne quis post terga relictus disperderetur? Nam filij Dan in castris semper nouissimi proficiscebantur An propter Sansonem id dictum est, qui de tribu Dan existens, populum viginti annis iudicauit, vt in libro Iudicum legimus? Serpens autem, & cerastes in via, dictus est propter idolum, quod Ieroboham collocauit in Dan super via, quæ ducit Ierusalem, vt in tertio Regum volumine habetur. Quod quidem idolum velut serpens mordebat & retrahebat populum à vero Dei cultu. Et id in tantam populi pernitiem fuit, vt Iahacob spiritu Dei præmonitus, dixerit, Salutare tuum expectabo Domine, quo videlicet populus meus ab hoc maximo scandalo liberatur.

Gen. 49.

Zohar. Din.

Num. 2.

Iudic. 15.

3. Reg. 12.

SÆPIVS ostendi satis quantum mihi latus illud dextrum, atque sinistrum displiceat, cuius iterum Venetus in hoc problem. meminisse videtur: cætera ex dicendis patebunt: Prophetia verò de Dan versiculis 16. 17. & 18. continetur, quæ vix alia indiget explicatione, quam paraphrasi Chald. quæ sic habet. De domo Dan eligetur, & consurget vir, in diebus eius liberabitur populus suus, & in annis eius requiescent simul tribus Israël. Erit vir, qui consurget, & eligetur de domo Dan, cuius timor irrüet super populos, & percutiet fortiter Philisthæos; quasi coluber aspis insidiabitur iuxta semitam, interficiet robustos in castris Philisthinorũ equites cum peditibus, eneruabit equos, & quadrigas, & deijciet ascensores eorum retrorsum. Salutare tuum expectabo Domine, dixit pater noster Iacob. Non expecto salutare Gedeon filij Ioas, qui est salus temporalis, neque salutare Sanson filij Manue, quæ est salus transitoria, sed expecto redemptionem Christi filij Dauid, qui venturus est ad accersendum sibi filios Israël, cuius redemptionem desiderat animà mea: idémque habet Thargum Hierosolymitanum à Fagio relatum. Attamen difficultates nonnullæ occurrunt, quæ facili negotio in textus examine dissolui poterunt.

Chaldæus.

Thargum.

VERSICVLVS DECIMVS-SEXTVS.

Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus in Israël.

VVLGATÆ congruit Hebræus, & Græcus contextus, in quibus tamen legimus vna; & non alia. Initio versiculi fit allusio in nomine דָּן cũ verbo דִּין Iadin, Dan iudicabit, à radice דין don, idest ius dixit, litigauit, rexit: vnde iudex דַּיָּן, decanus; & doun, siue din iudicium; Reus autem filius דִּינָא Dina, iudicij dicitur. Hincque סַנְהֶדְרִין sanedrion, nempe iudicij domus, & consistorium; erat autem iudicij domus duplex, vna dicebatur Synedrium minus, quod in qualibet vrbe Israëlitarum erat, atque 23. sapientibus constabat, & in porta ciuitatis collocabatur, de qua fit sermo Ruth. 4. vers. 1. quod si 120. viri non adessent in vrbe, in ea synedrion non erat, sed 3. iudices; in vtróque verò soli Sacerdotes, Leuitæ, & Israëlitæ Nobiles, Sapientes, & diuites admittebantur, & 70. linguarum periti. Alia domus 71. viris constabat, dicebaturque synedrium maius, siue concilium descendens ex 72. senioribus Mosi iunctis, quod tantum Hierosolymis erat, vbi ius dicere poterat, constabatque senioribus Israëlitis sapientia, & fortitudine præditis: vnde colliges triplici modo iustitiam apud Iudæos administratam fuisse: primo enim Triumuiri de דִּינֵי מָמוֹנוֹת dine mamonoth, idest causis pecuniarijs, minimisque furtis, & priuatis iniurijs cognoscebant, & ideo Synedrium minimum, seu minima domus iudicij Triumuiratus ille nuncupari posset. Secundò Synedrium, minus videlicet de causis grauioribus, vtpote capitalibus דִּינֵי נְפָשׁוֹת dine nephasoth agnoscebat.

Ruth 4.

Triplex mod' apud Iudæos iustitiam administrãdi.

Synedria quot fuerunt

1.

2.

Erant autẽ 4. genera mortis apud Hebræos, quæ hisce verbis exprimuntur, וְחֶנֶק הֲרֶג שְׂרֵיפָה סְקִילָה vechenek, hereg, seriphah, & sekilah, idest suffocatio, seu strangulatio, decollatio, combustio, & lapidatio; & quidem sekila (quod oritur à סָקַל sacal, idest lapidibus obruit) afficiebantur illi, de quibus Leuit. 20. ita Ioh. 8. adultera. Placet autem referre, quinam lapidari deberent: primò concumbẽs cum matre. 2. cum vxore patris. 3. cum nuru. 4. cum puella desponsata. 5. cum masculo. 6. cum iumento. 7. succuba, quæ iumento succubuisset. 8. blasphemus. 9. idololatra. 10. dãs de semine suo ipsi Moloch. 11. habens Pythonem. 12. hariolus. 13. prophanans sabbathum. 14. maledicens patri suo, aut matri. 15. incitans ad idololatriam. 17. præstigiator. 18 filius proteruus, & rebellis.

4. genera mortis apud Hebræos.

Leuit. 20.

Ioh. 8.

Octodecim genera personarũ lapidibus obruebãtur.

Combustione verò decem personarum genera solebant affici. 1. filia sacerdotis adultera. 2. concumbens cum filia sua. 3. cum filia filiæ suæ. 4. cum filia filij sui. 5. cum filia vxoris suæ. 6. cum filio filij sui. 7. cum socru sua. 9. cum matre socrus suæ. 10. cum matre soceri sui, viuente adhuc vxore sua. Decollabantur homicidæ, & ad idololatriam deficientes, siue gladio, siue securi; vbi caput trunco imponebatur. Denique strangulabantur. 6. hominum genera. 1. percutiens patrem, & matrem. 2.

Decẽ personarũ genera comburebãtur.

Quinã decollarẽtur. Sex hominum generastrãgulari solebant.

qui furaretur animam de Israël. 3. senex contradicens consistorio. 4. pseudopropheta, & idoli nomine prophetizans. 5. rem habens cum vxore alterius. 6. traducens filiam sacerdotis, & subagitans eam, attamen צְלִיבָה tseliba, crucifixio sub Romanis, qui viuos in crucem agebant, strangulationi successit; hac autem ratione se gerebant, dum aliquem suffocarent, primò eum in fimum vsque ad genua immergebant, deinde collum eius linteo duro inuoluebatur, quod vnus huc, alter illuc trahebat, donec efflaret animam, quod genus supplicij leuius habebant, semperque ab Hebræis intelligitur, vbi supplicij genus non exprimitur, quæ omnia Valentinus ex Thalmud desumpsit, & confirmat ex Thargum in 1. Ruth, vbi sic habetur: Nobis sunt 4. iudicia mortis pro reis, obruitio lapidis, & combustio ignis, & occisio gladij, & crucifixio ligni.

Crucifixio successit strangulationi.
Quomodo Iudæi reos strangularent.
Thargum.

3. Vltimum Synedrium, seu maius de grauissimis causis agebat, vt de tribu integra, summo sacerdote, aut pseudopropheta. Quod annotasse proficiet ad illustrationem illius loci D. Matthæi cap. 5. reus erit cõcilio; & hinc etiam fit מְדִינִי medini prouincialis, ciuilis, nam Medina ciuitas est, eáque metropolis, seu prouincia ipsa, quamuis villam significet.

Math. 5. מדיני

Dan ergo iudicabit, qui est filius Iacob ex Rachele Gen. 30. vnde vna tribuum profecta est, est etiam vrbs Iudic. 18. idque Phœnicum, ad radices Libani sita, terminus 10. tribuum, seu terræ sanctæ versus septentrionem, vnde legimus, *à Dan vsque Bersabee*; in qua sculptile, siue statuam à Micha cultam instituerunt; in qua similiter vitulum aureum Ieroboam collocauit: ibi sepultus dicitur Iddo Propheta, super cuius tumulo terebinthus fuit; ferunt etiam Abraham ibidem in monte per partes transijsse, & ex antro propinquo Iordanem prodire, vt veluti יְאֹר דָּן ier Dan, fluuius Dan, aut יוֹרֵד מִדָּן descendens ex Dan appelletur. Paneas verò, vel Cæsarea Paneæ, & Philippi vrbs eadem dicitur. Denique Madianitis inde nomen fecêre, quos Esai. 10. Ismaëlitas Moses vocat. Antequam verò hæc vrbs Dan appellaretur, dicta fuit Lais, quam astu captam Iudic. 8. Danitæ Dan vocarunt.

Gen. 30. Iudic. 18.
Iordanus vnde. דן
Paneas quid, Esai. 10.
Iudic. 8.

Restat nonnulla difficultas, in his verbis, *iudicabit sicut & alia tribus*, vbi tam 70. quàm Hebræus, legunt, *sicut & vna*, כְּאַחַד keachad, ὡσεὶ καὶ μία. Et quidem si iudices triumuiros (de quibus antea) intellexerimus, dubium non est, quin vnaquæque tribus, imo verò & vrbs huiusmodi iudices habuerit; at cum intelligi videatur de iudice, qui populum Israël regeret, atque protegeret, qualis fuit primus Iosue de tribu Ephraim num. 14. & 15. non ita certum est, an aliquis iudex ex singulis tribubus aliquando fuerit. Secundus iudex, fuit de tribu Iuda Calebi frater minor Othoniel Iosue. 14. & 15. Aiod verò de tribu Benjamin fuisse dicitur, de quo Iudic. 3. Delbora de tribu Ephraim, quandoquidem in illa terra, in monte Ephraim, Iudic. 4. Gedeon verò de tribu Manasse, Iudic. 6. sicut & eius filius Abimelech, Iudic. 9. & cap. 10. Thola de tribu Issachar fuit: vbi etiam Iair de tribu Manasse vltra Iordanem in monte Galaad habitante iudicasse legitur. Abesan de tribu Iuda fuit, cùm 12. Iudic. de Bethlehem esse dicatur, Bethlehem verò Mich. 6. & Math. 2. est de sorte Iuda. Ibidem sequitur Abdon de terra Zabulon, & c. 13. Sanson de hac tribu, de qua textus noster loquitur: ex tribu verò Ruben, Simeon, Gar, & Aser nullos iudices fuisse credunt, nam Iephte & Barach de quibus nonnulla fortè suspicio esse posset, ex Nephtali, & Manasse oriundos asserunt. Istos autem iudices variè nuncupatos scimus, nam Sigonius 7. de Rep. Hebr. c. 2. Critas ob condemnationem, Dicastas verò propter absolutionem vocatos fuisse ait; quatenus autem consulunt, dici possunt Consules, maximè cùm Quintil. l. 1. c. 6. testetur consulere sumi pro iudicare. Insuper & Suffetes dixerunt, qualis erat summus apud Pœnos magistratus, teste Liuio decad. 3. l. 8. quod parum abest ab Hebræo Sophetim, & apud Senecam in eadem significatione Suphes legitur epist. 112. Denique reges dici possent, cum inter quintuplicem regis acceptionem, quam Arist. habet 1. polit. c. 2. prima & quarta eis congruat: illos Tertul. in Scorpiaco censores vocat, & ipsa Scriptura 2. Esdr. 9. saluatores; mitto nomina Græca, quibus eos Ioseph. & alij vocant, ἄρχοντες ἡγεμόνες, στρατηγοί, μόναρχοι, αὐτοκράτορες, &c.

Iosue iudex ex qua tribu. Num. 14. & 15.
Othoniel iudex vnde. Ios. 14. & 15.
Aiod iudex. Iudic. 3.
Delbora. Iudic. 4.
Gedeon. Iudic. 6.
Abimelech. Iudic. 9. & 10.
Thola. Iair.
Abesan. Iudic. 12.
Mich. 6. Math. 2.
Abdon. Sanson. Simeon. Gar. Aser.
Quomodo vocati sint iudices.
Varia nomina iudicum.
Quintilianus. Liuius. Seneca.
Aristot. 1. polit.
2. Esdr. 9.

Solent autem recenseri 14. vel qui verè iudices fuerint, vel quasi iudices, Othoniel, Aod, Samgar, Delbora, Barak, Gedeon, Abimelech, Thola, Iair, Iephte, Abesan, Elon, Habdon, & Samson, tametsi 12. vel etiam pauciores à quibusdam enumerentur, statim autem videbimus, quisnam iudex ex illa tribu Dan exierit.

14. iudices recensentur.

VERSICVLVS DECIMVS-SEPTIMVS.

Erit Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.

PARVM absunt textus Græcus, & Hebraicus à vulgata, vel nihil; quapropter ad sensum accedamus. Dan hîc referre videtur tribum ipsam, quæ suos hostes deuictura sit, vel Samson, qui serpentis instar Philisthæis formidabilis fuit, eósque repentina clade obruit; mitto quâ technâ segetes illorum exusserit, & quoties illos deceperit, vnde & Deut. 33. Dan vocat catulum leonis. Alij sensum ad Antichristum deflectunt, quem cùm Iacob è tribu Dan nasciturum præuiderit, atque clades, quas tribui Dan, & cæteris illaturus esset, velut exterritus, & animo conturbatus ad spem, atque fidem de saluatore nostro sese conuertit, à quo nos liberatos iri crederet; quod sua probabilitate nõ caret, tametsi enim Abulen. & Oleaster vt fabulam rideant ortum Antichristi ex Dan, magna tamen patrum cohors id admittit, tametsi nihil certi de ortu Antichristi ex tribu Dan concludi possit, vt patet ex tanto authorum etiam eiusdem instituti dissidio, etenim si Viegas, Pererius, Sa, Mariana, in Apoc. arbitrantur inde futurũ Antichristum, contrarium existimare videtur Alcasar c. 7. Apocal.

Deut. 33. De Antichristo.
Cõtrouersiæ interpretum.
Apoc. 7.

versu

versu 8. notat 4. vbi contendit non posse inferri neque ex hoc capite, neque ex Ierem. 8. 16. neque ex Apoc. 7. ex tribu Dan Antichristum oriturum esse; quibus addit hanc opinionem in aliqua allegoria fundatam esse, eodem ferè modo, quo Baronius notauit de virgine per D. Georgium ab immani dracone liberata iuxta vulgi opinionem; idemque de gigantea S. Christophori statura iudicium esto; quomodo ex allegorijs, & allusionibus sæpissimè nasci solent opiniones de rebus, ac si reuera transactæ essent; sic enim ex eo quod per Nabuchodonosorem Antichristum significari credunt aliqui, Babyloni, Nabuchodonosoris instar nasciturum esse concludunt. Minus adhuc probabile est, quòd alij ex 11. ad Rom. vers. 26. inferunt, videlicet in fine mundi neminem ex illa tribu Euangelicæ veritati obsecuturum. Verùm ad alia pergamus.

Ierem 8.
Vnde procedat historiæ abusus.
11. ad Rom.

Dan igitur erit coluber in via, cerastésque in semita; quod in idem ferè recidit, vbi post dictionum examen ad cerastem accedendum erit. נָחָשׁ nachas serpens, seu coluber, & draco, cum duobus patah diuinationem significat, נַחַשׁ nacas enim idem est ac ominatus fuit, inquisiuit, expertus est. Vnde & נְחֹשֶׁת nechoseth, quod æs seu cuprum significat, imo & chalybem, vinculum, seu compedes ex ære, & Ezech. 16. vers. 35. sumitur pro muliebri pudendo, vbi tamen Septuaginta verterunt χάλκον æs.

נחש quid.
Ezech. 16.

Cerastes autem, quem cum iaculo de quo Plin. l. 8. c. 23. Buxtorfius eundem facit, à שָׁפַף saphah dicitur, vel à שָׁפָה, quòd instar iaculi præceps ab excelso loco feratur; hinc fit שְׁפִיפֹן sephiphon, quod hîc habemus.

Plinius. Buxtorfius. שפה.

Serpentem hunc cornutum faciunt quadrigemina cornua ferentem, hinc insulæ Arabiæ prope Syrenem in fine Æthiopiæ, teste Plin. l. 5. c. 9. Cerastes appellabantur, quòd promontorijs occurrerent, non secus atque infestis cornibus visui; qua de re Cyprus insula Cerastes etiam dicta est, quum Cerastei homines cornibus insignes habitasse feruntur: omnia quoque cornuta cerastea dici possunt; cornua verò à craneo vocantur, κράνεα, quòd de substantia cranei oriantur; Ceratina etiam argumenta Quintiliano argumenta cornuta, & intricata nimis appellantur, quia vtróque veluti cornu feriunt. Cætera, quæ cornea, vel cerastea vocantur, omitto, cùm & ipsa cera inde nuncupetur, quòd primùm apes in cornu nidificauerint.

Plin.
Cerastes qualis sit.
Insulæ Cerastes.
Cornua vnde dicta.
Ceratina argumenta quæ.
Cera vnde dicta.

Est autem Cerastes serpens cubitalis magnitudinis, asperus corpore, colore cinericius, cornuum instar duas eminentias habet in capite; cuius vertebram secundam à natura absconditam fuisse aiunt, vtpote philtris, & amatorijs vtilissimam: sese abscondit in semitis, & rotarum orbitis sola cornua ostendens, vt tam alites, quàm bestias pastibus fictis enecet; quin etiam femellæ in mares irruunt, eósque iugulant, ac veneno inficiunt; intra dies 9. percussi obeunt. Nicander autem symptomata describit, quæ venenum Cerastis consequuntur, vt & Ægineta l. 5. c. 19. Inguina namque pruriunt, & dolore vexantur, inualidantur crura, lumbi flagrant incendio; locus morsu tactus pustulis intumescit, manat è vulnere sanies, totum corpus varicum modo attollitur, genitale arrigitur velut in summa satyriasi, mens alienatur, oculi obscurantur, denique conuulsione, aut tetano pereunt vertigine correpti, vt apud Auicenn. l. 4. Fen. 6. tract. 3. c. 27. Aëtium tetrabibl. 4. ser. 1. c. 28. Ælianum l. 1. c. 56. Dioscor. l. 6. c. 53. & 51. Plin. Gesner. & alios videre est. Mirum est quod refert Ælianus suprà Cerastas in Lybia cunctos veneno suo præter Psillos, & Marsos infestare, qui aduocati etiam eos, qui morsi sunt ab omni veneno, atque dolore liberant: cæteris verò serpentibus, & phalangijs Cerastæ hostes habentur, quos veneno, atque viru suo diris cruciatibus afficiunt: nec meliùs se sobolem legitimã à notha probare Marsi, Psillique putant; quàm si conijciant filios in vas Cerastis plenum: legitimi enim minimè læduntur, vt de Atir hi versus testantur:

Cerastes cũ suis proprietatibus describitur.
Nicander.
Ægineta.
Auicen. Aëtius.
Ælianus. Dioscor.
Proprietates Psillorũ, & Marsorum.

Nec non serpentes diro exarmare veneno
Doctus Atir, somnóque graui sopire Chelidros,
Ac dubiam admotam sobolem explorare Cerastæ.

Quem Plutarchus, Gellius l. 16. c. 11 Crinitus l. 1. c. 3. dolosum appellarunt; vide Galenum de theriaca ad Pisonem c. 4. Hic autem serpens vngues, seu calcaneum equorum, cæterorúmque animalium pedes præsertim odit, & impetit, quia his calcari solet. Calces odit, inquit Aëtius, petit vngulas, & crura adoritur, iuxta pœnam serpenti Gen. 3. impositam, Insidiaberis calcaneo eius. Vnde Moses Deuter. 33. posuit in benedictione Aser, Ferrum, & æs calcaneum eius. Ne offendat illum Cerastes ferro pedes Aser Deus muniri voluit, & oleo tingi, quod fugiunt serpentes, eo namque facilè commoriuntur, Aristot. teste. Tanta vis est huius veneni, vt equo læso statim ad equitem vsque permeet, & nutantem efficiat, adeout arma de manibus stupefactis sine sensu cadant, vt suprà de Murro milite Lucanus cecinit, qui veneno basilisci fuerat infectus:

Gellius. Crinitus. Galenus.
Aëtius. Gen. 3.
Deut. 33.
Aristot.
Lucanus.

Quid prodest miseri basiliscus cuspide Murri?
Transactus velox currit per tela venenum,
Inuaditque manum, quam protinus ille retecto
Ense ferit, totóque simul remittit ab armo,
Exemplar sui expectans miserabile lethi.

Sed omnia superat, quòd Cerastæ venenum omnibus modis enecet, siue vesti solùm, siue stapedi (quod Mercurialis tract. de venenis tetigit, sed venenum tacuit) calctis, epistolis, vel reliquis rebus, quas contingimus, aut quibus contingimur, applicueris. Quia verò fortissimus est equus, à quo calcari possit, eum præ cæteris odit apud Arist. 8. de hist. animal. c. 24. & 3. de part. c. 2. Quosdam autem Cerastas crinitos dorso, hirsutósque capillis, & setis docet Statius in Thebaide l. 11. & 4.

De Cerastæ veneno.
Aristot.
Statius.

Crinalem attollit longo stridore Cerastem,
Ora & anhelantes tuto Phlegetonte Cerastas.

Superest vt modum præscribamus, quo venenum istud arceri potest, nulla vt prodamus mala, quibus non adhibeatur remedium, idque tam ex author. citat. quàm ex Agatharcide l. 1. polyhistor. Callia l. 10. historiæ, quam de Syracusano Agathocle conscripsit, & Gillio l. 9. c. 9. qui de Marsis & Psillis hæc habent. Subueniunt ægrotis primò permultam aquam hauriẽdo, & os suum colluendo, quam in poculum reiectam vulnerato exsorbendam tradunt. Secundò si venenum inualescit, ægrotanti nudo nudus Psillus accumbit, & incuruatur, & ad mensuram læsorum sese reducit, ac proprio suo corpore morbi vim frangit, & hominem pristinæ sanitati reuocat. Tertiò pars icta statim abscindi, aut scalpro circuncidi debet. Quartò vrentia admouentur teste Dioscor. l. 9. cap. 10. Auic. & alijs, apud quos cætera facilè legi poterunt.

Agatharcides. Callias. Gillius.
4. præstanda sunt vt quis à morsu Cerastis sanetur.
Dioscorid.

Quibus præmissis inuestigãdum est, cur Cerastæ

Quid significet Dan.

Dan comparatus fuerit, qui vi nominis iudicium significat; ad quod alludens Rachel, cùm Dan filium quintum Iacob ex Bala suscepisset, genitis prius ex Lia sorore Ruben, Simeon, Leui, & Iuda, exclamauit Gen. 30. Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam dans mihi filium, & idcirco appellauit nomen eius Dan, quasi successerit ei ex voto, & propria animi sententia. Dan verò intelligitur etiam de tribu integra, & de certa prouincia, seu loco terræ; sic enim Gen. 14. sumitur, cùm Abraham reges Ponti fratrem Lot captiuum ducentes, 318. vernaculis suis ad se conuocatis, in loco Dan oppugnauit, vt in loco fauorabilis iudicij vincerent vsque ad Hoba: quod explicant de amore Dei, cuius gratia fratrem liberauit. Est etiã nomen ciuitatis in tribu Iuda Iosue 15. vide c. 20. Iudic. l. 1. Reg. c. 3. & l. 2. c. 3. & 24. Iosue 19. Lesem appellatur Dan, sicut Iudic. 18. Lais, & Laisa. Dan verò noster colubro, & cerastæ similis est in fortitudine, & prudentia, atque solertia, in qua cùm plurimum rationis lumen requiratur, Iosue 19. in assignatione partium terræ promissionis, tribui Dan ciuitas solis Semes concessa est. In extrema semita Cerastes abscondit se, Dan verò velut in orbita reclusa inter Iopen, & Arecon Iosue 19. Lessenos debellat, quos sæpius postea momordit, & veluti dentibus compressit, Iosue 21. Dan catulum Leonis Moses Deuter. 33. vocauit, quia sicut catulus leonis antequam inuadat prædam, matrem quam sequatur, expectat, ita & Dan sequitur tribum Gad, quæ semper præcedebat, vt patet ex 34. Deut. ideóq; c. 33. dicitur quasi leo requieuisse; cùm enim Gad natu minor esset, inseruiebat Dan, viam illi præparando. Taceo fontem esse Dan, vnde Iordanus dictus est; taceo Sansonem esse de tribu Dan. Iudic. 14. quem veluti paruum solem, vel solem eius dictum ait Busthamant. l. 1. de animantibus script. cap. 17. quocirca locum hunc Genes. de Sansone explicat; cùm enim Iacob hîc annuntiet Dan iudicaturum, ipse Sanson 20. annis iudicauit in Israël Iudic. 15. quod etiam de Christo potest intelligi. quem Sanson præfigurauit: videatur Busthamant. suprà, qui permulta de Sansone tropologicè, & historicè refert, & de Christo allegoricè. Caput 18. quærit, an possimus ex isto loco Antichristum inferre cum D. Ambros. cap. 7. de benedict. Iren. lib. 5. cap. 30. Augustin. quæst. 22. in Iosue. Theodoret. quæst. 109. in Genes. Gregor. 31. moral. cap. 18. & alijs: sicut & ex c. 8. Hierem. A Dan auditus est fremitus equorum, &c. & Apoc. 7. Vbi nullus signatus ex Dan enumeratur, cùm tamen ex cæteris 12. millia signati referantur. Respondet autem non inde sequi: imò potiùs ex tribu Ruben Antichristum oriri debere; cùm maledicta fuerit, tribus verò Dan benedicta, vel etiam de tribu Leui, & Simeon, quæ maledicta est. Nec obstat Apocalypsis, cùm ibidem habeatur numerum signatorum fuisse 144. millia ex omni tribu filiorum Israël: ac proinde nulla tribus excipitur: Dan verò non est expressa nominatim, quia iudicium significat, adeout totum tempus futurum vsque ad iudicium comprehendatur, pro quo numerum iustorum enumerare noluit. Adde quòd tribus Ephraim etiam omissa est, neque tamen inde concluditur Antichristum ex ea nasciturum; facit etiam quod 144. millia per 12. diuisa reddant 12. millia pro qualiber tribu.

Gen 30. Gen. 14. Ios 15. Iudic. 20. 1. Reg. 3. 2. Reg. 3. & 4 Ios 19. Iudic 8. Ios. 21. Deut 33. Deut. 33. & 34. Iudic. 14. Busthamãt. Iudic. 15. Ambros. Iren. August. Theodor. Gregor. Ierem. 8. Apoc. 17. Antichristus è qua tribu oriũdus.

Profectò non est parua difficultas in tribubus, quæ præsertim 4. in locis enumerantur, videlicet hîc, Deuteronom. 33. vbi Moses iam moriturus eisdem benedixit Ezech. 48 & Apoc. 7. At in Genesi Manasses & Ephraim non habentur, quamuis eos tribuum capita Iacob, Gen. 38. constituisset. Deuter. 33 Simeon reticetur. Ezech. 48. Ioseph omittitur, cuius loco Manasses, & Ephraim apponuntur cum Leui: denique in Apocal. Dan & Ephraim silentio obuoluuntur. Attamen cùm Ephraim, & Manasses Iacob adoptiui filij essent, non autem naturales, & legitimi, sub nomine, tribúque patris Ioseph continentur; ideóque Gen. 49. solos filios naturales legitimos affert, cum quibus illi 2. Iosephi filij positi 14. tribus efficiunt. In Deuteronom. Simeon reticetur, quia eadem cum Leui benedictione in Genes. continetur. Similiter quia filij Ephraim, & Manasses in Ezechiele positi sunt, pater Ioseph minimè legitur. Denique in Apocalypsi non habemus Ephraim, cùm Ioseph scribatur, quia sub eo comprehenditur. Adde quòd Ephraim crescentem denotat, sicut Dan iudicium, vnde numerus illius vsque ad iudicium vltimum reseruatur: significat etiam 10. tribus simul coniunctas, quæ defecerunt à Iuda, & subditæ fuêre Ieroboam Ephratæo 3. Reg. c. 11. cùm tribus sola Iuda primùm: deinde Beniamin Roboam Salomonis filium subsecuta sit; adde etiam Ieroboam in Dan ciuitate 2. idola vitulorum auri constituisse; nec tamen ideo dicendum est eam Antichristi sedem futurã, cùm & cæteræ tribus Exod. 32. vitulum aureum Ægyptiorum instar adorauerint; Manasses tamen in Apoc. legitur, fortè, quia obliuionem designat, vt patet Genes. 41. vt significetur iustis nil laboris superesse: Idcirco autem Leui relinquitur tribus, quòd possessionibus careret, & inter alias tribus vagaretur. Ad patres denique respondet eos non sine dubio, sed ad summum probabiliter locutos, cum Antichristum inde nasciturum esse dixerunt. Cap. 19. & 20. de Cerasta tropologicè, historicè, & mysticè habent, quæ cum fructu legi possint. Quæ sequuntur in textu, *Salutare tuum expectabo Domine*, fortè proprijs annotationibus explicanda, si quando textum eundem aggrediamur.

Deut. 33. Ezech. 48. Apoc. 7. Gen 38. Deut. 33. Cur non omnes tribus commemorentur, vbi enumerantur in Scriptura. 3. Reg. 11. Exod. 32.

PROBLEMA CCXCVI.

1. 2. *Versiculus 19.*

CVR Gad præliari dicitur accinctus etiam retrorsum, vel vsque ad calcaneum? An quia latrunculus, & prædator fuit, vt aliqui nulla ratione suffulti asserunt? An id dictum est propter etymologiam nominis, quod ei Lea imposuit? Sicut reliquis fratribus nomina cum mysterio à matribus imposita fuerunt. Habito enim hoc filio à viro per ancillam, dixit Leo. Eufortunium. Pro quo communis editio habet fœliciter. Hic ergo vocatus fuit Gad, idest bona fortuna. Et fortunatior fuisset (teste Zohar) si ex vxore, & domina natus fuisset. Fortunatus tamen extitit

Gen. 30. Zohar.

extitit in omni prælio. Hinc dicitur armatus vsque ad calcaneum, non vtique armis ferreis, sed cælesti influxu. Propterea Moses ipsum benedicens ait. Benedictus in latitudine Gad: in brachio videlicet, & vertice, vt ipse prosequitur. Iahacob verò dixit, vsque ad calcaneum.

VEREOR ne Venetus ad Sephirothinum influxum collimet, dum facit Gad influxu cœlesti armatum; nec mihi placet illa diuinatio de magis fortunato, si ex domina natus fuisset, id enim diuinare est: adde quòd fortunæ nomen cautè vsurpandum est, quandoquidem fortuna nulla est, qualem antiqui gentiles describebant, sed quicquid in fortunam illi refundebant, id nos vni diuini numinis prouidentiæ vel operatrici, vel permissiuæ acceptum ferimus. Cætera vel intelligentur, vel emendabuntur, quæ in problemate continentur sequentis versiculi beneficio vnde problema istud desumptum est.

VERSICVLVS DECIMVS-NONVS.

Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.

IVRE tribus Gadena accincta dicitur, quandoquidem impauida, & fortissima fuit, vt leo, qui vno quasi ictu ex sua præda caput, humeros, & totum corpus abrumpit, & deuorat; adde quòd illa, priusquàm aliæ tribus, suam sortem obtinuit, nempe Og & Sehon in terra regum Amorrhæorum, in qua fuit Mosis sepulchrum prope Nebo cis Iordanem. Itaque bellicosam fore tribum, hostésque bello superaturam Iacob prædicit, vt bene Procopius animaduertit, & satis in benedictione Mosis continetur, quę Iacobi benedictionem confirmat 33. Deut. v. 20. Et Gad. *Benedictus in latitudine Gad: quasi Leo requieuit, cepitque brachium & verticem. Et vidit principatum suum, quòd in parte sua doctor esset repositus, qui fuit cum principibus populi, & fecit iustitias Domini & iudicium suum cum Israël.* Quantum verò eruditi fuerint in prælijs aperit caput 5. l. 1. Paral. v. 18. & deinceps, vbi legimus Agareos, seu Arabes ab illis deuictos esse.

Deuter. 33. 1. Paral. c. 5.

Has Gaditarum victorias præuidisse videtur Lia, quando in natiuitate filij Gad, dixit *fœliciter*; etenim id contigit, quod Mosi promiserant Num. 32. v. 17. *Nos autem ipsi armati, & accincti pergemus ad prælium ante filios Israël, donec introducamus eos ad loca sua.* Quorum magnanimitatem cùm Moses spectasset, iussit Eleazaro, & Aaroni vt illis Galaad in possessionem traderent. In Hebræo autem præclaram allusionem habemus גד גדוד gad guedoud. Gad autem significat irruptionem, & excursationem, sicut & Martem, & excursorem; gedoud verò turmam collectam ex milite leuis armaturæ, prædonem, latronem, bellum, &c. à גדד gadad, idest turmatim irrumpere. Gad igitur à multitudine dictum esse videtur, ob numerosam sobolem; ita tamen vt turma siue exercitus aduersus Gaditas pugnaturus sit, quamuis illa tribus in fine superatura sit, vt in sequenti versus particula explicari videtur; *& ipse accingetur retrorsum.*

Numer. 32. גד גדודים quid significent.

Hebræus habet עקב hakeb, quod calcem, & calcaneum, seu pedis vestigium significat. Cùm autem planta sit finis, seu extremitas animalis, finem, & mercedem laborum denotat. 70. verterunt κατὰ πόδας, iuxta pedes. Ex quibus hunc sensum elicere possumus, Gad turma adorietur eum, seu turmabit eum, sed ipse adorietur in calcaneo. Paraphrastes Chaldaic. sic habet. Castra armatorum de domo Gad transibunt Iordanem ad prelium coram fratribus suis, & cum multa substantia reuertentur in terram suam. Igitur tribus hæc pugnatura est, imo & superatura Ammonitas, Moabitas, & Syros, postquam ab illis excursiones plurimas passa fuerit. Sensus tamen apertus esse videtur iuxta vulgatam editionem. Gad velut miles paratissimus magna fortitudine filios Israël præibit, eos custodiet, & vicissim à tergo custodietur ab illis; primúsque incedet, & velut antesignanus obuios hostes propulsabit. Hæc autem ad Ecclesiam allegoricè referre possumus, quæ diebus singulis ab hæreticis, magis, & atheis impetitur, donec omnes superarit; tropologicè verò ad vnumquémque nostrum, quibus, etiam si mille cladibus attritis, Deus in fine aderit, si ei ex corde obsecuti fuerimus.

PROBLEMA CCXCVII.

1. 2. *Versiculus 20.* 3.

QVR Asser dicitur pinguis panis præbens delitias regibus? An quia sors eius fuit in terra fertili? An quia natus octauo loco fuit, numero quidem iustitiæ, & fœlicitatis distributiuo? Hinc & signo Libræ respondet, vt alibi diximus. Quo etiam numero consonantia diapasonica omnium suauissima continetur. Hinc regibus & inferioribus delitias, & suauitates præbebat. An (vt Zohar asserit) Asser qui beatitudinem significat, denotat mundum futurum, vbi habetur panis ille de cælo descendens, de quo scriptum est, Hic est panis, qui de cœlo descendit? Qui quidem panis præbebit delitias regibus, idest ijs, qui se bene rexerint.

Zohar. Ioh. 6.

MOSES circa hanc benedictionem aliquid clariùs exprimit Deuteron. 33. v. 30. dum ait. *Aser quoque ait, Benedictus in filijs Aser, sit placens fratribus suis. & tingat in oleo pedem suum. Ferrum,*

Deut. 33.

& æs calceamenta tua, & ſicut dies tui fortitudo tua, &c. in quibus plurima Deus pollicetur, nempe tantam oliuitatem fore, vt trapeta non ſufficiant ad oleum exprimendum; totque fodinas, vt de metallis calceos conficere, iiſdémque ad quoſlibet vſus abuti poſſint. Vatablus hîc Hebraiſmum annotat, vt idem ſit, *quicquid calcaueris, erit ferrum & æs*, ac in regione tua erunt fodinæ ferri, & æris. Verùm ad textum è quo problema deſumptum eſt accedamus.

VERSICVLVS VIGESIMVS.

Aſer pinguis panis eius, & præbebit delitias regibus.

CONTINETVR hoc verſiculo Prophetia de ſorte futura Aſer pinguiſſima; vbi ſub pane victus omnis neceſſarius intelligi debet, imo & omnes cibi, quibus reges ipſi paſcantur. Hebræus habet מֵאָשֵׁר שְׁמֵנָה לַחְמוֹ Meaſer Semena Lacmo, ideſt. De Aſer pinguis panis eius. Vbi dictio *Semena* eſt feminini generis, refértque ארץ, ideſt terram; vt ſignificet in terra, & ſorte Aſer futuros eſſe cibos optimos, & optimi frumenti feracitatem, vt alieno ſubſidio non indigeat, imo & eiuſmodi cibos regibus mittere valeat, quia exquiſitiſſimi erunt: vnde prima ratio Veneti textui conformis eſt. Secunda verò non ita placet; quamuis enim patres octonarium numerum extollant ob myſteria, quæ per illum deſignari poſſunt, non inde ſequitur Aſer vi ordinis octaui, quem in natiuitate ſeruauit, hanc ſortem habiturum. Quòd autem ait numerum octonarium iuſtitiæ dicari, Pythagoricos ſequitur, qui dum viderent 8. primum omnium in numeros pariter pares ita diuidi, nempe in duos quaternarios, vt rurſum ipſa diuiſio in alios quoque numeros pariter pares, ideſt bis binos quilibet quaternarius diſſolueretur: deinde qua æqualitate reſoluitur, eadem etiam componi, nam bis duo bis octonarium conſtituunt, vt fiat cubus omni ex parte æqualis ex trino radicis ductu, & primo binario, longitudo; ſecundo latitudo; tertio denique, latitudo ſignificetur, eapropter hócce numero iuſtitiam denotabant, quippe quæ eſt æqualis pro cuiúſque meritis diſtributio. Hinc Orpheus per 8. numina iurabat, cùm diuini numinis iuſtitiam obteſtaretur, & in Ægyptia columna iuſtitiæ ſymbolo Deos 8. inſcribebant: Ioui etiam Deúmque matri Cybelæ, & Baccho dicarunt cubũ hunc, quod octauo menſe natus ſit, & octimeſtres in inſula Naxo ei dicata vitales ſint. Rurſus ait eſſe numerum fœlicitatis, hoc enim ſenſu multi pro octaua pſalmi inſcribũtur. Qui plura de octonario voluerit, legat S. Hilar. præfat. comment. in pſal. & in pſal. 118. Ambr. epiſt. 39. & Aug. de ſermone Domini in monte. Semper verò cauendum eſt à Veneto, ne cum eo exiſtimemus vim aliquam ineſſe numeris, cùm poſteriùs duntaxat aſſumantur, vt res ipſæ faciliùs explicentur, hinc enim numerum numerantem appellamus. Eſt autem ridiculum quod ait cum Aſtrologis, eundem octonarium ♎ conuenire, ſicut & alios numeros alijs ſyderibus, vt alibi retulimus, niſi quatenus libra iuſtitiam refert; & tunc par eſto, ſicut de præcedentibus iudicium.

Poteſt etiam Diapaſon hoc numero demonſtrari, ſunt enim in illa perfectiſſima conſonantia 8. phtongi, ſeu voces, quas Græci ſuis vocalibus ſignificare ſolebant; & iam Galli, atque Latini ſuis literis exprimunt F. G. A. B. C. D. E. F, vel ſimilibus. At Guido Aretinus voces quaſdam ab hymno Eccleſiaſtico, quem in die natali S. Ioannis Baptiſtæ canit Eccleſia, ſeparauit, quibus iam omnes in muſica practica vtuntur, nempe *vt, re, mi, fa, ſol, la*; quæ quamuis ſint tantùm numero ſex, attamen ſæpius repeti poſſunt, atque repetitæ noua loca tenent, nouáſque voces generant. Hymnus autem prædictus ita ſe habet:

1 2 3 4 5
Vt queant laxis reſonare fibris
6 7 8 9
Mira geſtorum famuli tuorum,
10 11 12 13
Solue polluti labij reatum
14 15
Sancte Ioannes.

Vbi vides primam dictionem nobis primam vocem Muſicæ ſuggerere *vt*; ſecundam verò *re*, à prima ſyllaba quartæ dictionis ſumimus; vocem tertiam *mi*, à ſexta dictione; quartam *fa* largitur dictio 8. decima quintam habet nempe *ſol*: tãdem duodecima ſuggerit ſextam vocem *la*. Quomodo autem hæ voces repetantur, donec ad diapaſon vſque, ſeu octauam perueniamus faciliùs eſt, quàm vt hîc referre debeamus. Vnicum exemplum affero, in quo ſumitur initium à voce *re*; & ſic ab 1. ad 8. aſcendimus dicentes *re, mi, fa, ſol, la, fa, ſol, la*. Deinde deſcendimus ab



8. vſque ad vnitatem canentes *la, ſol, fa, mi, ſol, fa, mi, re*. Græci certis dictionibus vtebantur, quibus ſua tetrachorda conſtituebant, de quibus egimus cap. 4. Gen. in verſic 21. Ex quibus patet, quónam octonario diapaſon contineatur, non tonorum, vt quidam aharmonici, & ignari putant, ſed vocum, ſeu phtongorum: enimuerò in octaua ſeu diapaſon ſunt tantùm quinque toni, & duo ſemitonia maiora, vt patet ex eius partibus, diapente tonos 3. & ſemitonium habente, & diateſſaron 2. tonos, & ſemitonium continente, ex quibus ſimul conſtitutis, velut ex forma, & materia diapaſon componitur.

Tertia ratio Veneti anagogica eſt, ſurſum enim ad patriam cœleſtem euehit; id non reprehendo ſi priùs literalis ſenſus retineatur. Quòd ſi quis multos alios ſenſus addere velit, per me licet, dummodo ad maiorem Dei gloriam aliquid facere poſſint. Et quidem ſi ab Aſer Chriſtum Dominum præſignificatum fuiſſe dixerimus, rectè in eo Muſicæ pulchritudinem, & panis pinguedinem oſtendemus, vt enim diapente pars eſt totius diapaſon præcipua, ita diuinitas, ſeu diuina natura eſt princeps in Chriſto, humanitas verò ancilla, & minus præcipua. Chriſtus eſt panis vitæ in Euchariſtia, quem & reges, & cæteri homines Catholici comedunt.

PROBLEMA

PROBLEMA CCXCVIII.

1. NEPHTALIM cur dicitur ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis? Nonne ceruus eſt animal ſemper & totum mundum, ſemperque Deo gratum, vt ex Deut. Deut. 21.
Verſiculus 21. colligimus? Vnde Nephtalim dictus eſt ceruus, quia eius tribus habuit ſortem in planitie Galilææ, vbi ſemper primi fructus colligebantur, offerendi tanquam primitiæ Deo gratiſſimæ. Quæ quidem primitiæ offerrentur cum laude: ideo ſequitur, Dans eloquia pulchritudinis, Deo videlicet. Ioſ. 19.

IN ſua prima ratione cõcludit ceruum Deo gratum eſſe; quod cautè intellige, nec enim eo modo gratus eſt, quo homo, qui Deo ita gratus eſt, ac amicus amico, adeout ad gloriam æternam euehendus ſit, ſed tantùm prout reliquæ creaturæ, quæ cùm bonæ ſint, non poſſunt non eſſe gratæ Deo. Quas autem poſſeſſiones, ciuitates, & viculos Nephtalitæ obtinuerint, docet Ioſue c. 19. (Ioſue 19.) à verſic. 32. ad 40. vbi habes Nephtalim eſſe partem Galileæ. Venetus in ſua explicatione metaphoram illam ſequitur, qua terra Nephtalim in maturandis frugibus velociſſimo cerui curſui comparatur, vt primitiæ illæ veluti præcoces eſſent, & ſimul pulcherrimæ. Quæ omnia magis ex 21. verſic. conſtabunt.

VERSICVLVS VIGESIMVS-PRIMVS.

Nephtali ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis.

LXX Interpret. PAVLÒ aliter habent Septuaginta Νεφθαλὶ στέλεχος ἀνιμένον ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος, hoc eſt, Nephtali truncus remiſſus porrigens in germine pulchritudinem; quibus Chaldæus fauet. (Chaldæ.) Nephtali in terra optima cadet ſors eius, & poſſeſſio eius erit faciens fructus. Hebræus autem legit אַיָּלָה cerua. Video maiorem partem interpretum ad c. 4. Iudicum recurrere, vbi victoria Barac (4. Iudic.) Nephtalitæ deſcribitur, adeout Iacob promptitudinem, atque celeritatem huiuſce tribus cum cerua à venatore dimiſſa conferat; non quòd temerè bella ſuſceptura ſit, & ferociſſima futura, nam pacis, & concordiæ ſermonibus vtetur, ſed quia ſtatim atque bellum concluſerit in hoſtes erupturà eſt. Qui verò Septuaginta Interpretes ſequuntur, ſumunt metaphoram à ridicis, quibus vineæ ſtatuminantur: hos enim cantherios, quibus palmites fulciuntur, aliqui ceruos appellant, vt Virgil. & Tibull. vel potiùs à capreolis ipſis, qui tam celeriter creſcunt, & luxuriant, vt eorum inſtar tribus illa creſcere videatur. Aiala hîc fœminino genere ponitur apud Hebr. qui ceruum ita efferunt; cùm enim ſit nomen ſpeciei, eſt communis generis licet maſculino genere Pſal. 41. exprimatur כְּאַיָּל ſicut ceruus, à radice איל, vel אל robur. (איל) Sunt qui conijciant 70. legiſſe אֵלָה ela, ideſt arborem. Quicquid ſit, extrema verba benedictionis alludere videntur ad illud canticum, quod Iudic. 5. poſt victoriam Debora, & Barac cecinerunt. Alij propter dictionem שְׁלֻחָה ſelucha à radice שָׁלַח, (שלח quid ſignificet.) tranſlationem à ſagittis arcu miſſis deſumunt, quia verbum illud celeritatem in prorumpendo ſignificat; quod ex alia ſignificatione confirmatur, nam vim inferre, & occidere ſignificat, quod in victoria Barac aduerſus Siſaram euenit: hinc fit שֶׁלַח miſſile, ſeu telum; verùm hæc coniectura non ita valida eſt, quandoquidem verbum שָׁלַח plura alia ſignificat, præſertim verò propagines, quæ ex arboribus emittuntur, vt patet ex eo quòd שֶׁלַח ſelach viridarium denotat; vbi arbores ramos in omnem partem extendunt. Vnde nonnulli tribum hanc ceruæ comparant, quæ alicui principi mittitur, quid enim pulchrius, quàm hinnulus ceruorum ſaliens in montibus, tranſiliens colles iuxta c. 2. Cantic. vt intelligamus fructum, & fruges quæ in poſſeſſione huiuſce tribus ſuccreſcent, fore pulcherrima?

Hæc fertilitas Deut. 33. confirmatur: Nephtali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini. Ioſephus verò tam fertilitatem, (Deut. 33.) quàm arma Galilæorum fusè laudat c. 2. l. 3. de bello Iudaico. (Ioſephus.) Nam & pugnaces ſunt ab infantia Galilæi, (& per conſequens Nephtalitæ, cùm illam prouinciam incolant) & omni tempore plurimi, neque aut formido vnquam viros, aut eorum penuria regiones illas occupauit. Sunt tamen qui Nephtalim cum ceruo potiùs, quàm cum leone collatum aiunt ob pauorem Barac, qui minimè auſus eſt ſine prophetide comite aduerſus Siſaram procedere, licet alij recuſationem illam religioni, non timori adiudicent: pergit Ioſephus. (Laudes Galilæorum.) Quoniam totæ optimæ ac fertiles ſunt, omniúmque generum arboribus conſitæ, vt etiã minimè agriculturæ ſtudioſos vbertate ſua prouocent: denique excultæ ſunt ab incolis totæ, nec pars vlla earum otioſa eſt; quin & ciuitates ibi crebræ ſunt, & vbique multitudo vicorum propter opulentiam populoſa, vt qui ſit minimus, ſupra quindecim millia colonorum habeat, &c.

Iam verò pauca delibanda ſunt pro ſenſu myſtico: itaque per allegoriam id ad Chriſtum referunt, nam in tribu illa diu verſatus eſt, ibi enim eſt mare Genezareth, & è deſerto in Galilæam egreſſus eſt, Luc. 4. Quàm pulchra autem fuerint eloquia Luc. 4. Chriſti, quis in dubium reuocat, ſi Pſaltem audiat intonantem, *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis?* Nephtalim à quibuſdam eloquia pulchritudinis dare dicitur; non tantùm prout facundus eſt, ſed quatenus facit res præclaras laude dignas; cùm enim ſe gerit heroicè, dignus eſt quem cæteri pulcherrimis epinicijs extollant.

Si quis ſenſum moralem poſtulet poterit animam iuſtam cum ceruo conferre, qui inter alia ſerpentes ex antris educit, vnde ἔλαφος ab ἐλαύνειν τοὺς ὄφεις appellatur, eductos necat, & ad aquas ἔλαφος. currit, vt ſe veneno purget, teſte Ariſtot. 6. de hiſt. Ariſtot. anim. c. 29. videatur D. Auguſt. in Pſal. 41. & 35. vbi Auguſtin. hunc ſenſum optimè, & fusè deducit.

S

PROBLEMA CCXCIX.

1. *Versiculus 22.* CVR Ioseph dictus fuit filius accrescens, & aspectu decorus? An accrescens di-
ctus est iuxta nominis rei consequentis significatum? Nam auctus est in duas
tribus, Manassem videlicet, & Ephraim, quarum vna pro tribu Leuitica in
sacrorum administratione occupata, & inter omnes tribus, vt supra dictũ est,
dispersa supplebat. An quia fuit augmentum familiæ Israëliticæ in omnibus
2. in vita actiua acquisitis? An quia citò, ac valde creuit dignitate, & honore in
3. Ægypto? Decorus autem aspectu fuit, gerens præ alijs (vt Zohar ait) effigiem patris ac ma- Zohar.
tris suæ pulcherrimæ Rachelis. Tanta enim pulchritudine præditus fuit, vt si quà transiret, Deut. 22.
mulieres ascenderent tecta domorum, muris (vt in Deuteronomio legimus) vallata, vt inde ipsum iuuenem pulcherrimum transeuntem aspicerent. Hinc Iahacob dixit, Filiæ discurrerunt super murum. An (vt litteræ veritas habet) bis dicitur בן פרת ben porat, idest filius pulcher, quia pulcher erat corpore, sed pulchrior mente? An porat, idest crescens vtróque augmento, temporali videlicet ac spirituali?

MIROR quòd Index Hispanus non iusserit in vltima ratione Veneti addi, *Hebraicæ*, vbi dicitur, *vt literæ veritas habet*, nam literæ nostræ veritas habet, *filius accrescens*; habet autem 5. rationes huiusce problematis, quas meliùs intelligemus, vbi pro more versic. hunc explicauerimus.

VERSICVLVS VIGESIMVS-SECVNDVS.

Filius accrescens Ioseph, filius accrescẽs, & decorus aspectu; filiæ discurrerũt super murum.

SVNT qui vertant; ramus fœcundus, secus fontem, duobus ramis suis procedit vltra murum; ac si Iacob filium suum cum ramo bifido conferret, quia ex eo duæ tribus manarunt Ephraim, & Manasses, essétque Ioseph arbor pulcherrima geminam ex se propaginẽ efferens, quæ perenni fonte rigaretur, iuxta Psal. 1. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.* Vbi nota בן ben quidem filium propriè significare, ita tamẽ vt ad quodlibet aliud traduci possit, quod ab alio emittitur, sic enim iaculum pharetræ filius, ramus, seu surculus filius arboris dicitur. Operæpretium est textum Hebræum simul & Græcum afferre ob difficultates quæ hîc insurgunt. [Psal. 1.]

בֵּן פֹּרָת יוֹסֵף בֵּן פֹּרָת עֲלֵי עָיִן בָּנוֹת צָעֲדָה עֲלֵי שׁוּר

Ben porat Ioseph, ben porat hale haijn banoth tsahadah hale sour.

υἱός ηὐξημένος ἰωσήφ, υἱός ηὐξημένος ζηλωτός. υἱός μȣ νεώτερος πρός με ἀνάςρεψον.

HOC est, filius auctus Ioseph, filius auctus desiderabilis, filius meus iunior ad me reuertere. Vbi primò nascitur difficultas, quomodo 70. cum Hebræo, & nostra editione conueniant, nam vbi legimus, *filiæ discurrerunt super murum*, Græcus habet, filius meus iunior ad me reuertere. Delrio fatetur se ex hac salebra emergere nõ posse. Si quis dixerit 70. legisse עָלַי סוּר, vt י, quod sequitur על sit pronominis primæ personæ nota, & sour reuerti significet, facilè reperies, cur ita verterint: quibus fauet D. Ambros. c. 11. de benedict. patriarch. [Magna difficultas.] [עלי סור] [Ambros.]

Qui Hebraicè se scire putant, malunt vertere filium fructificationis, vel fructiferæ, supple vitis, iuxta fontem, quàm vulgatam sequi. Sed parum interesse videtur siue ramum, siue filium dixeris, cùm filius sit veluti patris ramus, & ramus arboris, eiusdem filius. Deinde עַיִן haijn fontem, oculum, delectationem, & splendorem significat; ac si polliceretur Iacob filio eum prole magis proflicaturum, quàm fontẽ, tametsi per riuulos varios emissum: בֵּן coniungitur cum פרת, quod est fœminini generis, in cuius extremo ת loco ה positum fuit, ac si respiciamus ad matrem Iosephi; quæ Gen. 30. v. 24. dixit, *Addat mihi Dominus filium alterum.* Sanè puto repetitionẽ istam duas tribus denotare, quarum vna Manasses duas sortes obtinuerit, quæ propterea veluti gemina fuit: altera Ephraim, quæ reliquis tribubus numerosior fuit, vt ex ipso nomine constat, Ephraim enim à פרה idest fructificare, ducit originem. [עין] [Gen. 30.] [פרה]

Fauet Chaldæus, qui sic habet, filius qui benedicetur, quasi vitis, quæ plantata est iuxta fontem aquarum: duæ tribus egredientur de filijs suis, suscipiéntque partem, & hæreditatem suam. Sequitur, *filiæ discurrerunt*, vbi banath significat etiã frondes, & palmites, seu ramos: pro *discurrerunt*, Hebræus in singulari habet, discurrit. Et quidem videre mihi videor filias Ægyptias huc illuc sollicitè discurrentes, vt mirabilem illam Iosephi inaugurationem viderent, quando triumphantis instar per vrbem regio curru vectus est, pręcone clamante, vt omnes ei genuflecterent. Denique idem est *decorus aspectu*, & accrescens super fontem, vel ad speciem, nam siue cum fonte illum conferas, siue aspectum illius extollas, id semper ostendit, quanta benedictione Deus eum affecerit, & eius posteros affecturus est. Hæc autẽ omnia quæ de Iosepho dicuntur, allegoricè de Christo intelligenda sunt, vt apud D. Ambr. videre est. An verò tecta domorum muris vallata Iosephi tempore siue Israëlitæ, siue Ægyptij facerent, vnde Venetus, vnde Zohar scire potuit? Post legem scriptam id faciendum fuisse patet ex 2. Deut. v. 8. *Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente.* [Iosephi triumphus] [Deut. 2.]

PROBLEMA

PROBLEMA CCC.

1. CVR de Ioseph scriptum est, Sedit in forti arcus eius? Nonne fortis fuit zelans
2. contra errorem fratrum, ipsorúmque insidias, & persecutiones sustinens? Nonne
quoque fortis & constans fuit contra illecebras, promissa, minas, & infestationes
3. vxoris Domini sui? Nonne etiam fortis fuit, quia dum toti Ægypto præesset, nun-
Versiculus 24. quam cæremonijs, vel idolis Ægyptiorum pollutus fuit? Et hoc quia (vt in textu sequitur) Deus patris eius, adiutor ipsius erat, qui eum multipliciter benedixit.

PROBLEMA CCCI.

QVIBVS benedictionibus donatus fuit Ioseph? Nonne multæ enarrantur in Genesi? Prima enim est cœli desuper, qua benedictus fuit & Iacob in rore cœli. Secunda abyssi, terræ videlicet, vel rerum inferiorum, vt nihil contra ipsum præualeret. Tertia, vberum & vuluæ, geniture videlicet carnalis. An vberum de quibus canitur, Dabo tibi vbera mea? Quæ quidem vbera (vt alibi dictum est) lac prophetis præbuerunt. Et רחם Rechem, idest pietatis, & non vuluæ. Vtrúmque enim Rechem significat. Nec enim est maior pietas, & amor, quàm cordis materni erga ea, quæ ex vulua sua prodeunt. Hinc per hanc adiurauit Zacharias, dicens, Per viscera misericordiæ, idest pietatis vel amoris Dei nostri, quibus visitauit nos. Quarta benedictio fuit illa, quam Iahacob habuit ab Izachar. Quinta fuit, quia benedictus fuit benedictionibus patrum, eius scilicet Izahac, & Abrahæ, qui (vt supra dictum est) factus fuit benedictio ipsa. Hinc dixit Iahacob. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius. Et (vt cum Zohar concludamus) per illud את & ante שדי Sadai, nulla constructionis necessitate positum totus influxus rerum supernarum innuitur exoratus à Iahacob super Ioseph. Nam ibi est prima, & vltima litera alphabeti. [Gen 27.] [Cantic. 7.] [Hîc 5. benedictiones Ioseph narrantur.] [Luc. 1.] [Gen. 49.] [Zohar.]

BENE habet problema trecentesimum, quod ex versic. 24. eruitur, qui 23. supponit. Quinam verò exasperauerint eum, & iurgati sint, atque inuiderint in problemate prædicto declaratur, nam fratres Iosephi, hera, dominus, & tumultuantes pre fame Ægyptij ad eum scopum collimare videbantur, vt eum perderent, qui constantiæ arcu instructus eorum conatibus restitit, & inuictus permansit, adeout dicere possimus, impauidum Iosephum ferient ruinæ.

Capite 37. v. 8. legimus, quomodo iurgati sint dicentes, nunquid rex noster eris, aut subijciemur tibi &c. iacula fuerunt verba mordacia, *iuxta psal.* 54. *molliti sunt sermones eorũ super oleum, & ipsi sunt iacula. & 56. linguæ eorum gladius acutus;* fratrum autem Iosephi verba inuidiæ, crudelitatisque plena figuræ erant eorum, quæ impij Iudæi vomuêre, *Tolle, tolle, crucifige eum*, vt bene D. Aug. in psal. 63. Hinc explicatus remanet versiculus 23. & partim 24. qui sequuntur. [Gen. 37.] [Psal. 54. & 56.] [Augustin.]

VERSICVLVS 23. & 24.

Vers. 23. *Sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuiderúntque illi habentes iacula.*

Vers. 24. *Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob, inde pastor egressus est lapis Israël.*

SEPTVAGINTA paulò aliter habent, sic enim legunt, εἰς ὃν διαβουλευόμενοι ἐλοιδόρουν. καὶ ἐνεῖχον αὐτῷ κύριοι τοξευμάτων, idest. In quem consulentes conuiciati sunt, & insidiati, sicut ei domini sagittationum: quam versionem Ambros. sequitur: vbi notandus est Hebraismus, nam pro *habentes iacula*, Hebræus legit בַּעֲלֵי חִצִּים bahale hitsim, domini iaculorum, idest qui excellunt calumniandi, atque mentiendi arte. Sic בעל baal in Scriptura dominum, vel excellentem significat, vnde ipse Iosephus somniorum בעל c. 37. Gen. appellatur. [Ambros.] [בעל quid.] [Gen. 37.]

Sequens versiculus præclarè Sapient. 10. declaratur v. 13. & 14. arcus autem, hoc est Iosephi robur, atque præsidium, iuxta id Zachar. 9. extendi mihi Iudam quasi arcum, qui arcus non est factus remissior ob calumnias, & aduersas sagittas, quæ in Iosephum immissæ sunt, nam patientia eius inconcussa permansit, quia nimirum conquieuit in forti, nempe Deo, cui nemo in fortitudine similis esse potest, vel vt alij malunt, in loco forti; nec quis malè coniecerit, si hanc existimet esse phrasim Hebræam, vt sciamus eum semper animi fortitudinem retinuisse. Hebræus habet איתן etan, quod & fortem, ac pertinacem, & ipsam fortitudinem, atq; vehementiam significat, à radice אתן, idest asinus. 70. verterunt. καὶ συνετρίβη μετὰ κράτους τὰ τόξα αὐτῶν, & contriti sunt cum fortitudine arcus eorum: pro vinculis νεῦρα; sed verbotenus, non sensu discrepant. Tunc verò soluta sunt Iosephi vincula, & nerui liberi fuerunt cùm brachiorum, tum ma- [Sap. 10.] [Zachar. 9.]

nuum, quando è carcere exiens non tantùm libertate donatus, sed aliorum liberator, atque seruator factus est. Quæ quidem omnia διὰ χεῖρα δυνάστου Ἰακώβ effecta sunt. אביר est vnum ex Dei nominibus, in quo Trinitatis mysterium Antonius Honcala quærit, nam ׳ non pertinet ad essentiam dictionis, ideóque 3. literæ radicales supersunt, quarum prima designat אב ab patrem, secunda בן ben filium, tertia, רוח rouach Spiritumsanctum, itaut ב sit in medio, sicut filius medius personarum, sitque proximus literæ primæ א, quia nostro concipiendi modo priùs à patre, quàm Spiritussanctus procedere videtur. Adde quòd ei ׳ coniungatur, quia ׳ Iesum ישע significare potest, vel humanam naturam, quæ soli verbo coniuncta est.

אביר eius mysteria. Trinitas in illa dictione.

Igitur Deus fortis Iosephum liberauit, *descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret ei sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant*. Sap. 10. Inde pastor egressus est lapis Israël; nam quamuis pastor esset, non tantùm Ægyptiorum, sed & gentis suæ firmamentum fuit, & veluti lapis refugij, vt Eccl. 49. legimus. *Ioseph qui natus est homo princeps fratrum, firmamentum gentis, stabilimentum populi, cuius etiam membra post mortem prophetarunt*, vers. 18. Hebræus habet, pastor siue pascens lapidem Israël, vt sit sensus, me patrem tuum pauisti, qui sum lapis, ac fundamentum Israël; vel inde ô Ioseph fili mi, cœpisti homines pascere, quando te Deus ad tantam dignitatem euexit. Septuaginta vertunt, ἐκεῖθεν ὁ κατισχύσας Ἰσραὴλ παρὰ θεοῦ τοῦ πατρός σου. idest inde corroborator Israël à Deo patre tuo, sed in idē recidit, nec scriptura est in solis verbis, sed magis in sensu. Sēsus autem allegoricus ad Christum perpetuò refertur, qui nos pascit, quantumuis inimicos. Quæ omnia clarè paraphrastes Chaldæus exprimit. Et coangustiauerunt eum, & vlti sunt in eum, & exasperauerunt eum viri fortissimi, viri dissentionum, & completa est in eis prophetia, eo quòd obseruauit legem in occulto, proposuitque constantem spem suam: tunc positum est aurum optimum super brachia eius: corroborauit, & confirmauit regnum eius, quod fuit ei datum à facie Dei fortissimi Iacob, cuius verbo gubernantur patres, & filij tribuum Israël. Quod ad 301. problema attinet, quinque benedictiones assignat, quarum prima tam Iacob, quàm Ioseph communis fuit. In secunda mihi videtur Georgius ad nugas Cabalisticas redire, cùm ait omnia inferiora hæc ex vi benedictionis paternæ nihil ei nocere posse; nec enim minus aduersus eum pluuiæ, frigus, calor, & cætera huiuscemodi incommoda, quàm aduersus alios poterant. Tertiam benedictionem statim examine probabimus; de quarta proprio loco: De quinta etiam mox agemus. Vbi sequentes versic. posuerimus.

Sap. 10.

Eccl. 49.

Paraphrastes Chaldæus.

Problema 301.

VERSICVLVS 25. & 26.

Vers. 25. *Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyßi iacentis deorsum, benedictionibus vberum & vuluæ.*

Vers. 26. *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collium æternorum; fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.*

MAXIMA Dei prouidentia, qua erga suos vtitur, hîc elucet; enimuerò Deus semper Israëlitis, idque maximè Iosepho adfuit, cui Iacob tanto desiderio, & affectu benedicit, vt Deum ipsum benedicentem proponat. Benedictiones autem cœli, pluuiam, niues, & cætera quæ inde procedunt, significant, ex quibus magna fructuum omniū vbertas profluit, sicut benedictiones abyssi eandem abundantiam denotant, adeout non tantùm cœli, verùm etiam terra, & fontes, qui velut ex abysso prorumpunt, & quæcumque alia ad Iosephum beandum concurrant. Septuaginta vertunt, καὶ ἐβοήθησέ σοι ὁ θεὸς ὁ ἐμὸς καὶ εὐλόγησέ σε εὐλογίαν οὐρανοῦ ἄνωθεν, καὶ εὐλογίαν γῆς ἐχούσης πάντα ἕνεκεν εὐλογίας μαστῶν καὶ μήτρας. Et adiuuit te Deus meus, & benedixit tibi benedictionem cæli desuper, & benedictionem terræ habentis omnia, propter benedictionem vberum, & vuluæ. Paraphrastes verò: Verbum Dei patris tui erit in adiutoriū tuum: & omnipotens benedicat tibi benedictionibus roris, qui descendit de cælo desuper; benedictionibus, quæ ascendunt de profundis terræ deorsum, benedictionibus patris tui, & matris tuæ. Vbi fusiùs explicantur, quæ textus breuiùs descripserat. Quidam non inconcinnè per vbera, cœlum intelligunt, ex quo velut ex vberibus pluuiæ defluant in terram, velut in matricem: hinc poëtæ omnia è cœlo atque terra velut ex viro, atque muliere progigni dixerunt; nec enim sine terra cœli, vel sine cœlis terra quidquam producere valet. רחם rechem verò vterum significat, à רחם racham, misertus est, vel dilexit, ac si miseratio è visceribus proficisceretur, estque velut aliqua euisceratio. Rectè etiam amor per vterum designatur, quia sicut vterus strictissimè fœtum, atque fœturam amplectitur, ita & affectu stringimus eum, quem misericordia prosequimur. Hinc fit, vt ipse Deus רחום dicatur, vt Psalm. 77. constat, vbi versic. 38. habetur והוא רחום *ipse autem est misericors*; qui versus est medius omnium versuum, qui sūt in psalterio: vbi possumus aduertere initio, medio, & fine psalmorum beatitudinem, misericordiam, & numinis diuini potestatem, atque dominium laudari. Vnde concludere licet, quid de tertia Veneti benedictione sentiendum sit. Quinta ex versic. 26. desumitur, vbi cauendum est à Rabinorum, seu Cabalistarum fabellis, quas sequitur ob dictionē monosyllabam את, quæ praeponitur שדי, quam nihil aliud significare ait præter omnes influxus superiores, quos existimat per alphabeti literas in vnumquémque diffundi posse, & reuera in Iosephum esse diffusos, ex eo quòd illa dictio primam, & vltimam alphabeti literam contineat; quasi verò literæ Hebraicæ quidam canales essent, per quos superni influxus descenderent.

LXX. Interpretes.

Paraphrastes.

רחם.

רחום. Psalm. 77.

Apagesis quicúmque maiorem vim in illis literis, nec

ris, aut maiorem cœlestium influxuum excipiendorum aptitudinem, quam in alijs constituis; si enim literis duplicibus, quas daghessatas nonnulli vocant, 7. planetas, & 12. reliquis, 12. signa Zodiaci tribuis, idem literis nostris latinis applicare poterimus, quandoquidem illud sine ratione efficitur: quamuis enim à planetis, & astris omnia, quæ hîc mouentur, velut à causis generalibus gubernentur, anima rationali excepta, quæ creatur à Deo, id de literis Hebraicis dici nequit, sine quibus non minus omnia fieri possent. Valeat ergo Burgonouensis Archangelus cum suis in Cabalistarum dogmata nugis, si plura literis illis tribuit, quàm nostris.

Cur obsecro non dixit ea falsa esse, postquam illa in medium produxit, cùm vnicuique aliquid Hebraicè scienti manifestum sit non ita dictiones Hebraicas compositas esse, vt tres literæ radicales elementum, planetam, & signum denotent, quæ ad rei compositionem, vel generationem concurrerunt: puncta ostendant, quónam vitæ genere prædicta res afficiatur; accentus denique superimpositi fontes supramundanos, & canales à denis numinibus emanantes; quem denarium cum 22. literis Alphabeti coniungunt, vt 32. sapientiæ semitas conficiant, in quibus mundum creatum fuisse cum suo fictitio libro Ietsiraceo garriunt. Miror quòd Archangelum non puduerit 10. afferre numina, neque tamen ea confutasse; tametsi enim Caballistica nugamenta quasdam Dei proprietates, & non diuersas deitates inferre videantur, ille loquendi mos pias aures offendit, nec à viro Catholico, qualis ille esse debuit, ea afferenda fuêre, nisi statim refelleret, aut saltem irrideret. Ideóque meritò inquisitores inter libros prohibitos recensuerunt istorum dogmatum explicationem. Vbi velim animaduertat quispiam nihil in Cabala sublime, nihil adeo reconditum, atque sanctum haberi, ac in fide, atque religione Catholica, in qua omnia cœlestia sunt, & ad infinitam Dei bonitatem redamandam, potentiam suspiciendam, gloriam propagandam, & reliqua diuini numinis attributa pro viribus laudanda, atque prædicanda collimant.

Archangelus meritò arguitur.

Versic. 26. explicatur.

Versic. 26. ita paraphrastes explicat. Benedictiones patris tui addentur super benedictiones, quibus benedixerunt me patres mei, quas optauerunt principes, qui à sæculo fuerunt; erunt omnes istæ benedictiones super caput Ioseph, & super virum, qui segregatus fuit à fratribus suis. 70. paulò aliter verterunt εὐλογίας πατρός σου καὶ μητρός σου. ὑπερίσχυσεν ὑπὲρ εὐλογίας ὀρέων μονίμων, καὶ ἐπ᾽ εὐλογίας θινῶν αἰωνίων, ἔσονται ἐπὶ κεφαλῆς Ἰωσὴφ καὶ ἐπὶ κορυφῆς ὧν ἡγήσατο ἀδελφῶν. i. Benedictionem patris tui, & matris tuæ, confortatus est super benedictiones montium stabilium, & in benedictionibus collium æternorum, erunt super caput Ioseph, & super verticem quibus præfuit fratrum. Textus Hebræus clarior esse videtur, quem Vatablus ita vertit. Benedictiones patris tui fortiores erunt benedictionibus primogenitorum meorum, vsque ad terminum collium perpetuorum erunt super caput Ioseph, & super verticem Nazaræi fratrum suorum. Vnde patet Iacobum efficaciorem benedictionem impartiri filio, quàm sibi ipsi data fuerit, adeout neque benedictio Isaac, neque ea, quam Iacob accepit, benedictioni Iosephi comparari debeat. Vbi vulgata habet, patrum eius, Hebræus legit הורי horai progenitorum meorum, à radice הרה hara concepit. 70. legisse videntur הרים harim, montium. Parum autem refert an תאות taauath, fiat à radice אוה. i. concupiscere, vel תאה terminus; quandoquidem Ioseph fuit patris sui desiderium, in quo sua omnia gaudia venerandus ille senex Iacob terminasse videtur: quanquam & hæc omnia referuntur ad Christum Dominum, qui est vertex, finis, & desiderium omnium iustorum.

Chaldæus.

LXX.

Hebræus.

הורי

תאות à qua radice.

Ex dictis elicimus magnas benedictiones Iosepho datas esse, ac velut omne bonorum genus super illius pluisse caput; dicitur autem Nazaræus, vel quia separatus est, atque segregatus ab alijs fratribus, vel quia regis instar coronatus est, נזר enim separare, atque coronare denotat. Vbi aduerte Christum non fuisse dictum נזיר *Nazir à voto, sed* נצרי notsri ab vrbe נצרת Natsereth. Sanson verò Iudic. 13. *Angeli separatione*: Samuel 1. Reg. 1. ex voto matris; Iacobus frater Domini, & Ioannes Baptista Nazaræi fuisse dicuntur. Illi à tribus abstinebant, scilicet ab omni quod vitis producit, & à sicera. Secundò à tonsione. Tertiò ab immundo, de quibus aliâs; verùm ad alia problemata veniendum est.

נזר

נצרי

Iudic. 13. 1. Reg. 1. Quinā dicti sint Nazaræi, & à quibus abstinerent.

PROBLEMA CCCII.

I. *Vers. 26.* CVR Iahacob benedicens Ioseph dixit. Donec veniat desiderium collium excelsorum? Nonne montes excelsi sunt illi, de quibus propheta canit, Montes excelsi ceruis? Qui montes in aduentu Messiæ (Ioële teste) stillarunt dulcedinem, & lac, & mel fluxerunt, & (iuxta Abacuc oraculum) incuruati sunt, quando videlicet (vt Iohannes ait) verbum caro factum est. Qua quidem incuruatione (vt Dauid canit) ipsi colles exultatione accincti sunt. Desiderium verò huiusmodi collium est perficere hominem vniendo ipsum cum Deo. Quod erit in patria. Ideo dixit Iahacob. His benedictionibus replearis, donec veniat desiderium collium, idest virtutum, aut locorum illius de quo inquit Apostolus. Deus vult omnes homines saluos fieri. Propter hoc enim ipse Deus hominem creauit.

Psalm. 103. Ioel. 3. Abacuc. 3. Ioan. 1. Psalm. 64. 1. Tim. 2.

PROBLEMA CCCIII.

Vers. 26. CVR Iahacob dixit. Fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi fratres eius? Nonne scriptum est, quod stellæ vndecim debebant adorare Ioseph? Et hoc nedum propter Ægypti præsidentiam (cùm scriptura semper altiora petat, quàm præ se ferat occi- Genes. 37.

dens litera) sed quia Chenesset, idest Synagoga Israël cum altissimo mysterio collecta fuit ex duodecim tribubus, dempto Leui iam Sacerdotio addicto, & inter fratres (vt dictum est) dispersò; dempto quoque Ioseph, alio profundissimo Sacramento. Et in horum locum Manasses & Ephraim suffecti sunt. Hinc cum tota illa familia haberet sedem, & radicem in
Luc.17. loco, quem Hebræi regnum vocant, Christus verò regnum cœlorum appellat; qui etiam alio nomine dicitur mare, vel piscina, vbi congregantur aquæ supramundanæ. Ioseph habuit radicem in loco superiori, vbi est fons viuus, à quo emanant huiusmodi aquæ. De quo fonte
Psal 35. propheta canit. Quoniam apud te est fons vitæ. Sicut igitur diuersorum riuulorum aquæ, in fonte, velut in capite, vniuntur; sic Iahacob iubet vniri fratres in Ioseph fonte, & capite.

ISTA duo problemata ex versic. 26. quem supra explicauimus, eruuntur. Nam trecentesimum secundum agit de collium excelsorum desiderio; sequens verò de capite Ioseph, atque vertice Nazaræi. Hebræus legit גִּבְעַת עֹלָם, vbi vulgata
Variæ interpretationes. habet, *collium æternorum*, Venetus excelsorũ, Græci μονίμων, stabilium. Codex vulgatus Hebræum meliùs assequitur, holam enim significat sæculum, & æternitatem, גבע gebah verò collem, monticulum, & tumulum, adeòut verti possit, montes sæculi: quibus significatur benedictiones Ioseph montium instar firmas fixásque fore, vel tandiu duraturas, quandiu montes illi perstiterint. Quæ si ad Christum iustorum omnium scopum referamus, verè collium æternorum: i. Prophetarum, & Patriarcharum desiderium erit, vt veniat; hinc enim omnes patres veteris testamenti: *Expectabo salutare tuum Domine: rorate cœli desuper, &c.* quos aliqua ratione montes æternos appellare possumus, quia in æterna gloria præ cæteris fulgebunt, & velut montes exaltabuntur.

Montes etiam ipsi eatenus Christum desiderãt, quatenus omnia ad creatoris sui gloriam referuntur, eo sensu, quo creaturæ apud D. Paulum, ad
ad Rom.8. Rom.8. ingemiscere dicuntur, donec à corruptione, & seruitute liberentur.

Quo tantùm sensu Venetus intelligi potest, dum montes ceruorum affert, qui stillarunt illa omnia, quæ prophetæ narrant, quia ibi vites plantatæ sunt, & fluxerunt lac, & mel, quatenus oues, & apes inde sumpserunt alimentum, & lactis atque mellis materiam. Montes autem, qui Abac. 3. incuruati sunt, Chananæorum, & aliarum natio- Abac.3.
nium montes intelligi possunt, quorum incolæ Israëlitico populo colla subdiderunt, vt patet ex tot, tantísque victorijs, quas de hostibus reportarunt. Quòd si quis ad Apostolos recurrat, qui veluti montes eloquij diuini lac, & mel stillarunt, quando Euangelium annuntiauerunt, atque gentium dispulerunt tenebras, non abnuo. Minus tamen probo, quòd Venetus in fine problematis ad loca quædã refugit: vereor enim ne loca Caballistarum ridicula ingerat: nec ita bene virtutũ desiderium Christus appellatur, nam virtutes propriè non desiderant, sed ij, in quibus virtutes relucent.

Satius fuisset si mysterium illud altissimum explicasset, iuxta quod synagogam fuisse collectam ait, illud enim ad amussim Theologicam expendissemus. כְּנֶסֶת quenescet autem à radice כָּנַס quanas congregauit, synagogam denotat. Cætera quæ de Iosepho habet, quem fonti comparat, in quo fratres velut riuuli vniantur, in medio relinquo. Tantummodò cauendum est, ne per aquas supramundanas, & locum superiorem nugas aliquas Zoardinas intelligat: alioqui hæc omnia, quæ de Iosepho dicta sunt, ad Christum Dominum transferre possumus; & ad gloriam æternam; in ea siquidem tres personæ quæ sunt montes æterni fluunt lac, & mel gloriæ, & omnem dulcedinem atque suauitatem beatorum mentibus infundunt. Iam verò pergamus ad Benjamin.

כנסת i. Synagoga.

PROBLEMA CCCIIII.

I. QVR Benjamin dictus fuit Lupus rapax manè comedens prædam, & vespere diuidens spolia? An id dictum est (vt communi sententia Doctores Latini conueniunt) propter Paulum, qui in manè inuentus fuit acerrimus Christi
Vers.27. persecutor, veluti lupus rapax: in vespere verò ætatis ad fidem Christi conuersus, omnibus omnia factus est, vt plures Christo lucrifaceret? Sicut ipsemet fatetur. An Benjamin, idest templum in sorte ipsius Benjamin positum fuit (vt Zohar placet) Zohar.
2. veluti lupus rapax deuorans omnia animalia oblata in sacrificium matutinum, quod offerebatur Deo, qui ignis comedens, & vniens dicitur: in vespere autem, idest in sacrificio vespertino, *quod fiebat ad placandas virtutes aduersantes, & accusantes homines, fiebat diuiso illius esiæ oblatæ, vt vnicuique illarum daretur pars, vt periti in negotio sacrificiorum norunt.*

PROBLEMA hoc ex versic. 27. huiusce capitis eruitur, ex quo rectè iussit Index ea deleri, quæ pro more literis Italicis notauimus, nec enim vlla pars sacrificij in vsum potestatum aduersantium cedebat; quæ enim esse possunt illæ potestates, nisi diabolicæ, cùm Angeli boni minimè nobis aduersi sint, quippe qui nostram salutem procurant. Duas
Paraphr. autem interpretationes, quas affert, apud alios reperies; quatum secundæ fauet omnino paraphrastes Chaldæus, qui sic habet: In terra Benjamin habitabit templi maiestas, & in possessione eius ædificabitur sanctuarium; manè, & vespere offerent sacerdotes oblationes, & in tempore vespertino diuident residuum portionum suarum. Nam vrbs Ierusalem, in qua fuit templum, propriè ad sortem tribus Beniamin attinebat; quanquam non desunt, qui censeant indecorum, quòd altare Dei lupus rapax appelletur; at eiuscemodi hominibus minimè

minimè durum videbitur, si considerent ipsum Deum comparari potenti crapulato à vino. Fauet autem huic sententiæ ipsa Mosis benedictio, quam
Deut.33. Beniaminitis impertiuit, Deut. 33. vers. 12. *Et Beniamin ait, Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo; quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet:* quid enim aliud est thalamus, in quo Deus moratus est, nisi templum? Alia
Hieron. Ambros. & alij patres. explicatio est S. Hieron. Ambros. cap. 12. de benedictio. Patriar. Chrysost. & Aug. serm. 14. de sanctis, qui de Paulo explicant: is enim lupi rapacis instar in Christianos sæuiebat, antequam ei Dominus appareret. Tertiò de bellicosa tribus istius fortitudine, atque rapacitate exponunt, quod
Iudic.20. Iudic. 20. videre licet. Potuit etiam ad Saülem primum istius tribus regem, & ad Mardochæum, & Estherem ex illa tribu oriundos allusio fieri: Saül enim manè, seu initio Amalecitas, & Philisthæos vicit, Esther & Mardochæus suorum hostium spolia populo diuiserunt. Vulgatus autem ita legit versic. 27.

VERSICVLVS VIGESIMVS-SEPTIMVS.

Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia.

VBI Hebræus habet in futuro זאב יטרף Zeeb ijtraph, lupus rapiet: hoc autem animal feroces, sæuos, atque crudeles homines denotat quales Beniaminitas fuisse Iudic. 20. & 21. deprehendes. Nonnulli putant totam gentem describi, quæ ex præda victura sit; vt vt sit, ad probl. redeo.

PROBLEMA CCCV.

Vers.28. I. QVR completis benedictionibus Iahacob, scriptum est, omnes tribus Israël sunt duodecim? Nonne familia Ioseph in duas diuisa numerum vsque ad tredecim auxit? Non quippe, cùm altera illarum suffecta fuerit (vt nuper dictum est) pro tribu Leuitica hinc inde dispersa. Et quamuis ipsa tribus Leui vna ex tribubus duodecim fuerit, non tamen numerum auxit. Sicuti in familia figurata effectum est, in qua quamuis vltra duodenarium Apostolorum affuerit Paulus plerisque in locis per antonomasiam Apostolus vocatus, non tamen auxit numerum duodenarium, cùm 2.Cor.11.
ipse fuerit Apostolus vniuersalis, omnium vices gerens, sicut ipsemet testatur, dicens, Instantia mea quotidiana, & solicitudo omnium Ecclesiarum.

PROBLEMA CCCVI.

I. QVR figuratiua & figurata familia numero duodenario distributa fuit? An quia vtraque augeri debebat in immensum? Hinc numero primo crescente distribui debuit. An vt cœlestis familia conueniret cum cœlesti numero duodenario, de Plato 6. de Republica.
2. quo Plato amplissimè scribit? Et vt præcipuè conueniret cum duodecim signis cœlestibus, ad quorum aspectum castrametari filij Israël consueuerant, non vt à syderibus corporeis, sed à virtute magni Dei nominis ipsis signis præsidẽtis influxum susciperent. Duo- Numer.2.
decim enim reuolutiones habet illud sanctum nomen, secundum quarum quamlibet vni signo præsidet, vt antiqui Theologi docent. An vt conueniret vtraque familia cum duode- Apocal.
3. cim fundamentis supernæ ciuitatis, duodecim lapidibus, duodecim portis, & 12. Angelis ipsis portis præsidentibus? sicut apertè Iohannes scribit.

ISTA duo problemata ex vers. 28. huiusce c. 49. desumuntur, qui sic habet, *Omnes hi in tribubus Israël duodecim.* 70. vertunt πάντες οὗτοι υἱοὶ Ιακὼβ, δώδεκα. i. omnes isti filij Iacob duodecim: Hebræus verò omnes istæ שִׁבְטֵי sibte, tribus duodecim, quæ omnia in idem recidunt: nam à 12. filijs Iacob 12. tribus Israël appellatæ sunt, ita tamen vt in diuisione terræ sanctæ neque Leui, neque Ioseph enumerentur: non Leui, quia nullam terræ sanctæ partem habuit, cuius nempe sors erat Dominus, 1. victimæ, atque primitiæ Domino oblatæ; non Ioseph, quia in Ioseph & Leui locum duo illius filij Ephraim & Manasse suffecti sunt, qui proinde duplicem sortem in terra Chanaan assecuti fuẽre.
Problema 105. In problemate 105. tantummodo caue, ne putes Paulum ita dici Apostolum vniuersalem, vt reliquis præfectus fuerit, id enim Petro duntaxat conuenit. Quo verò sensu omnium Ecclesiarum solicitudinem D. Paulus habuerit, videantur Interpretes cap. 11. 2. ad Corinth. ad versic. 28.

Sequenti problemate numerum duodenarium extollit, & rationem inuestigat, cur Deus numero duodenario tribus Israël, & Apostolos elegerit; quod & in alijs numeris inquiri posset, vt cur 6. diebus, non verò pluribus, paucioribúsue Deus mundum produxerit; cur hoc aut illud vno potiùs, quàm alio numero statuerit: vbi vltima ratio fuit, quia voluit.

Prima ratio vni duodenarij proprietati innititur; est enim primus numerus, cuius omnes partes simul additæ ipsum duodenarium superant, vt patet ex 1.2.3.4.6. quæ sunt duodecima, sexta, quarta, tertia, & dimidia pars duodenarij. Quòd si partes illas coniunxeris, numerum decimum-sextum Proprietates duodenarij numeri.

efficies, qui quaternario duodenarium excedit, quapropter primus vitæ, seu vitalis numerus appellatur; quia aliquid extra se producit. Vbi notandum est illas duodenarij partes idem quadratum, nempe 144. producere, quando in se ducuntur, quod ipse 12. in se ductus efficit; deinde illæ partes, quæ duodenarium quaternario superant, secundum quadratum efficiunt ea parte, qua superant, ipsæ verò quartum quadratum generant, nempe 16. primum enim quadratum est 1. secundum 4. tertium 9. quartum 16. Quòd si duodenario iunxeris, perfectorum secundus 28. producitur ex 16. & 12. oriundus.

Plato. Secunda ratio Platonis opinione nititur, qui de duodenario pluribus egit. Nam in Phædone duodenario formarum numero describit orbem; eodem modo regna plagis 12. ante diluuium partitur tribúsque millibus duodenarijs circuitum vniuersi determinat 36. annorum millibus perficiendum, adeoùt primus millenarius iuuenilem ætatem mundi, secundus virilem, tertius denique senilem referat. Bene tamen habet, quòd Venetus

Pythagoræorum opinio. fatetur castra Israëlitarum non ab aspectibus cœli, sed à virtute Dei beneficos influxus suscepisse: quicquid Pythagoræi fingerent, qui in 12. Zodiaci Syderibus 12. Deos constituebant; videlicet Palladem peculiarem in corde ♈, Venerem in corde ♉: in corde ♊, Phœbum: in corde ♋, Mercurium, Iouem in corde ♌; in corde ♍ Cererem: Vulcanum in corde ♎; in corde Scorpionis Martem; in corde ♐ Diianam; Vestam in corde ♑; in Aquarij corde Iunonem: denique in ♓ corde Neptunum particularem.

6. & 8. de legib. Plura apud Platonem lib. 6. de legibus, & 8. nec non alibi legi poterunt, quæ partim fabulosa, partim falsa, & hominis otiosi mente ficta sunt. Quid autem amabo illa Israëlitarum dispositio iuxta 12. signa cœlestia faciebat, vt Dei nomen in eos vim aliquam influeret? quis tibi reuelauit omnes tribus iuxta illa 12. signa, castra, atquè papiliones ordinasse? ergóne studueras Astrologiæ, quando hæc scripsisti? Ad quod signum papiliones Iudas conuertebat? Supponamus enim, quod verum est, nempe Iudam tentoria fixisse ad Orientem: iuxta quem Issachar castrametari solebat, sicut & Ruben ad meridiem, & sic de cæteris, vt fusè docet ca-

Numer. 2. put secundum libri Numer. An Iudas aliquod certum, atque determinatum signum respicere poterat? Numquid ortus æstiuus ab æquinoctiali, & hyberno differt, & distat? Nùmquid Oriens Iulij est in ♋? numquid Martis & Aprilis est in ♈? Numquid hyemalis ♑ eligit? adeout quilibet mensis diuersum Orientem efficiat: quandoquidem sol diuersum signum pro diuerso mense peragrat, & quodlibet signum in diuersa parte Orientis eleuatur, atque adeo varium Orientem efficit. Hinc fit, vt Iudas, qui mense Martio ♈, vel ♉ spectabat, Septembri ♍, vel ♎ oppositam habuerit; & aliæ tribus pro diuersis mensibus varia signa Zodiaci spectauerint.

Omitto nunc quæ de numero duodenario, eiúsque diuisione Politici cõminiscuntur, quando de mutatione Rerumpublicarum agũt; de quibus Ficinus. Bodinus. Ficinus præfat. in 6. & 8. de Rep. & Bodin. lib. de Repub. videri possunt: sicut & ea, quæ Astronomi de eius diuisione, atque conuenientia cum sole, ☿, & ☿, qui 12. mensibus circuitum suum perficiunt, De numero duodenario. cum luna, quæ ferè 12. gradus quotidie peragrat: quæ Geometræ Pythagorici de figura mundi dodecaëdra 360. triangulis constante: quæ Astrologi de 12. thematis sui domicilijs: quæ naturalis historiæ periti de cynocephalo: quæque Harmonici de consonantijs in duodenario inclusis aiunt: hæc enim omnia & longiorem sermonem postulant, & alibi commodiùs afferri poterunt. Quòd autem ait magnum Dei nomen nempe יהוה, influere iuxta 12. reuolutiones in 12. signa, malè sanam nescio cuius Theologi semipythagorici, ne dicam semipagani mentem redolere videtur, vel, vt beniniùs cum nostro homine agatur, Cabalisticum est: quis enim Dei nomen in 12. partes secare ausit, vt vna pars in illud signum, alia in aliud influat? Itaque minimè probo, quod Cabalistæ effutiunt de nomine Dei, quippe qui rebus omnibus immediatè adest, & omnia mirabili ordine dispensat, nec indiget vllo nomine, quò signorum cœlestium influentias ad nos deducat: nam eo ipso quòd ab initio mundi voluit, vt inferiores lationes à superioribus regerentur, id semper perseuerat; iuxta id psalm. 118. *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.* Verùm de nugis huiuscemodi satis supérque alibi dictum est. Vltima ratio quasdam analogias attingit tam ex veteri, quàm ex nouo testamento deductas: hic enim numerus in scriptura frequentissimus est, atque celeberrimus, vt per omnes duodenarios discurrenti patebit.

PROBLEMA CCCVII.

1. 2. *Versicul. vltimus.* VT scriptum est, quòd Iahacob moriens collegit pedes suos ad lectulum? An quia totus non erat in lectulo? An collegit pedes ad lectulum illum, de quo canitur, En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt? Et iterum, Lectulus Cantic. 3. noster floridus. Illuc enim collegit pedes, idest affectus, cùm totus inhiaret illuc peruenire; sicut & Paulus de seipso ait, Cupio dissolui, & esse cum Chri- ad Phil. 2. sto. Lectulus itaque locus est, ac sedes ipsi Iahacob præparata. Imò ipse (vt sapientes asse- Sapientes. runt) est pes Orientalis diuinæ sedis: Abraham Meridionalis: Izahac Aquilonaris: Dauid autem Occidentalis, vt etiam supra diximus. Et hic est populus, ad quem ipse Iahacob collectus dicitur.

PROBLEMA CCCVIII.

CAPVT L. *Versic. 2.* 1. 2. VT Ioseph iussit balsamo liniri corpus Iahacob? An quia (vt Zohar asserit) in terra Zohar. Chanaan, vbi sepeliri petierat, cadauera citò resoluebantur. Ideo, vt diutiùs conseruaretur cadauer eius, id fieri iussum est. An (vt altiora referemus) quia vtraque vita

vita Iahacob spiritalis videlicet, ac corporea, magna ex parte (vt Zohar docet) à Ioseph de- Zohar. pendebat? idcò non ab re dicitur, quod ipsius iussu corpus patris præseruatum fuit. Hinc scriptum est, quod Iahacob separatus à Ioseph, dixit. Descendam ad filium meum lugens, Genes. 45. & 46. in infernum. Audito autem quòd viueret, reuixit spiritus eius. Videns verò ipsum dixit: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam. A fonte enim vitæ (vt diximus) Ioseph pro se, & & aliis originem, & influxum traxit.

PROBLEMA 307. sumitur ex vltimo versic. capit. 59. cùm enim Iacob sedens super lecto, pedibus interim dependentibus, filiis suis pacem, & concordiam maximè commendasset, & cætera præcepisset, quæ vel ad cultum diuinum, vel ad mores pertinebant, pedes in lectum collegit, & statim expirauit, & appositus est ad populũ suum, vt habet versic. 32. vbi tam Græcus, quàm Hebræus textus cum vulgato recidit. Possumus etiam per pedum in lectulo collectionem intelligere Iacobum non antèà fuisse in lecto, tunc verò lectulum petiisse. Secunda ratio Veneti mystica est, & quidem satis frequens est, vt pedes sumantur pro affectibus, lectulus autem erit locus quietis, ad quem Iacob pergebat: necdum enim beatitudine Patres, & Patriarchæ fruebantur, sed in aliquo certo loco seruabantur, quem limbum appellamus, donec Messias cœlos referaturus veniret. Displicet verò, quòd ad suorum sapientum insipientiam diuertat. Nam quis ei sedem illam reseruauit, cuius 4. pedes essent illi 4. quos refert? Nunquid alij iusti diuini numinis sedes appellari possunt? Cur Iosephum, cur Mosem, cur alios iustos ad sedem diuinam non reuocauit? Vnde scit Iacobum orientalem fuisse, Dauid occidentalem, aquilonarem Isaac & Abraham meridionalem? Fortè quia versus Meridiem semper ferè progrediebatur Abraham, vbi & tentoria figebat: Isaac verò in Gerara partem aquilonarem, sicut Dauid in Sion, quã pro quiete elegit.

Verùm aliquam Dei sedem propterea construere 4. pedes habentem caballisticum est, ideóque minus illud probo, quandoquidem vix à fabulis, nugis, aut propriis imaginationibus Caballistæ abstinent, quos in istiusmodi nugis tantummodò peritos satis animaduerti: alioqui magnam in eis non tantùm artium liberalium, atque scientiarum humanarum, sed etiam diuinorũ mysteriorum ignorationem reperies. Vnde fit, vt qui nugis istis animum applicuerunt, in multos errores abierint: sic

Archangelus reprehenditur. enim multos in Archangelo deprehendes, qui eiusdem cum Veneto non solùm professionis, sed & nugarum fuit socius, vt pàssim videre est. Quod nunc in istis partibus ostendo, de quibus agit in illius dogmatis Caballistici explicatione. *Qui nouerit*

Cabalistica explodẽda. *proprietatem meridionalem in dextrali coordinatione, scict cur omnis profectio Abraham semper sit versus Austrum.* Ibi enim Isaaco pachad tribuit, quia per timorem patris iurauit, idémque Iacobo, qui per timorem patris sui Isaac iurauit, cui vim præstiterat Deus à tribunali roboris, seu ghebura, & iustitia: Abraham verò ghedulah tribuit, quòd ad meridiem clementiæ diuerteret, in quorum medio cùm Iacob tabernacula figeret, tiphereth, seu pulchritudinem, & solem supramundanum repererit. Omitto cætera, quæ ibidem legere poteris, vbi vim aliquã certis locis tribuit, iraut potius in vno loco, quàm in alio Abraham, & alij patres diuinum influxum exciperent. Nugæ! Cùm enim Deus sit vbique, ex æquo iustis fauet, vbicúnque fuerint, siue ad aquilonẽ perrexerint, siue ad meridiem: non quòd de tẽplis diuino numini dicatis loquar, quæ sibi Deus præ aliis eligit, vt clarum est de templo Ierusalem, & Ecclesiis Christianorum, quorum loca sibi gratissima esse Deus plurimis miraculis approbauit, sed de reliquis terræ partibus, quæ Deo religiosis actibus minimè dicatæ sunt.

Quod autem illi euanuerint in cogitationibus suis, qui Cabalię Rabbinicæ plus nimio studerunt, patet ex eodem Archangelo, qui dum Angelos probare nititur, vereor ne sese Magum exhibeat, vel saltem Magis faueat, vt patet ex sequentibus verbis. *Cœli nempe fauent nobis, quod scire possumus, si amotis impedimentis, submittamus nos spiritui nostro duci, qui nobis non resistentibus demonstrabit iter, quo cœlũ, quo genius, immò quo summus moderator cõducit. Quod facere nequierunt Porphyrius, Firmicus, & alij quamplures professores huius artis* (Quos sanè magos fuisse nemo sanæ mentis in dubium reuocat, præsertim si de Porphyrio, & Apollonio Thyanæo cæterisque id genus hominibus loquamur.) *Et hoc si attendamus ad ea, quæ à primeua ætate nullis contagiis distracta nobis suggerit, aut quod expurgata mente ab inani cura, & obliquo affectu natura ipsa, vel spiritu dictante sentimus, fingimus, imitamur, & tentamus frequentiùs: sentit enim natura, & spiritus noster cœli instinctum, atque fauorem; sentit & genij proprij suadelas, qui vnicuique datus est à principio suæ natiuitatis.*

Ex quibus satis patet Archangelum Magis Platonicis nimis addictum fuisse, & parum à verbis Agrippæ abesse, dum hîc de geniis loquitur: faxit Deus, vt saltem à sensu omninò absfuerit. At in his diutiùs immorari displicet; satis est, quòd vnusquisque ab istiusmodi Cabalizantium erroribus sedulò caueat, quorum doctrina nemo vti debet, donec eam ad veræ Theologiæ, atque Philosophiæ regulam probarit.

Problema 308. quod anteà retulimus, ex ca. 50. *Problema* desumitur, versic. 2. qui sic habet. *Præcepitque seruis* 308. *suis medicis, vt aromatibus condirent patrem.* Prima ratio Veneti probabilis est; At morem illarum gentium præfero: verùm de his fusiùs in propriis commentariis. Cætera quæ Venetus habet, cautè legenda, cautiùs intelligenda: quandoquidem vita Iacob non alio modo pẽdebat à Iosepho, quàm nunc cuiuslibet patris vita dependet à filio, quem vnicè diligit. Denique, quod subiungit de Iosepho trahente influxum, id de fauoribus intellige, quos Deo ita volente in Ægypto excepit; quos posteà patri, fratribúspue communicauit; alioqui pater eius originem à Deo, & multa beneficia suscepit, immò & omnes homines, quoad originẽ animæ, quæ est pars hominis princeps, à Deo traxerunt originem. Quapropter Venetum hîc aliquid Caballisticum intellexisse suspicor.

PROBLEMA CCCIX.

Versiculus 24.

1.

2.

QVR Ioseph moriens bis dixit. Deus visitabit vos? Nonne semel tantùm Deus visitauit filios Israël in Ægypto per Mosem, & Aharon, qui & inde eos abduxerunt? An igitur ipse spiritu Dei præmonitus prophetauit (sicut & patres eius) meliora prædicens, de aduentu videlicet Messiæ duplici, vt omnes sapientes Hebræi conueniunt? Primus enim ipsius aduentus fuit, quando de virgine nasci, ac pro nobis mori dignatus est. Secundus autem erit, quando veniet (vt ipsemet ait) filius hominis cum Angelis suis in maiestate sua; vt videlicet vnicuique operi tam fabricæ, quàm humanorum negotiorum, necnon & redemptionis humanæ finem imponat. Exod. 12. Matth. 25.

PROBLEMA CCCX. & vltimum.

1.

Vide versiculũ 32. capitis vltimi Iosue.

2.

QVR Ioseph sepultus fuit in prædio, quod tradidit ei pater in Sichem? An sicut patres eius elegerant sibi in sepulchrum speluncam illam, quæ erat in Hebron, rationibus, & mysterijs alibi assignatis? Sic & Ioseph elegit pro sepulchro prædium illud situm in terra Sichem, vbi primò gentibus datum fuit pactum circumcisionis, vt in Genesi legimus. Obseruatio enim ipsius pacti ad eum potissimè pertinebat, cuius origo (vt secretiores Theologi docent) inde est, vnde venit & fœdus ipsum. Hinc non sine mysterio pater Spiritu sancto plenus tradidit locum illum Ioseph cum tanta celebritate, in peculiare donum, quando vnicuique filiorum eius propriam *cælestis influxus* portionem assignauit, vt aliàs tetigimus. An sicut patres illi, elegerant speluncam illam, tamquam locum subiectum illi fonti, ad quem conscendere intendebant, (qua ratione & Dauid elegit arcem Sion, tanquam locum sibi congruum, & aptum) sic, & Ioseph elegit prædium illud: conuenientia enim loci, sacrificij, orationis, verborum (vt alibi dictum est) in sacris peragendis summoperè confert. Iosue, 24. Genes. 34. Secretiores Theologi.

PENVLTIMVM problema nihil habet reprehensione dignum, quod ex versic. 23. & 24. capitis 50. eruitur, nam secunda ratio vtilem allegoriam continet, tametsi prima verum sensum literalem continere non videatur; enimuerò licet bis reperatur, Deus visitabit vos, id non significat præcisè numerum, quo Deus illos visitaturus est, sed potiùs magnum Iosephi affectum demonstrat, quo cupiebat, vt Deus suis fratribus adesset, eósque in omnibus subleuaret; vel prophetiæ certitudinem, iuxtà cuius lumen ea prænuntiabat. In fine sentire videtur mundi fabricam post vltimum Christi aduentum cessaturam, de qua nolim hîc agere, quandoquidem alibi fusè id acturi sumus.

Vltimo tandem in Genesim problemate inter alia, quæ minus placent primum est, quod aliam Iosepho, quàm alijs originem tribuere videtur, de quo tam paulò ante dictum est; secretiores verò Theologi sunt isti Rabini, & Caballistæ in magna rerum diuinarum ignoratione positi. Secundum est, dum redit ad illa loca, per quæ vult influxus cœlestes descendere, qui cùm à locis non dependeant, rectè deleuit Index Expurg. quod Italicè scripsimus. Eodem modo de fonte Caballisticè loqui videtur; nec meliùs à spelunca illa ad Deum, virtutem, aut alia bona, quàm ex alio loco peruenire poterant. Denique conuenientia loci (præter illum locum, quem Deus destinauit, vt in eo coleretur, quisquis tãdem ille fuerit, (potest enim, prout ei placitum fuerit, potiùs in vno, quàm in alio loco inuocari) illa inquam conuenientia loci nihil prodest. Valeat ergo Venetus cum suo Zohar, Platonicis, Pythagoricis, & Caballisticis.

Quod attinet ad secretiores illos Theologos, quos Venetus tam importunè, & tam frequenter inculcat, bene mihi philosophatus videtur Ioannes Baptista Crispus, cuius hîc ideo integram sententiam libet attexere, præsertim cùm autor ille rarissimus esse videatur, & elegantissimo stylo secretiores illos Theologos configat.

SENTENTIA BAPTISTÆ CRISPI DE SECRETIORIBVS THEOLOGIS.

NEC minus monstruosa sunt illa, quibus sacratissimam veritatem deturpant ij, qui Secretiores Theologi (dixerim Superstitiosiores) appellari desiderant, cum veluti humano capiti Pictores ceruicem equinam non addant modo, verũ etiam varias inducere plumas tentent, & aggrediantur, ij enim quot, quantisve tum Deum generãtem, tum etiam genitã animam onerent, quam honorent veriùs, ex ijs paucis se nobis manifestari cupiunt, &, vt fidem sibi sartam tectam habeant, mendaciùm more, veritate proposita, rem aggrediuntur: quãdoquidem aiunt, igneum illum spiritum Heloim, hoc enim nomen illud sonare videtur, qui suæ se ipsum mouentis bonitatis principio super aquas ferebatur, totúsque efferuescens generationi rerum incumbebat, & diuino calore, eodemque vitali, atque animario fluxibilem fouebat naturam. Deinde verbi potestate, cuius virtute cœlos firmabat, & spiritu oris eius lucem fieri iussisse, lucem, inquiunt, illam idealem, & viuum multiforme seminarium, quod Platonicæ Menti scilicet boni, filio correspondere volunt; quin insuper id addunt, quod Diuus Ioannes de Dei verbo testatur, *Quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum*: hanc etiam lucem, inquiunt, de foris expressam tenebras ex abyssi facie depulisse, Abyssum autem materiam esse volũt, sed nescio quid Ensoph, hoc est infinitudinem resonant, & Oceanum ab Orpheo indicatum, & rerum magnum Patrem ab Homero appellatum præse ferunt, vnde Ideales expressas rationes, & in materia collocatas duo ex illa abysso luminaria protulisset, quorum alterum lucens, alterum vero non lucens appellare voluisset; atque etiam vt alterum sol diceretur sorte intellectualis atque superior, quique illius cœlestis lucis dici præficeretur, quo subinde cælestes substantias intelligunt: at vero alterum luminare nocti præposuisse, hoc enim Luna erat, quæ quamuis cælesti constabat natura, animam tamen humanam præ se ferebat, at illam ideo inferiori materiæ præficere placuit, vt inde diem ex vespere traheret, atque mane vespere quidem, materiæ obscuritatem, manè vero formæ lucem intelligentes, atque ita, vt ex rerum creatarum vespere, & illius lucis fonte, vitæque supremæ rerum omnium generationem fuisse productam intelligãt. Hinc animæ naturam quasi mediam comprehendunt, nempe quia sub Lunæ nomine, Solis lucem participantis, sed inferiora illuminantis, aptè naturam animæ stare posse videbant. Quasi verò, cùm ad tenebrosum subiectum, & ad mali naturam inclinans, itemque cum ad formæ lucem Deus aspiceret, quorum vnione duorum integrum, naturalemque diem animaducteret, tunc (inquiunt) dixisse, quod erant valdè bona, tuncetiam Platonis Iouem eadem fermè pronuntiasse: boniratem autem ipsam, ordine, quæ diuina res est, (vt inquit Plato) fuisse vsam; ideóque, cum ad rerum productarum capacitatem respexisset, aquas ab aquis tunc separasse suprà mundanas, quippe rerum productarum fontem, atque originem ab hisce inferioribus aquis, vt ne plus nimio hæ ab illis irrigarentur, & ad generationem ineptæ redderentur, ita demum altissimum illum cælestium aquarum influxum in nostrarum capacitate contemperasse, vt cœlo ipso inter vtrasque obice vteretur, quò illarum virtutem in nostras deriuantem veluti retunderet, eodemque tempore id muneris exequendi alijs à se proximis ministris curam daret. Quasi verò non secus dixerit suis Dijs Deus ille Deorum apud Platonem, cum illis iusserit, vt reliquam generationem perficerẽt. Sed ij, clarius, quam Plato, se fuisse locutos præsumentes signa etiam addunt, atque Planetas, quorum gratia impudenter affirmant illud Matthæi dictum esse *Vni dedit quinque talenta, alij vero duo, alij autem vnum, vnicuique secundum propriam virtutem*. Proinde (vt ad aquas redeat sermo) dicere etiam pergunt, ab illo magno mari creaturas omnes fuisse productas, haud tamen sine secundarum causarum dispositione, sed occultissimo (inquiunt) modo in terri fusas esse, ac perinde si è quibusdam veris, & aquæ ductibus decliues in nos fierent. Quod cum fine illarum profusione fiat, illuc trahunt dictorum sensum, vt non aliud Ecclesiasten illum significare voluisse dixerint, dum omnia flumina ad mare tendere, vnde prius originem habuerant, & illud minime è excrescere ostenderit, nisi ad supremum cursum, atque vltimum, cum amplius non remeabit, quo tempore rerum omnium fluxum, atque refluxum complendum, atque sistendum vaticinantur; has tamen interim aquas in arido ipsius materiæ immisceri Salomonem diuinitus tactum in suo templo significasse, cum Mare illud æneum in vase clausum ostenderit, marinæ conchæ persimili, cuius rei contemplatione allucinatũ Platonem suspicantur (siue quod etiam non rectè satis Mercurij crater intellexerit) quamobrem credidérit ad illud magnum crater mundi conditorem fuisse conuersum, vnde veluti montano è flumine Idealis vitæ torrens, magnus animorum, quamuis determinatus numerus se se profundat in terris, profundiùs tamen, inquiunt, hoc idem ab Hebræorum sapientibus fuisse explanatum, cum mare illud immensam dixerint esse deitatem, in summet ipsius abysso sine dimensione clausam, atque reconditam, & quasi in remotissimis suæ claritatis penetralibus, & inaccessibilis lucis caligine repositum (ensoph ipsi vocant) nos infinitudinem vtcumque diceremus. Cùm tamen ex concha illa Salomonis sapientiæ comprehendi placuerit, non aliud sane nobis innuere voluisse, nisi Deum ipsum ad generationem rerum conuersum ideales aquas è suæ mentis cratere profudisse. Vt omittam nunc quæ de illius conchæ capacitate temerè pronuntiant, quasi verò, cum ipsa mille Bat (ita enim mensuram quandam appellare solebant) sit capax, huic numero Dei potestatem alligent, tamquam ipsius sapientiæ (quam veram suprà mundanam aquam appellant) sigillo, vt superstitiosum sit ab eisdem audire, binarium numerum secundæ sanctissimæ Trinitatis personæ adscribi solere: millenarium verò tamquam denarij cubum, perfectum, absolutumque numerum

Mendaces, quo fallãt, certius à veritate exordium ãneunt.
Heloim.
Lex idealis.
Io. 1. Abyssus materia.
Ensoph infinitudo, siue infinitas.
Orpheo Oceanus.
Duo luminaria.
Animę, naturæ sub Lunæ appellatione.
Ordo, res diuina.
Aquarũ ab aquis diuisio, quid significet Cabalisticis.
Creaturarum productio.
Flumina ad mare tendere quid significet.
Salomonis mare æneũ.
Mercurij crater.
Mare, immensa Deitas.
Numerorũ vsq; ad denarium applicatio Cabaliti. ca.
In Pimandro.

Deo Patri dedicari. A quo quidem denario Trismegisto teste, animas procreari ostendunt. Etenim animæ essentiam inquiunt esse vltimum Dei opus, à quo nihil postea fuisse à Deo creatum in Genesi legimus. Quod autem displicet, illud est; scilicet quasi hoc fecisse tenebatur generans Pater denarij numeri potestati alligatus, non autem propriæ suimet voluntati liberè addictus: vt propterea quod denario numero maior numerus addi non possit, nisi idem in semet iterum conuolutus replicetur. non secus de Deo fateri cogamur. Sed pergant Dei potestati peius quid inaugurari, & ad hominis productionem infinitam sui virtutem mancam esse suspicentur. Vocent igitur, immò vero vocet Deus iste decem fontes, numina inquam, decem, ad quæ, vt somniat Zohar, conuersus, verba illa, supplex, opemque imploratus, direxerit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quippe quorum inuicem adiuncta virtute, animi essentia prosiliat, non secus atque ab omnibus corporis partibus semē eductum, pater filium generat, sibique simile corpus producit, ita animæ imaginem Dei similem, Diuorum illo denario numero procreante compleri. Quasi vero Deus, Dijque illi animam producere minimè potuerint, nisi denario constiterint numero: cui quidem adeo tribuunt, vt mirer, cur etiam non eundem Deum faciant vndecimum, siue duodecimum, ad quem tanta superstitione, tantáque animi pronitate decem illi Dij conuertantur, ecquanam virtute pollet? quo ve mysterio præcellit? scilicet, ex Aristotele primo respondent, vel quia omnibus quaternarij partibus constet, quem Fundamentalem appellant. Nam, si vnitatem binario addas, quem ternario connectas, & denique collectum quaternario adiungas, denarium consurgere animaduertas, vel quia decem proportionibus quatuor numeri cubi consumuntur, quibus vniuersum in Pythagoreorum gratiam cōstare voluerint, siue vt Academicis morem gerant, quod alia numeri Idea vltra denarium reperiri non sit possibile, nec ab intellectu noua numeri species imaginari. Semper enim ab vnitate repetita ad denarium fit progressus; signum inquiunt ipsi, quod neque in supremi archetypi mente alia vltra denarium ratio aliud ue fundamētum non reperiatur. Hinc factum est, vt apud eosdem interminabilem, & obscuram illam deitatem ad generationis opus determinatam, & accinctam, decem istis numeris indutam repræsentent. Attributa ipsi nominant, & indumenta, quorum tegmine tres illas Sanctissimæ Trinitatis personas obumbrēt, atque item septem potestates contegant, quas omnes simul annumerationes, & fabricæ mensuras, & gratiarum omnium distributiones appellant. Quid præterea? Sileam ne, quod addunt, quam rectè sub ijs decem Angelicos ordines connectant? quos decem sphæris admoueant? & decem intelligentijs præficiant, vnde tum sensibilis mundi fabrica, tum etiam decem intrinsecæ Microcosmi partes producantur. Vt nihil quidquam Deus signat, nisi per animalia quædam Sanctitatis producat: modo Mitactron annuat. Ita enim intelligētiam decimo orbi imminentem appellant. Minus etiam operari possit Diuinitas illa Idearum plena, quam cum Dei filium esse fateantur, non tamen sine stellato orbe, & suis, quę in ipso insunt, figuris quidquam facere dimittunt, atque adeo, vt, quotquot in eodem cœlo figuræ inueniantur, totidem illius Mentis Ideis correspondeant. Néue sanctissimo spiritui suus orbis desit, quem moueat, postquam nomine Tetragrammaton ipsum insigniunt, & sua numeratione, quam Bina appellant, eundem exornant. Tandem, quidquid influat, id per Saturni sphęram facere cogunt. Ita enim Trinitatem complent diuinarum Personarum, quarum nutu omnia fieri, atque moueri, quemadmodum reliquorum diuorum auxilio executioni omnia mandantur. Vt longum sit enarrare, quemadmodum quartum nomen, Dei clementiam per Iouis sphæram descendere sit necesse, si corporum figuras formare, & animis iustitiam indere velit. Nec Eloim fortitudine nos donare possit, nec elementa progignere. Hæc enim Ioim munera non sine Martis auxilio tribuunt, è cuius sphæra hæc influi sit necesse: minus etiam eloha, siue quadrilaterum nomen sine Sole vitam, & metallorum compagem nobis dare potest. Illud autem Tetragrammaton Sabaoth exercituum Deus cum Venere semper zelum, & amoris iustitiam, rerumque omnium vegetabilium nobis tradet: sed Eloim Sabaoth exercituum bellique Deum, iustitiæ, & pietatis vindicem Mercurium habere necesse est, si ornamentum, & animalia in Mundo inferre debeat. Omnipotens verò Sadai cum Luna coniunctus, rerum vegetam accretionem, decretionemque, & hominum genios custodiet, & dispensabit. Denique decimum Adonai Melech, idest Dominum, atque Regem per beatarum Animarum ordinem, scilicet nobilium heroum, atque Principum cognitionem, & scientiam mirabilem influere Adde etiam industriam, atque Prophetiam, quibus tamen immineat Messiæ Anima, quam & Mitactron illi, & primam creaturam Platonici, & horum plerique Mundi animam appellant. Quid igitur? Satis ne sunt ad creantis Dei auxilium ista subsidia? possit ne se post primum suum trinum digressum his comitantibus diffundere, & septenario numine veluti auxiliaribus vti copijs ad rerum productionem? perinde ac tres illæ personæ sine septem reliquis, nec vero etiam septem hæc Numina, tribus seclusis, quidquam valeant operari; immò neque inuicem coniuncta, ni ex illis denarius numerus cōsurgeret. Hoc enim perfecto numero, multum illa valere; quem si ab illis abstuleris, numquam assequentur, vt animam rationalem à se genitam in Terris immittant. Quamobrem? nempe, quia hic sit ille numerus, quem diuinarum speculationum fundamentum appellant, ad quem trinus ille Deus alioqui internè suarum Personarum numero trinus ad externam prodire cupiens emanationem alium suscipiat Ternarium masculinam virtutem denotantem. Tum deinde Quaternarium, quo fœmineam virtutem repræsentet: quarum quidem virtutum vnione Deum illum, originem rerum, atque fontem, vtriusque sexus fœcunditate plenissimum à Mercurio Trismegisto fuisse appellatum, nec secus potuisse superiores animi nostri potentias, Memoriam, intellectum, & Voluntatem, procreare; nec item duos (inquiunt illi) interiores sensus, & exteriores quinque produxisse, nisi per attributorum ordinem sese manu duxerit, ita tamen, vt primæ enumerationi Mentis nostræ vnitas adscribatur, secundæ intellectus, tertiæ autem ratiocinatio, sed quartæ vis concupiscibilis, quemadmodum irascibilis quintæ, & liberum arbitrium sextæ adscribunt. Ecquid non cogitant, quo denarium numerum vacuum non deserant? nimirum addunt,

Decē fontes, siue numina, quæ allo. utus est Deus.

Denarij numeri varia exposi- tio.

Animalia Sanctitatis. Mitactron.

Tetragrā- maton.

Eloim.

Eloha. Tetragrā- maton Sabaoth.

Eloim Sa- baoth.

Sadahi.

Adonai Meleh.

Mitactron prima Crea- tura Caba- listicis, A- nima Mun- di Platoni- cis, vt ipsi volunt.

Denarius numerus diuinarum speculatio- numfunda- mētum se- cretioribus Theologi- cis dicitur.

addunt, conuersionem, & ad res supernas inclinationem septimæ adiungi atque octauæ, & cum vita contemplatiua in nona consistere, tandem in decima cum vehiculo æthereo super cælesti primo illo fruitur. Quis hæc posset videre? quis posset pati? Sed age, quid ad hæc insanientes Platonici addidere, ne vanis cogitationibus se superari paterentur? scilicet, Animas in generationem inserendas, è suis stellis discedentes, ad parem deinde numerum redire debere. Hinc alias Saturnias, alias venereas, alias ceteris quasque Dijs respondentes, à quibus simili ipsæ Virtute imprimerentur. Proinde, cum hæc à modo dictis Theologis habuissent, hæc postmodum sibi visa præstantiora suis addidere Animis, quibus descendentibus non ex omni Cæli parte pateret aditus, sed Cancer cæleste signum veluti Ianitor portas reseraret. Ecquam ob rem? Scilicet, quia signum hoc Lunæ faciunt domicilium, quam generationi Astrologi præficiunt. Cùm verò post aliquam in hac vita contractam moram alicui Animæ in cælum ascendere datum fuerit, vt non per eandem portam ingrediatur illi conceditur, sed Capricornus Saturni, idest contemplationis domus in Cælum remeanti patefacit aditus, siue quod hoc animal suo cornu supera semper petat, quemadmodum Cancer, quia retrogrado gradiatur incessu, Animę nostrę à perfectione regressum significet, & è boni gradu tantùm deuiet, quantum perfectione ab eodem decedat. Hæc sunt, quæ de Animæ generatione compendio quodam ex vtraque superstitiosorum schola cauenda collegimus. Quibus quidem ipsa veritas nullibi non occurrit. Cum autem non sit nostri instituti, aliorum, quam Platonis, falsam sententiam cauendam præmonstrare, propterea præsentem horum Theologorum profana sacris miscentium vanitatem subindicasse sit satis, in quam vnum tantùm D. Dionysium Areopagitam dirigimus, qui Angelorum naturam, essentiam, ordinem, atque munera, non Ioui, aut Saturno, ceteris ve errantibus Dijs immiscuit, nec Dei potestatem vllorum Diuorum auxilio indigentem ostendit, sed sui prouidentiam, atque bonitatem exercere volentem, illis tamquam ministris vti. Hinc, inquit ille, in libro de cælesti Hierarchia, *Illud primum omnium verè dici posse, Deum bonitate ductum omnes naturas in lucem protulisse. Est enim hoc omnium auctoris & bonitatis, quæ ad omnia pertinet, proprium, naturas ad sui communionem vocare, vt cuiusque captus, ac modus postulat: ac omnes quidem naturæ prouidentia summa, omniumque effectricis diuinitatis gubernantur. Neque enim essent nisi eorum quæ in rerum natura sunt essentiæ, principijque essent participes, ea quidem omnia, quæ vitæ beneficio carent, hoc ipso quod sunt in natura rerum, ea participant. Omnium enim status est, quæ statum omnem longe, multumque superat Diuinitas. Ea vero, quæ viuunt ipsa vi effectrice vitæ, quæ vitam omnem superat, participant. Eæ autem naturæ, quæ rationis, & mentis sunt participes, eiusdem per se perfectæ ac principalis sapientiæ, quæ omni & rationi, & menti plurimum præstat, sunt compotes. Perspicuum est autem, eas naturas circum diuinitatem esse, eique præsto esse, quæ multis modis eius communione teneantur. Itaque sancti cælestium illarum naturarum ordines maioribus, ac pluribus diuinitatis muneribus, ac beneficijs, quam cæ naturæ, quæ tantùm sunt in rerum natura, quæ rationis expertes sunt, & quæ apud nos ratione vtuntur, aucti, ornatique sunt. Nam, quoniam & Mentes ad Dei imitationem exprimunt, atque affingunt, & admirabiliter diuinitatis similitudinem intuentur, & mentis suæ speciem ad eam formare cupiunt, merito maiore cum ea societate iunguntur, dum vicinæ quidem sunt, & semper, quantum fas est, ad maiora & meliora in diuini stabilisque amoris contentione nituntur, & illustrationes, quæ à principio proficiscuntur, sine materia vllaque concretione recipiunt, ad easque se accommodant, & vitam omnem mentis propriam habent. Hæ enim sunt, quæ cum primo, ac variæ diuinitatis sint participes, primo etiam loco, ac multis modis diuinitatis varietatem tenebris quibusdam tectam aperiunt, & enuntiant.* Hęc cum asserat Dionysius communi quodam sermone, tamen particulare Hierarchię munus tale quid esse non multò ante monstrauerat. Hoc enim (dicebat) Hierarchiæ ordinem postulare, vt alij purgentur, alij purgent, quidam luce doctrinæ illustrentur, nōnulli illustrent, & aliqui perficiantur, alij perficiant. Non me laret insuper, legem diuinam per aliquem super cælestium spirituum nobis traditam, & eorum etiam munere antiquos Patres ad diuinitatis notitiam peruenisse, eisdemque diuina quædam pronuntiasse: similiter etiam Mariam matrem Domini per eundem magnum illud Incarnationis mysterium accepisse: notum est etiam, Cherubim scientiæ, & cognitionis copiam vel sapientiæ, vt Dionysius inquit, concursionem præ se ferre. Vt longum sit, diuinorum ministrorum omnium nomina, eorumque significationes explicare: quorum satis diuinam cognitionem nobis aperit magnus ille Dionysius. Quibus contentus, Hebræorum emanationes Gentilibus Græcorum Dijs admixtas respuo. Nam, etsi tamquam radios à *lucis fonte* Dei ministros agnoscimus, *non propterea sapientiam Palladem admittimus; neque intelligentiam Mercurium, neque formæ fœturam Saturnum, neque vim productricem Neptunum, neque per Iunonem naturam esse rerum secretam volumus; neque Venerem Amorem, neque Solem, siue Apollinem tamquam lucidam vitam agnoscimus;* minus etiam vniuersi mundi rationem (quam Pana nuncupant) profitemur. Apage Ioues istos, Plutones, Phœbos, Dionysios, quamuis etiam vnum Mythologi esse fateantur. Quando nobis omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum esse descendens à Patre luminum, simplicius, & verius cum D. Iacobo confiteri satis est. Quin etiam, cum Dionysio, à Iesu, qui lux est Patris, quæ est, quæ vera est, quæ omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, cuius benignitate nobis ad Patrem lucis auctorem aditus patuit, superstitiosis interim Deorum non modò multiplicia nomina relinquentes, verum etiam varios eorumdem sexus, & Curetes Orpheo, numerationes Cabalistis, vtrisque Pahat, Ensoph, & noctem, siue Typhonem, siue Zamaelem Cabalæ relinquentes, nec decem illa nomina, nec numerationes, siue Zephiroth, seu vestimenta, aut instrumenta, aut exemplaria, seu Archetypos recipientes, sed vno Potestatis nomine cum Dionysio contenti, & Orphicos æquè ac Cabalistas ab eodem Dionysio loco citato confutandos omittimus.

Platonicorum noua commenta veteribus superaddita.

Platonicorū Animorum è cælo descensus, atque ascē- sus portis quibusdam designatus.

D. Dionys. de cæleſt. hier. cap. 4.

Cap. 7. 8. 9.

Cap. 1.

QVA RATIONE CONCIONATORES SCRIPTVRÆ SACRÆ commentariis vti possint, & de variis artificiis quibus suas conciones parare valeant.

VM aliquid nonnullis paginis deesset, quas tamen repleri typographus vehementer exoptaret, in hoc naturam imitatus quæ vacuum abhorret, libenter ea quæ sequuntur, ad vacuum euitandum typis excutienda præbui.

Sexdecim modi concionandi.

1. I. Primus modus, quo magna cum facilitate, atque delectatione concio parari potest, à nostro Humbloto petēdus est, qui sæpissime vel omnibus sciētiis, vel diuinationibus, vel omnibus cœli motibus, & astris, vel omnibus alicuius scientiæ partibus vtebatur, cum ad mores hominum emendandos, tum ad subuertendas hæreses, & fidem Catholicam astruendam, vt ea ratione omnia Deo opt. Max. seruirent, & quicquid in eis est in numinis diuini gloriam refunderetur. Nulla methodi istius exempla subiicio, quia id ex professo ad 20. versiculum capitis 4. Geneseos feci, & versiculo 20. capitis secundi, scientiarum & artium enumerationem reperies, quæ ad huiuscemodi artificia non parum valent. Vide etiam multa ex nostris argumentis, quæ in Athēos dirigimus, præsertim verò 21. & 22. ibi enim iterum scientias, & artes attulimus, eáque omnia præsertim in concionatorum gratiam congessimus.

2. II. Modus ita deduci potest. Dum aliquod totum vel in Euangelio, vel alibi reperis, tunc illud suas in partes diuidere poteris, siue totum illud essentiale, siue integrale, siue vniuersale fuerit, nam singulis eius speciebus, vel partibus subiectis, aut integrantibus ritè deductis totum ipsum innotescit, quod manifestandum assumpseras, cuius rei exemplum in Euangelio Dominicæ 11. post Pentecost. habemus. In eo siquidem duæ partes occurrunt, quibus hominis perfectio constat: prior pars spectat ad intellectum, qui audiendo, atque videndo quæ sunt fidei, & sapientiæ Christianæ perficitur, id autem in ea parte docetur; *Beati oculi, qui vident, &c.* Secunda pars voluntatem respicit, quæ diuini numinis amore perficitur, quod in alia parte eiusdem Euangelij continetur: *Magister quid faciendo, &c.* Vbi aduerte methodum eandem esse compositionis, quæ diuisionis.

3. III. Artificium, Potes 4. virtutum cardinalium ordinem retinere, quoties aliquam virtutem commendare volueris, etenim in omni virtute discretionem facilè reperies, quæ prudentiam spectat, rectitudinem, quę est iustitiæ, modum, qui est temperantiæ, & firmitatem seu, constantiam, quæ est fortitudinis; Ita in Euangelio Chananææ, in quo eius oratio prædictis conditionibus ornabatur; enimuero discretio non defuit, quia non ad arios, sed ad Christum accessit, vt filia liberaretur à dæmone, vnde clamauit, *Fili Dauid, &c.* Deinde iustum erat, vt creatura Dei à dæmonis tyrannide liberaretur. *Filia mea à dæmonio malè torquetur.* Tertio modus seruatur in clamore, feruore, & deuotione, dum humiliter adorat, & Apostolorum intercessionem implorat: denique firma fuit in ea perseuerantia.

4. IIII. Modus theologarum virtutum ordinem amplectitur, vt aliquod mysterium explicet, atque diuidat, etenim agendum est primò de fide, verbi causa in incarnatione docendum est, primò naturam diuinam humanæ naturæ in hypostasi verbi vnitam esse 2. inde resultat spes reconciliationis, & glorificationis nostræ, quomodo enim cum Christo Deus nobis omnia non donabit 3. prorumpere debemus in extasim amoris.

5. V. Poteris ordinem donorum Spiritussancti obseruare, si quod mysterium, aut aliquam virtutem laudare, atque persuadere volueris, idque ea ratione, quo nos instruit Spiritussanctus per 7. dona; Sapiētia enim docet intellectum per altissimas, & diuinas causas; scientia per res humanas; intellectus rem penetrat, & cernit absque discursu, Angelorum instar: consilium diuigit intellectum practicum in ordine ad praxim: timor retrahit voluntatem à malo; pietas ad bonum extimulat; fortitudo confirmat in bono. Vnde si virtutem, aut mysterium commendas, primò intellectus informandus erit. Secundò voluntas excitanda, vt si de charitate loqueris, priùs rationes diuinæ, & æternæ sapientiæ conformes adducentur, quibus virtus illa commendatur; deinde rationes humanæ ex Philosophia, authoritate Arist. Plut. &c. 3. per similitudines, & hypotiposes necessitas, honestas, atque dignitas virtutis quasi oculis subiicienda erit. 4. consilium ad eam exercendam ex vtili, & honesto elicietur. 5. Volūtas erit coërcenda fœno timoris, ne vel spernat illam virtutem, vel se vitio contaminet, vt quòd Deo nullum sacrificium sine charitatis igne sit acceptum, vel quia è nuptiis eiectus est, qui non habebat vestem nuptialem. Posteà voluntas ad eam virtutem allicienda erit, qua maximè Deus colitur, vt bonus pater, proximus vt imago Dei. Denique in proposito voluntas confirmabitur à necessario, vtili, honesto, vt quod sine charitate nihil sumus, nihil nobis prodest; qua etiam methodo in mysteriis vti poteris.

6. Sextum artificium. Totum Euangelium, aut quam volueris illius partem ita tractare vales, vt primò literalem sensum ab Ecclesiæ patribus receptum

ceptum afferas. 2. Vnam aut alteram quæstionem Scholasticam 3. Ex conclusionibus Theologicis scholasticis, & positiuis vnam, aut plures hæreses confutabis; denique commendabis ea quæ pertinent ad moralem ex conscientiæ casibus, quod, aut quantum sit peccatum hoc aut illud facere, vel omittere. Ad quod illa methodus reduci potest, qua non pauci hoc sæculo vti operæpretium existimant, vbi viget hæresis, vt prima concionis parte quæstio aliqua Theologica, vel Philosophica discutiatur, 2. confutetur hæresis aliqua, 3. verò parte morale quidpiam ad Catholicorum mores informandos afferatur.

7. VII. Varij sensus Euangelio explicando, & illustrando deseruiunt, & mysteriis accommodari possunt. Nam literalis historiam exhibet: allegoricus spectat ad Ecclesiæ ædificationem; ad beatitudinem anagogicus; denique moralis ad vnūquemque nostrum bene instituendum. Exempli gratia in Euangelio multiplicationis panūm historia iuxta interpretes aperietur, 2. Quomodo Deus ex summo cœli culmine prouideat spiritualibus, & temporalibus Ecclesiæ necessitatibus non creando quædam, nisi cùm nouo subsidio opus est, sed iam creatis vtendo, eáque per suā benedictionem multiplicando, 3. Excitare poteris ad cœlestis gloriæ contemplationem, quæ est veluti conuiuium, in quo satiabimur multiplicato nobis diuinæ gratiæ, meritorumque nostrorum fœnore 4. hortare ad confidentiam in misericordia, & prouidentia diuina, dum sequemur Christum relictis omnibus, vel ad eleemosynam: vt enim D. Aug. ait, dando multiplicantur data.

8. VIII. Poteris de vna quaque re inquirere *an sit, quid sit, qualis, & propter quid;* Vbi aduertendum est ad quæstionem *an sit*, nomen, genus, speciem, differentiam, experientiam, atque fidem reuocari; ad quæstionem *quid sit*, pertinere definitionē, descriptiones, partes essentiales, & integrantes: ad quæstionem, *qualis sit* omnia accidentia, modo non sint communia, quales sunt proprietates, & modi essentiales; denique ad quæstionem *propter quid*, omnia causarum genera.

9. IX. Cum 4. causæ eum inter seruent ordinem, vt suum effectum integrum, atque perfectum constituant, immò rerum omniū scientiam faciāt, nam scire est per causam cognoscere, hæc methodus latissimè patet, idéoque omnibus Euangeliis accommodari potest, v.g. Euāgelio de iudicio, cuius causa efficiens est Deus; & homo cum suis assessoribus, *cùm veniet filius hominis, & omnes Angeli;* causa materialis, omnia bona & mala; formalis, discussio, & sententia; finalis, ordo mundi iuxta leges iustitiæ diuinæ.

10. X. Ex omnibus historiis, aut parabolis tragœdia, vel comœdia institui poterit, quæ diuidatur in plures actus, vel choros, adeo vt in ipsis actibus res cum doctrina tractari possit. Chori loco sit expositio moralis, quæ doctrinam sequi debet; vt sit Euangelium de Magdalena, quæ primò Christum concionantem audiat de mundi vanitate, & horrore peccati tanto cum ardore, vt mundo, & vanitatibus nuncium remittere statuat. 2. Inducas eam ingredientem domum Simonis abiicientem se ad Christi pedes flentem, &c. 3. Certamen inter iustitiam, & misericordiam de admittēda, vel reiicienda petitione, iustitia exigente satisfactionem condignam, misericordia verò fœminæ miseriam, atque finem nolente, accedente etiā Simonis murmuratione. 4. Christi interuentu placatam iustitiā lachrymis Magdalenæ docebis, misericordiam verò adductam ad illius culpam delendam; vnde sequitur sententia: *Dimittuntur tibi peccata tua.* Singulis autem actibus moralia debent interseri.

11. XI. Possumus etiam ordinem mundi, qui reducitur ad res naturales, politicas, & supernaturales, seu diuinas, concionibus accommodare: sic enim aliquod Christi præceptum bene ordinatum demonstraueris, vel etiam actionem virtutis, si ostēderis conformitatem cum principiis naturalibus, cum ordine politico, rectáque administratione Reipublicæ, & cum regula diuinæ sapientiæ; v.g. resurrectio Christi debebatur naturæ, quia Deus erat, & quia non peccauerat, & quia per diuinam dispensationem mortuus erat, vt mortem nostram moriendo superaret; nulla ergo causa suberat, cur superata morte sub imperio mortis remaneret. 2. Quomodo libertatem dare posset, si ipse mortis, & inferni captiuus esset; atque hæc est ratio, quam ab æterno voluit seruare diuina sapientia in restauratione nostra, vt prophetia euētu probaretur, nempe vt rex noster dominaretur viuis, atque mortuis per potestatem illi concessam in resurrectione tam in cœlo, quàm in terra.

12. XII. Poterit ordo purgationis, illuminationis, & perfectionis, siue vnionis eidem negotio inseruire, continet enim totam hominis vitam, gradum virtutis, & statum viatorum: vnde in omni mysterio, atque virtute reperire possumus aliquid, quod purget animum, aliquid quod perfectionem augeat, & aliquid, quod ipsum in statu heroïco, atque perfecto per vnionem cum Deo constituat. Quibus gradibus ab imo ad summum deduci potest auditor: vt si de humilitate loqueris, doce primò quomodo omnem animi scoriam excutiat, deinde quomodo det lumen, vt turò per viam virtutis, muudi, dæmonisque fraudes incedamus; denique quomodo perficiat hominem sui expoliatione, & exinanitione, vt illum vniat Deo, nam qui suprà seipsum est abiectione sui, super omnia est, & in Deo est. Idem in omnibus gratiæ mysteriis obseruaueris v.g. in Eucharistia, quæ purgat; reficit & illuminat animam, quam mediante Christi humanitate per modum cibi nobis coniuncta cum Deo vnit.

13. XIII. Illa methodus præclara est, qua D. Thomas suas quæstiones, suósque articulos soluit.

14. XIV. Passiones appetitus cùm sint veluti pondera, quibus inclinamur ad bonum, vel reuocamur à malo, tot modis persuadere potes bonum amplectendum esse, malum verò fugiendum, quot sunt passiones in vtróque appetitu, vg. vt ametur quidpiam, quia est nobis conueniens, vt illud per desiderium prosequamur, vt in eo iam adepto delectemur, vel spem delectationis concipiamus, vel eius adipiscendi spe nutriamur, vt pericula audacter adeamus, & irascamur, ac indignemur, si quid sese opponat; v.g. si eleémosynam cōmendas, docebis primò conuenientiam cum natura & ratione, iuxta id, *carnem tuam ne despexeris*; Christus autem per manus pauperis accipit. 2. Docebis non tantùm amandos esse pauperes, sed & desiderandum, vt se offerat occasio mercandæ ab illis æternæ gloriæ, Christóque in eorum persona benefaciendi 3. summum esse gaudium æterna cum temporalibus commutasse. 4. Nihil esse desperandū, quia Deus multiplicat incrementa frugum iustitiæ nostræ. 5. Rem nostram, & vitam diuinæ prouidentiæ auda-

ćter esse committenda. 6. Concipiendam indignationem contra eos, qui nos auertunt ab eleemosyna. Vix autem vlla est sententia in Euãgelio, quæ præcipiat eleemosynam, ad quam hæc omnia referri non possint. Qua etiam ratione persuadebi- vitium esse fugiendum, quia fugiendo vincitur: quia dolorem affert: quia desperare debemus nobis facultatem suppetere posse ad tantum malum committendum, iuxtà id Iosephi Gen. 39. *quomodo possum hoc malum facere?* Ad quod fortitudo, & audacia nobis data fuit, nec non ira, vt aduersus peccatum insurgamus, quod verum est, & vnicum malum. Denique quia timendus est Deus, ne offenda-
15. tur.

XV. Conformitas vtriúsque testamenti rectè demonstratur, dum quis docet, quod est in nouo testamento p[er] id, quod in veteri accidit, sic enim plurimi Prophetiam adducunt, cui mysterium Euangelicum applicant, & prædictionem cum euentu conferunt, vt cùm ad mysterium resurrectionis declarandum illud Psaltis affertur, *non dere-*
16. *linques animam meam in inferno, &c.*

XVI. Syllogismus Rhetoricus ex Euangelio, vel alio Scripturę loco potest elici, vt probes, quod in eo præsertim intenditur, ita vt ipsa probatio ex Euangelio duci valeat, vix enim vlla veritas proponitur, quin syllogisticè concludi possit: itaque maior propositio cum sua probatione in animo concionatoris esse debet, post quam minor cum sua etiam probatione succedat, quæ rem magis determinet, atque peculiariter attingat. Denique sequitur conclusio, quæ sit loco epilogi: quod in Euangelio natalis Christi declaratur, in quo canũt Angeli; *Gloria in excelsis Deo, &c.* Vnde sic concludas. Gloria Deo, & pax hominibus existit ex summo opere gratiæ, quia Deus se summè hominibus communicat, & suæ bonitatis, atque prouidentiæ diuitias effundit, atqui tale opus est incarnatio, quod nobis in Natiuitate manifestatur, ibi enim fit totus noster, vt nos faciat suos totos, ib[i] nostram miseriã induit, vt nos miseria nostra exuat, & sua gloria induat, &c. Meritò igitur canunt Angeli. Gloria in excelsis Deo, &c. Ad maioris confirmationem omnia seruiunt, quæ de dignitate, & conuenientia Incarnationis Theologi edisserunt, sicut ad minoris confirmationem singulæ partes Euangelij de Natiuitate.

Methodos alias in præsenti omitto, tum quia vacua plena facta sunt, tum quia forsitan aliâs vsque ad centum artificia exhibiturus sum, quibus ab vnoquoque conciones facili negotio parari, atque memoriter addisci possint.

Hæc sunt quæ circa Francisci Georgij Veneti problemata mihi dicenda visa sunt, quæ si viris doctis probari videro, dabo operam, vt in reliqua eiusdem Veneti problemata, tam quæ in totam Scripturam sacram, quam quæ in Platonicorum, Pythagoræorum, & Caballisticorum dogmatum confirmationem edidit, similes obseruationes, ac emendationes habeant: quod & in vniuersam eius harmoniam, (si Deus vitam robúrque concesserit,) quantum in nobis erit, præstare conabimur. Quæ verò huc vsque à nobis scripta sunt, tam in his problematibus, quàm in alijs commentarijs, quæque scribentur imposterum, ea omnia iudicio S. R. E. libenter subijcimus, & ad maiorem Dei gloriam, omniúmque vtilitatem cedant, vehementer exoptamus.

ERRATA CORRIGENDA.

Errores præcipui à me deprehensi, qui typographi incuria in nostras ad problemata Veneti emendationes irrepserunt, vbi accentus Græcos, & puncta Hebræa perperam omissa, mutata, vel multiplicata omitto, sicut & virgulas latinas vel omissas, vel superfluas, & similia. Itaque colum. 8. linea 6. lege *Antichristus*. columna 12. lin. 33. lege *quæst.* 66 col 13. l. 41. lege *Pagninus*. col 24. pro non reperio, lege *reperio etiam*, nam dictio præcedens בעורך fit à עבר, quod inter alia significat transgredior. col. 155 ad marginem non est legendus *Daluinus*, quia hic non scripsit collectiones illas, quas laudo, sed *Antonius Stephanus*, Daluinus verò de potestate Abbatum. col 233 l 44 leg e verbo reddidisse col. 356. l. 28. lege χοφίαι col. 367. l. 27 post temporibus scribe, seu lege, *existima*. col. 371. l. 66. lege *accumulat*. col. 373. l. 65. Hebraïcus textus non bene scribitur nam duo vltima verba לפני שמש primo loco scribi debuerunt, deinde perperam scribitur ונין, quare lege ינין col. 379. l. 33. pro, ex, lege, *ex*, & pro assumptis, *assumptos*.